



Vease lo Notado al principio del tomo 1.º Rox

Index Quæstionum.

Vtrum sacra scriptura sub vno contextu habeat plures sensus. Fol. 377.

Vtrum sensus litteralis sit dignior aliis sensibus. Fol. 383.

Vtrum quilibet passus, aut textus sacræ scripturæ possit exponi quadruplici sensu iam dicto. Fol. 390.

Vtrum cuiuslibet passus sacræ scripturæ sit tantum vnus sensus litteralis. Fol. 392.

Vtrũ quando plures sensus litterales in vna auctoritate sacræ scripturæ traduntur, quis illorũ sit aliis præferendus? Fol. 393.

Vtrum ex quolibet sensu litterali sacræ scripturæ possit sumi efficax argumentum. Fol. 394.

Vtrum vniuersitas creaturarum, quæ Mundi nomine nuncupatur, incepit, vel fuit ab æterno Gen. 1. Fol. 396.

Vtrum Mundum incepisse sit articulus Fidei, vel conclusio determinabilis. Fol. 407.

Vtrum omnia fuere simul creata, et

BIBLIOTECA UNIVERSIDAD DE SEVILLA

per species distinctas, vel utrum informitas
materiæ tempore præcessit formationem
ipsius Gen. 1. Fol. 411.

Utrum convenienter lucis productio
in prima die ponatur. Gen. 1. Fol. 424.

Utrum Paradisus sit locus conveniens
habitationi humanæ. Gen. 2. Fol. 433.

Utrum filii Dei, qui ab aliquibus in hoc
loco intelliguntur dæmones, potuerint homines
generare super illud: Gigantes autem erant.
Gen. 6. Fol. 443.

Utrum arcus nubium, qui
dicitur Iris sit signum diluvii non
futuri. Gen. 9. Fol. 455.

Utrum Israelitæ dicti sunt Hebræi ab
Heber, an ab Abraham. Gen. 10. Fol. 459.

Utrum omne mendacium sit peccatũ
mortale. super illud: dic ergo obsecro Gen. 12. Fol. 463.

Utrum quando Deus promisit Abraæ
Gen. 15. et Populo Israelis Exo. 1. et sæpius in
Sacra Scriptura bona temporalia, intendebat

principaliter in eis promittere bona aeterna. Fol. 173.

Utrum peccaverit Loth offerendo filias suas Sodomitis, ut eos ab invasione Angelorum hospitum arceret Gen. 19. Fol. 178.

Utrum liceat accipere pecuniam pro his, quae sunt spiritualibus annexa Gen. 23. Fol. 180.

Utrum Joseph fuit obligatus accusare fratres suos Gen. 37. Fol. 183.

Utrum liceat conjicere, aut interpretari somnia Gen. 41. Fol. 187.

Utrum liceat negociando carius vendere aliquid quam emptum est Gen. 47. Fol. 191.

Super illud Gen. 49: <u>non auferetur sceptrum</u> &c utrum haec auctoritas intelligatur de Christo Jesu vero Messia. Fol. 500.

Super illud Gen. 49: <u>appositus est ad populum suum</u>, ubi Glossa dicit: ad Limbum. utrum sit bona expositio. Fol. 508.

Super illud Exodi 2: cumque circumspexisset &c utrum judicium per suspicionem sit perversum; et videtur quod non. Fol. 512.

Super illud: si dixerint, quod est nomē eius, quid dicam eis. utrum fuerit prudens, et licita dicta petitio. Fol. 515.

Utrum hoc nomen qui est sit maxime proprium nomen Dei Exodi 3. et videtur quod non. Fol. 519.

Utrum nomen 4 literarum, quod Graece dicitur tetragrammaton sit Deo plus quam maxime proprium Exodi. 3. Fol. 524.

Utrum virtute daemonum, quo Magi utuntur, potuit fieri conversio virgarum in serpentes, vel dracones, vel generalius.

Utrum daemones operentur ad miracula facienda Exo. 7. Fol. 534.

Utrum Deus aliquem hominem reprobet Exo. 7. 9. et Rom. 9. Fol. 542.

Utrum percussiones egyptiacę fuerint factę à Deo, mediantibus bonis, aut mediantibus malis Angelis. Exo. 12. Fol. 551.

Utrum furtum sit idem simpliciter, quod contra passum Exodi 21. Fol. 553.

Vtrum in aliquo casu liceat interficere innocentem Ex. 23. Fol. 558.

Vtrum idolatria sit gravissimum peccatorum Ex. 32. Fol. 568.

Vtrum aliquis deleatur deleatur de libro vitæ Ex. 32. Fol. 575.

Vtrum possit assignari conveniens ratio ceremoniarum, quæ pertinebant ad sacrificia veteris legis Levit. 1. Fol. 582.

Vtrum convenienter detur præceptum de dilectione proximi Lev. 19. Fol. 594.

Vtrum res Deo dicatæ possint transferri ad usus humanos Lev. ult. Fol. 600.

Vtrum Moyses in hac vita manens vidit essentiam Dei Num. 12. Fol. 609.

Vtrum Prophetæ demonum aliquando vera prædicant Num. 22. Fol. 616.

Super princip. Deuter. utrum Moyses scripsit hunc librum, et videtur, quod non, sed solum protulit verba, vel sententiam, et Josue, et alii senes memoriter retinentes

scripserunt hunc librum post mortem Moysi Fol. 621.

Super verbis Prophetam suscitabo eis &c.ª Deut. 18. Vtrum hec auctoritas intelligatur solum de Christo, an de alio, vel aliis Prophetis. Fol. 622.

Vtrum in Prophetiis inveniatur immobilis veritas, vel sicut, que prophetice cognoscuntur, vel annunciantur possunt esse falsa. Deuter. 18. Fol. 627.

Vtrum in lege veteri fuit licita repudiatio vxoris Deuter. 24. Fol. 635.

Vtrum patres possint puniri, vel occidi pro filiis, et ē contra Deuter. 24. Fol. 644.

Vtrum liceat bellantibus vti insidiis, et aliis cautelis Josue 8.º Fol. 652.

Vtrum promissum, et Iuramentum, aut promissum Iuramento firmatum sit semper servandum Josue. 9. Fol. 655.

Vtrum que fuit longior dies, scilicet an hec, que narratur Josue 10, quum dicitur: <u>Stetit itaque sol in medio coeli, et</u>

non festinavit occumbere spatio unius diei, an illa de qua sacra scriptura narrat 4.º Reg. 20. dicens: et ait Ezechias facile est umbram crescere decem lineis; nec hoc volo, ut fiat, sed ut revertatur retrorsum decẽ gradibus. Invocavit itaque Isaias Propheta Dominum, et reduxit umbram per lineas quibus iam descenderat in horologio Achas retrorsum decem gradibus. Fol. 665.

Utrum Jahel malefecerit interficiendo Sysaram Judic. 4. Fol. 669.

Utrum Gedeon fuit mortuus in peccato mortali Judicum. 8.º Fol. 674.

Utrum Jeptha morte corporali occidit filiam suam, sicut voverat, aut tantum per mortem civilem, vel spiritualem Domino consecravit Judicum 11. Fol. 678.

Utrum licuit Sampsoni se ipsum, et illos Philisthæos peccatores occidere Judicum 16. Fol. 682.

Utrum filii Israelis peccaverunt petendo super se Regem. 1. Reg. 12. Fol. 687.

"Super: adiuravit autem Saul &c.ª 1. Reg. 14.

Vtrum hic Saul iurando peccavit. Fol. 696.

Vtrum mali spiritus, qui demones apellantur, possint allici, vel cogi per aliquas res sensibiles, vel corporales, vel verba, vel melodias, vel fumos, virtute lapidum, vel herbarum &c. 1. Reg. 16. Fol. 700.

Vtrum duellum, vel singulare certamen sit licitum. 1. Reg. 17. Fol. 713.

Super: nunc scies &c.ª 1. Reg. 28. Vtrum David peccavit se offerendo Achis Regi Geth Philistaeo dictis verbis. Fol. 723.

Vtrum ille, qui apparuit Sauli, fuit verus Samuel, vel aliquis spiritus malignus sub imagine eius 1. Reg. 28. Fol. 728.

Vtrum Saul fuit damnatus 1. Reg. 31. Fol. 737.

Vtrum Salomon fuit salvus 2. Reg. 7. Fol. 745.

Vtrum Deus sit causa peccati 2. Reg. 16. Fol. 763.

Vtrum peccavit Salomon accipiendo in vxorem filiam Pharaonis 3. Reg. 3. Fol. 769.

Vtrum illa simulatio, qua Naaman

intrans templum Remmon, adoransque simul cum Domino suo, vt obsequium Domino super eius manu innitenti praestaret, fuerit peccatum 4. Reg. 5. Fol. 774.

Vtrum licuit Judith orare, vt Olophernes caperetur libidinoso laqueo oculorum suorum in ea Judith 9. Fol. 790.

Vtrum licuit Judith se ornare de industria, vt Olophernem deciperet Judit. 10. Fol. idem.

Vtrum licuit Judith mendaciis, quibus procul dubio visa est, vti Judith. 11. Fol. idem.

Vtrum adoratio, quae est per genuum flexionem, sit soli Deo exhibenda Esther 3. Fol. 808.

Vtrum, quae in libro Job narrantur, et tractantur sint parabolice dicta, vel historia rei gestae Job. 1. Fol. 817.

Vtrum auctor libri Job intendat ostendere, quod actus humani regantur Divina Providentia. Fol. 822.

Vtrum liceat maledicere creaturam irrationabilem Job. 3. Fol. 830.

Vtrum David fuit eximius, aut excellentior Prophetarum Psalm. Fol. 846.

Circa Auctorem omnium Psalmorum quæritur, vtrum fuerit vnus, scilicet David, an Plures, prout in Psalmorū titulis inscribuntur. Fol. 864.

Vtrum bona temporalia cadant sub merito, hoc est, vtrum possint bona temporalia, vt divitiæ, honores, sanitas &c.ª obtineri per meritum bonorum operum Psalmo 91. F. 877.

Vtrum homo possit se ipsū ad gratiā præparare per se ipsū absque speciali auxilio gratiæ Psalmo 118. Fol. 882.

Vtrum sit vna ecclesia antiquorum, scilicet, qui fuerunt sub lege naturæ, et sub lege scripta, et modernorum, scilicet, qui fuerunt, sunt, et erunt sub lege gratiæ Canticorū 6, et super materia totius libri canticorum. Fol. 890.

Este Indice no lo ay en el Orig.l [signature] R.or

JESVS.
PASSVS.
GENESI°.

Assit labori nostro spiritus

Sancti gratia Amen.

Quoniam favente altissimo non nullas sanctarum scripturarum paruus direxturi sumus, et circa earum sensum versaturi; merito in capite libri præmittenda erat questio utrum sacra scriptura sub uno contextu habeat plures sensus.

Et videtur quod non. primo, quia multiplicitas sensuum in una scriptura parit confusionem, et deceptionem, et tollit arguendi firmitatem; unde ex multiplicibus propositionibus non procedit argumentatio quimmo ex hoc aliquę fallacię assignantur; sacra autem scriptura debet esse efficax ad ostendendam veritatem absque omni fallacia: ergo non debent in ea sub uno contextu plures sensus tradi.

Secundò Nam Augustinus dicit in libro de utilitate credendi, quod Scriptura, quę testamentum vetus vocatur quadriphariam traditur, scilicet, secundum historiam, secundum ethimologiam, secundum analogiam, et secundum alegoriam, quę quidem quatuor à sensu historico, vel literali, et ab alegorico tropologico, sive morali, et anagogico, qui communiter ponuntur, videntur esse omnino aliena; non ergo videtur conveniens, quod sacra Scriptura multipliciter exponatur.

Tertiò quia ultra prædictos sensus invenitur sensus parabolicus, qui inter prædictos non continetur: ergo minus sufficienter illi consignantur, et per consequens non debent consignari.

Sed contra est, quod dicit Gregorius 20 Moralium: sacra scriptura omnes scientias ipso locutionis suę more transcendit, quia uno eodemque sermone dum narrat gestum, prodit misterium.

Pro declaratione dubii primo notandum, quod notat Sanctus Thomas 1. p. q. 1. a. 10. scilicet, quod auctor sacræ scripturæ est Deus in cuius potestate est, ut non solum voces ad significandum accomodet, quam rem etiam homo facere potest, verum et res ipsas; unde cum in omnibus scientiis voces significent, hoc habet proprium sacra scriptura, quod in ea res ipsæ significatæ per voces, etiam aliquid significant: Illa ergo prima significatio, qua voces significant res, pertinet ad primum sensum, qui est sensus historicus, vel literalis; Illa autem significatio, qua res significatæ per voces iterum res alias significant dicitur sensus spiritualis, qui fundatur supra literalem, et eum præsupponit; hic autem sensus spiritualis triphariam dividitur; Sicut enim dicit Apostolus Heb. 7, lex vetus figura est novæ legis, et ipsa res nova, ut dicit Dionisius in Ecclesiastica Hierarchia est figura futuræ Gloriæ. In nova etiam lege ea, quæ in capite sunt

certa, sunt signa eorum quæ nos agere debemus,

secundum ergo quod ea, quæ sunt veteris legis, sig-

nificant ea, quæ sunt novæ legis, est sensus alle-

goricus; secundum vero quod ea, quæ in Christo

sunt facta, vel in his, quæ Christum significant, significa-

cant, sunt signa eorum, quæ nos agere debe-

mus, est sensus moralis, sive tropologicus;

prout vero signant ea, quæ sunt in æterna gloria,

est sensus anagogicus; quia vero sensus lite-

ralis est, quem auctor intendit, auctor autem

Sacræ scripturæ Deus est, qui omnia simul suo

intellectu comprehendit non inconvenit, ut

Augustinus dicit 12. confessionum, si etiam

secundum literalem sensum in uno scripturæ

sensu plures sint sensus, de qua re latius

infra dicetur.

Secundo notandum quod secundum Isidorum

1° de summo bono c° 25. septem esse regulas, sive

claves locutionum sanctarum scripturarum

quidam sapientium dixere. Prima est de Domino

Jesu Christo, et eius corpore mistico, quod est

Ecclesiæ; quia propter connexionem capitis ad corpus sacra scriptura sub vno contextu, quasi sub eadem persona aliquando loquitur de vtroque; de vno scilicet transiens ad aliud exempli gratia Isa. 61: induit me vestimentis salutis, et indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis; quod enim dicitur hic, quasi sponsum, intelligitur de Christo, et quod subditur, quasi sponsam &c. intelligitur de ecclesia. Similiter canti. 1.o osculetur me osculo oris sui; quia meliora sunt vbera tua vino, quum enim dicitur osculetur me &c.a est verbum sponsi desiderantis frui sponso, et quod subditur meliora sunt vbera &c.a est verbum sponsi sponsam commendantis; vnde notandum est in scripturis quando specialiter caput describitur, et quando caput, et corpus, aut quando ex vtroque transeat ad vtrumque, et sic, quid capiti, quid corpori conveniat, prudens lector intelligat.

Secunda clavis, seu regula est de corpore Domini vero, et permixto, vel simulato; ecclesia enim, quæ est corpus Domini misticum est quasi sagena nondum tracta ad litus, et ideo habet malos bonis permixtos usque ad Judiciũ quando separabuntur hi ab illis, et ideo in sacra Scriptura aliquando mali commendantur cum bonis, quibus sunt permixti sicut Oseę. 11: puer Israelis, et dilexi eum, et ĕ converso; aliquando boni vituperantur cum malis. sicut Esa. 1: cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui, Israel autem me non cognovit, et Populus meus non intellexit; aliquando etiam in eodem contextu exponitur quid ad bonos, quidve ad malos pertineat, ut Cant. 1.° nigra sum, sed formosa filię Jerusalem, sicut tabernacula cedar, sicut pelles salomonis, verba sunt sponsę, quę ratione malorum in Ecclesia contentorũ dicit: nigra sum, sed ratione bonorum subdit: sed formosa.

Tertia clavis est de spiritu, et litera, id est

de lege, et gratia; lege per quam præcepta facienda admonemur; gratia per quam, ut operemur, iuvamur, vel quod lex non tantum historice sed spiritualiter sentienda sit; nam et historiæ oportet Fidem tenere, et spiritualiter legem intelligere.

Quarta est de specie, et genere, sive de parte, et toto, quum de uno transit ad aliud, et ē contrario, Sicut Esa. 13, primò loquitur contra Babylonem specialiter quum dicit: onus Babylonis &c.ª et transit ad intelligendum verbum de toto Mundo generaliter per hoc, quod subditur: ā summitate coeli Dominus, et vasa furoris eius, ut disperdat omnem terram; postea revertitur ad loquendum contra Babylonem specialiter quum dicit: ecce ego suscitabo super vos Medos, qui argentum non quærant &c.ª Quia Darius Medus cum Cyro nepote suo cepit Babyloniam, et interfecit Balthasar Regem Babylonis, ut habetur Dan. 5º.

Quinta regula est de temporibus, quæ contingit

1.º uno modo per sinodochem scilicet, quando po-
nitur pars temporis pro toto, sicut in evangelio
dicitur Christus jacuisse tribus diebus in sepul-
chro, et tamen prima, et tertia dies non fuerunt
integrę. Secundo modo propter minutias temporis,
quę aliquando in scriptura computantur, ali-
quando omittuntur. Tertio modo contingit eo quod
computatio annorum incipit in uno loco ã pri-
ori termino in alio ã posteriori, sicut Gn. 15 dic-
tum fuit Abraę, semen eius esse futurum pere-
grinum quadringentis annis, et Ex. 12 de eadẽ
peregrinatione dicitur, quod mansio filiorũ Isra-
elis in ęgypto fuit quadringentorum triginta
annorum, Quia computatio huius maioris nu-
meri incipit ã tempore, quo dictum fuit Abraę
Gn. 12: egredere de terra tua &c.ª computatio autẽ
minoris incipit ã nativitate Isaac, quę fuit 30
annis post egressum Abraę de Aram. Quarto
modo eo quod scriptura sacra loquitur de fu-
turo per modum prętereiti sicut Isa. 9: parvulus
natus est nobis &c.ª et hoc est ad denotandum

certitudinem prophetię, cuius eventus de futuro est ita certus, sicut si iam præteriisset; et hoc est propter certitudinem præscientię Divinę, ex qua fit revelatio ipsi Prophetę.

Sexta regula est de recapitulatione, et anticipatione, nam in sacra scriptura non semper eodem ordine gesta, et facta scribuntur, quo fiunt; et ideo quando posteriora præponuntur, dicitur anticipatio; quando autem fit ē contrario dicitur recapitulatio, sicut Gen. 10 de filiis Noe dicitur: ab his divisę sunt insulę gentium in regionibus suis unusquisque secūdū linguā suam &c.a et infra eodem cap.o hi sunt filii cham in cognationibus, et linguis, et generationibus &c.a; et postea 11. cap.o dicitur erat autē terra labii unius, et sermonū eorūdem; ex quo patet quod illud, quod prędicitur de divisione linguarū, dicitur per anticipationē; similiter Gn. 2. postquā Moyses primo cap.o describerat creationem Coeli, et terrę, et distinctionē, et ornatum partiū Mundi dicitur: istę sunt generati-

omnes cœli, et terræ in die quo creatæ sunt. Ex quo patet, quod hoc dicitur per recapitulationem.

Septima clavis, seu regula est de Diabolo, et eius corpore; vt enim dicit Gregorius in omelia 10: certe iniquorum omniũ Diabolus caput est, et huius capitis membra sunt omnes iniqui, et ideo propter connexionem capitis ad membra scriptura loquens de vno in eodem contextu transit ad loquendũ de altero; sicut Esa. 14. loquens de Rege Babilonis, qui erat Diaboli membrũ transit ad loquendum de Principe Dęmonũ, quum ibidem subditur: quomodo cecidisti Lucifer de cælo, qui mane oriebaris; et Ezechi. 28. loquens de Principe Tiri transit ad loquendũ de Diabolo, quum subdit: tu signaculũ similitudinis plenus sapientia, perfectus decore in delicijs Paradisi Dei fuisti.

Hic sic notatis superest ad argumẽta in contrarium respondere. Ad 1um ergo

dicendum, quod multiplicitas horum sensuū non facit æquivocationem, aut aliam multiplicitatis speciē; Quia sicut iam dictum est, hi sensus non multiplicantur propter hoc quod vna vox multa significet; sed quia ipsæ res significatæ per voces aliarum rerum possunt esse signa; et ita etiam nulla confusio sequitur in Sacra scriptura, cum omnes sensus fundentur super vnum, scilicet literalem; ex quo solo potest trahi argumentū. non autem ex his, quæ secundum alegoriam dicuntur, vt dicit Augustinus in epistola contra Vincentium Donatistam. Nec tamen ex hoc aliquid deperit Sacræ Scripturæ, Quia nihil sub spirituali sensu Fidei necessariū in ea continetur, quod scriptura per sensum literalem alicubi manifeste non tradat.

Ad 2um. dicendum quod illa tria, scilicet historia, ethimologia, Analogia ad vnum literalem sensum pertinent; Nam historia est, vt ipse Augustinus exponit, cum simpliciter aliquid proponitur, ethimologia vero cum causa dicti assig-

natur, sicut Dominus assignavit causam, quare Moyses permisit licentiam repudiandi uxores, scilicet propter duritiam cordis ipsorum Math. 18; Analogia autem est, quum veritas unius scripturæ ostenditur veritati alterius non repugnare; Sola vero Alegoria inter illa quatuor pro tribus spiritualibus sensibus ponitur; Sicut et Hugo de Sancto Victore sub sensu alegorico etiam anagogicum comprehendit, ponens in textio suarum sententiarũ solum tres sensus, scilicet historicum, alegoricum, et tropologicum.

Ad 3um. dicendum quod sensus parabolicus sub literali continetur; Nam per voces significatur aliquid proprie, et aliquid figurative; Nec est literalis sensus ipsa figura, sed id quod est figuratũ; Non enim quum scriptura nominat Dei brachiũ est sensus literalis, quod in Deo sit membrum corporale huiusmodi, sed id quod per hoc membrum significatur scilicet virtus operativa, quæ dicitur potentia; Vnde patet quod sensui literali sacræ scripturæ

nunquam potest subesse falsum.

QVÆSTIO.

Ad maiorem dilucidationem eorũ

quæ dicta sunt, quæritur secundo.

Vtrum sensus literalis sit dignior aliis sensibus.

Et videtur quod non; primo quia secundũ Apostolum 2ª. Corĩ 3: litera occidit, spiritus autem vivificat; sed sensus literalis fundatur proprie in litera; sensus vero spiritualis fundatur proprie supra significationem spiritualem, qua res significatæ per literam vlterius alias res significant: ergo sensus literalis sacræ scripturæ non vivificat, sed occidit, et per consequens non est dignior ceteris sensibus.

Secundo dignior est doctrina, quæ habetur per sensus spirituales, quam illa, quæ habetur per sensum literalem: ergo spirituales sensus sunt digniores; consequentia est nota, et probatur antecedens; nam per sensum alegoricum habentur, quæ sunt credenda, quod pertinet ad Fidem; per sensum anagogicum, quæ sunt speranda, quod per-

tinet ad spem; per tropologicum quæ sunt agenda, quod pertinet ad charitatem, vt constat ex versu communiter aprobato: litera gesta docet, quid credas allegoria, moralis quid agas, quo tendas anagogia, quibus tribus virtutibus Deum colimus.

Tertio nam secundum Philosophum 1.° Poster. propter quod vnumquodque tale, et illud magis; sed sensus literalis est propter sensum spiritualem; igitur spiritualis est dignior. probatur minor; nam sensus literalis se habet ad spiritualem, sicut fundamentum ad ædificium.

In contrarium: sensus ille ad quem pertinet solum honor sacræ scripturæ debitus est ceteris dignior, quum honor sit præcipuum præmium, ac signum virtutis 1.° Ethic; sed sensus literalis sacræ scripturæ est huiusmodi: ergo est ceteris dignior; minor patet per illud Augustini in epistola ad Hieronimum: solis eis scripturæ libris, qui canonici appellantur didici huncho-norem deferre, vt nullũ eorum auctorem scri-bendo errasse aliquid firmissime credam;

constat autem quod hunc honorem non habet sacra scriptura secundum sensum spiritualẽ, quia si sic ex tali sensu spirituali posset sumi efficax argumentum, Quod est contra Augustinum in epistola ad Vincentium Donatistam dicentem, quod ex solo sensu literali efficax argumentum sumitur.

Pro responsione est primo notanda differentia inter sensum literalem, et spiritualem; nam literalis non solum continet historialem narrationem, vt quidam dicunt, quia si sic doctrinalia, seu prophetica sacræ scripturæ non haberet sensum literalem, cuius contrarium manifeste constat; Vnde sensus literalis ille dicendus est, qui habetur per significationem literæ, qua voces significant res; ille autem spiritualis, qui habetur per significationes rerum significatarũ per voces. Sed attende, quod quia quædam in sacra scriptura traduntur, quæ si accipiantur in significatione, quam voces communiter significant, essent falsæ, sicut in locutionibus pa-

rabolicis, et huiusmodi addendum videtur descripti-
oni sensus literalis, quod sit intentus ab auctore
Sacræ scripturæ, qui est Deus, et ratio est; nam
sensus literalis cuiuscumque scripturæ est
ille, quem auctor intendit, quum voces sint earũ,
quæ sunt in Anima passionum notæ primo per
Ihermeniam; sed hauddubie auctor Sacræ scripturæ
est Deus: ergo sensus literalis, de quo agit, est
ille, qui ã Deo intenditur, et per voces in con-
textu contentas significatur. Ex quo sequi-
tur, quod sensus literalis Saæ. Scripæ. non debet dici
ille sensus, qui in aliquo repugnat auctoritati,
seu determinationi Ecclesiæ quantumcumque
sensus talis sit conformis significationi li-
teræ; talis enim sensus non solum non inten-
ditur ab auctore, quinimo est Hereticus. Unde
Hieronimus: quicumque scripturam aliter
intelligit, quam sensus Sp. S^tti^. efflagitat, ãquo
scripta est, hic Hereticus appellari potest. Quæ
sententia intelligenda est de illo, qui adhoc ex-
positionẽ Sacræ Scripturæ retorquet, quod contra

riatur ei, quod per Spiritũ Sanctum revelatum est, ut exponit S. Thom. 22. q. 11. Sequitur etiam quod nec habendus est pro sensu literali ille, qui rectę rationi repugnat; Quum talis sensus non intendatur ab auctore, sed ã Deo, qui est prima veritas, ã qua omnis veritas derivatur. unde Augustinus super Gñ. ad liter. dicit: quum scriptura divina multipliciter exponi possit, nulli expositioni ita pręcise quis inhereat, quod si certa ratione constiterit, hoc esse falsum, talem esse illius scripturę sensum asserere pręsumat. Ex hoc enim scriptura ab infidelibus deriderentur; et pręcluderetur eis via credendi. Idem etiam est dicendum de sensu spirituali sacrę scripturę, qui per significationẽ rerum per voces in litera contentas significatarum habetur, scilicet quod talis sensus non debet repugnare auctoritati Ecclesię; nec recte rationi; Quia talis sensus spiritualis non esset attribuendus Deo, ut auctori, qui est suma veritas revelata.

Secundo notandum, quod literalis sensus

potest aliis sensibus bipharium comparari; uno modo universaliter vel respectu totius sacræ scripturæ in communi; alio modo particulariter, scilicet, quo ad quædam particularia loca sacræ scripturæ. Si primo modo comparetur, et accipiatur sacra Scriptura, prout est principaliter speculativa, tunc sensus literalis secundum unam considerationem est eiusdem dignitatis cum aliis sensibus; secundum vero aliam considerationem est ceteris dignior. Pro cuius rei intellectu nota, quod una scientia speculativa dicitur dignior alia ex duobus, scilicet ex dignitate materiæ, de qua tractat; nam ut Aristoteles 11 de animalibus dicit: minimum, quod potest haberi de cognitione rerum altissimarum desiderabilius est, quam cognitio certissima, quæ habetur de rebus minimis; et hoc modo uterque sensus, scilicet literalis, et spiritualis sunt pares dignitate, quum utroque sensu de eisdem tractetur, scilicet de Deo, et creaturis, prout reflexuntur in Deum. Secundo modo una scientia dicitur dignior alia ex certitudine; et

sic sensus literalis est dignior, quia certior; tota enim certitudo aliorum sensuum Sacræ scripturæ â certitudine sensus literalis dependet, unde Augustinus in libro de Doctrina Christiana: nihil est, quod oculte in aliquo sacræ Scripturæ traditur, quod non alibi manifeste exponatur, ut ostendit S. Thom. 1. p. q. 1. a. 10. et quolib. Si autem comparetur literalis sensus aliis, ut in aliquibus locis particularibus Sacræ scripturæ plane constat, quod in aliquibus sententiis sensus spiritualis est dignior ex eo quod de altiori materia tractat; Sicut quum legitur de Abraam Gn. 21. quod duos filios habuit, quod exponit Apostolus Gal. 4. alegorice dicens, esse duo testamenta, et talis sensus alegoricus est dignior illo literali. Si autem accipiatur sacra Doctrina, ut comprehendit sub se scientiã practicã, tunc etiam utergue sensus potest dupliciter comparari, scilicet universaliter, et particulariter; si universaliter tunc sunt paris dignitatis; nam illa scientia practica, quæ ad ulteriorem finem ordinat,

BIBL... UNIVERSIDAD DE SEVILLA

est dignior, vt civili militaris 1. Ethic. Constat autem, quod vtriusque sensus vnus, et vltimus finis est Beatitudo. Si vero comparentur vt in aliquibus locis, tunc manifestū est, quod in aliquibus locis sensus spiritualis est dignior, vt pote vltimo fini propinquior, vt Deuteronomii 25: non ligabis os bobis terentis in area fruges tuas; quod exponitur ab Apostolo 1. Cor. 9. spiritualiter, scilicet, quod sensus eius præcepti est modicæ vtilitatis, si literaliter sumatur, quum subdit: numquid de bobus cura est Deo, An propter nos vtique dicit. Vltra dictam considerationem sunt et aliæ duæ quibus sensus literalis præfertur aliis, prima est ex parte extensionis; nam sensus literalis se extendit ad quamlibet particulam Sacræ Scripturæ; quia quilibet pars sacræ Scripturæ habet aliquem sensum literalem; Sensus vero spiritualis non invenitur in singulis partibus Sacræ Scripturæ, vt infra dicetur. Item sensus literalis est communior, seu vniversalior; nam etiam rudes,

qui ad intelligibilia capienda non sunt idonei per sensum literalem capiunt spiritualia, saltem sub similitudinibus corporalibus, prout docet S. Thom. 1ª. p. q. 1. a. 9; vt autem dicitur 1. Ethic, bonum quanto est vniversalius tanto est divinius. Ex quibus patet quomodo sensus literalis, et spiritualis habent se in dignitate, vt excedens, et excessus.

Ad argumenta in contrarium. Ad primũ dicendum, quod quum dicit Apostolus: litera occidit, Spiritus autem vivificat non intendit distinguere inter sensum literalem, et spiritualem, de quibus hic agitur, sed inter legem veterem, quę fuerat data literis scriptis in tabulis Decalogi, et in libris Mosaicę legis, et inter legem novam, quę data fuit Spiritu sancto in cordibus, prout Hier. 31. fuerat prophetatum; vnde lex vetus dicitur lex literę, et nova lex spiritus; et quia tantum vetus cognitionem peccati dabat, ex qua occasionaliter augebatur concupiscentia ex malitia humana, quę semper nititur in vetitũ non

autem dabat gratiam, qua homo adjuvaretur ad implenda divina præcepta, iccirco dicit: litera occidit, scilicet, lex literæ, quæ occasionaliter occidit modo prædicto; sed lex nova, quæ lex spiritus dicitur vivificat in quantum est lex gratiæ, qua homo adjuvatur ad implenda divina præcepta; unde Augustinus in Glossa super verbo: litera occidit, sic ait: sicut non reprehenditur scientia, quum dicitur 1. Cor. 8: scientia inflat, id est in superbia extollit, charitas ædificat, ita non reprehenditur lex, quum dicitur litera occidit; nam sicut scientia ex se est bona, et non mala, sic et litera; sed sicut scientia cum charitate proficit, sine charitate obest; quia inflat ita litera, vel lex cum gratia vivificat, sine gratia occidit, et si de se non sit mala.

Potest etiam dici, quod litera occidit per abusionem, unde super illo verbo Ro. 7. mandatum, quod est bonum, factum est mihi mors? absit, sic dicit Hieronimus, non enim ex se ipso est mors, sed ex vitio hominis; quia non

lex; sed tamen est efficiens causa mortis, qui bonam rem vertit in malam; sicut enim Medicina non est causa mortis, si ostendat venena mortifera, licet mali homines ad mortem suam, vel aliorum his abutantur, sic lex, quæ venena peccatorũ determinat, hominem libertate sua abutentem occidit. Spiritus autem vivificat, In Glossa Augustini exponitur tripliciter, primo spiritus, id est lex nova, quia est cum gratia, quæ vivificat, eo quod gratia, quam lex nova continet est vita Animæ; Vel spiritus, id est literalis intelligentia vivificat, quia facit intelligere spiritualiter, et implere, quod litera præcipit; Vel ut ipse Augustinus dicit in libro de baptismo Parvulorũ: spiritus vivificat; quia facit servire non timore pænæ, ut lex vetus; sed amore Justitiæ, quia hoc ipsum scriptũ intus facit diligi, quod foris scriptum lex facit timeri. Hæc Alexander 3.p. q. 37.

Ad 2um. dicendum, quod per sensum literalem non solum habetur historia tantum, scilicet narratio rerum gestarum; sed etiam

quæ sunt agenda, ut patet ex præceptis Charitatis in quibus iuxta doctrinam Christi tota lex pendet; Similiter per literalem sensum habentur, quæ sunt credenda, ut de Unitate Dei Deuter. 6. audi Israel Deus tuus unus est; et de Trinitate personarum, ut Matth. 28: baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et sic de aliis ad Fidem, et spem pertinentibus; unde ex hoc quod in quibusdam locis Sacræ Scripturæ sensus literalis docet solum gesta, non sequitur simpliciter, quod per sensum literalem non habeantur ea, quæ sunt de necessitate salutis credenda, speranda, et agenda.

Ad 3um. dicendum, quod fundamentum in spiritualibus sæpe dicitur esse nobilius, seu dignius, quam edificium; Christus enim, qui ceteris suppositis Ecclesiæ incomparabiliter dignior existit fundamentum dicitur 1. Cor. 3; fundamentum aliud nemo potest ponere, præter quod positum est, quod est Christus Iesus, quod dicitur secundum similitudinem; nam sicut funda-

mentum in corporalibus sustinet ędificium, et est prius eo, et ipso defficiente. tendit edificium in ruinam, sic in edificio spirituali Christus sustinet totum corpus Ecclesię, et est prior eo dignitate, et causalitate, sine quo edificium ecclesię prorsus rueret. et similiter suo modo est dicendum de sensu literali, scilicet, quod est fundamentum respectu aliorū sensuum secundum quandam similitudinem; nam sicut in edificio corporali fundamento sublato, edificium ruit, sic totus sensus spiritualis Sacrę scripturę rueret sensu spirituali omnino sublato; quum sensus spiritualis de his, quę ad salutem pertinent, debeat fundari in sensu literali.

Demique instaret quispiam pro digni-tate sensus spiritualis arguens sic; ille sensus Scripturę debet dici dignior, qui alterius deffectū supplet; sed sensus spiritualis quandoque supplet deffectum literalis sensus; dicit enim Gregorius in Moralibus: quum ordo historię defficit, se se nobis intellectus misticus, quasi

apertis iam foribus ostendit, acsi patente x clamet; quia rationem literæ deffecisse cognoscitis, rerum, vt ad spiritualem sensum sine dubitatione reddatis: igitur literalis sensus non est dignior spirituali. Dicendum quod ex hac auctoritate Gregorii non est intelligendum, quod sensus literalis Sacræ scripturæ, scilicet ille, qui ab auctore intenditur, deffeciat in aliquo loco sic quod aut falsū, aut penitus inutile includat; nam primum infirmaret totam auctoritatē Sacræ Scripturæ, vt dicit Augustinus. Secundum vero esset contra Apostolum dicentem: quæcumque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt; Sed quia sensus literalis accepitur ā significatione, qua voces significant res quandoque deffecit, in tali casu dicit Gregorius, quod redeundum est ad significationem, qua res per voces significatæ aliud vlterius significant, quod pertinet ad misticam expositionem; et in talibus sensus literalis principaliter intellectus ab auctore, non est ille qui per significationem vocum primarie

intelligitur; sed potius ille qui ulterius per signi-
ficationem rerum, per voces significatarum
habetur. Contingit autem hoc in sacra scriptu-
ra multipliciter primo in locutionibus parabolicis.
secundo quum Scriptura loquens de uno ad lite-
ram transit ad aliud, cuius est figura, ut patet
in prima, et ultima regulis scripturæ, quæ præ-
cedenti quæstione positæ sunt. Tertio quum aliqua
historia secundum significationem vocum tan-
tum intellecta non inducit aliquam instruc-
tionem in Fide, seu in moribus utilitatem;
nec etiam inducit ad aliquam honestatem
in conversatione humana; sed potius videtur
aliquam speciē mali inducere, vel approbare;
unde in tali historia est necessario requiren-
dus sensus misticę significationis, scilicet
cōmodus, et utilis ad aliquid prędictorū iuxta
illud Isa. 48: Ego Dominus docens te utilia.
Et hoc insinuant verba Gregorii in prędicta
auctoritate quando dicit: quum ordo historię
defficit, historia enim sacra ordinatur ad no-

lram doctrinam; Quum autem in hoc secundū significationem vocum defficiat, constat quod ordo historiæ defficit, et sic sine dubitatione recedendum est ad sensum spiritualem, qui in talibus habendus est pro literali; Cuius exemplū habetur 3.° Reg. 1.° de Abisaach adducta ad David in senectute sua, prout Hieronimus exponit, quiquidem deffectus in sensu accepto secundū significationem vocum tantum sępe contingit in sacra scriptura, unde in talibus locis recurrendum est ad sententiam B. Gregorii paulo ante dictā, quę valde perusitanda est.

QVÆSTIO.

Vt prælibata materia plenius absolvatur tangendę sunt breviter aliquę quęstiunculę sine longa argumentorum disceptatione.

Et sit prima utrum quilibet passus, aut textus Sacrę scripturę possit exponi quadruplici sensu iam dicto.

Responde, quod non; dicit enim Augustinus

2. sup. Ēn: in quibusdam solus sensus literalis quærendus est, quod patet manifeste; nam sunt non pauca in utroque testamento, quæ non habent, nisi sensum literalem, quod patet in multis locis, et præcipue in præceptis charitatis, in quibus tota lex pendet et Prophetæ Mathæi 22. Licet enim in his præceptis, scilicet, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et proximum tuum, sicut teipsum, multa exponenda contineantur, tam ad obiectum charitatis, quam ad eius actum interiorem, seu exteriorem, quam etiam ad eius ordinem, et alia eiusmodi pertinentia; omnia tamen illa pertinent ad sensum literalem tantum; non enim res significatæ per hanc vocem Deus, seu per hanc vocem proximus, et per hanc vocem diliges, iterum res alias significant, a quibus rebus sic significatis sensus spiritualis ultimus accipiatur; unde totum quod in expositione horum præceptorū traditur ad sensum literalem eorum tantum-

modo pertinet; et sic communiter de aliis

preceptis moralibus veteris testamenti; In

evangeliis vero multa traduntur, quibus non

oportet assignare sensum misticum; sed tan-

tum literalem; sicut sunt ea, quę traduntur,

vt precepta, vt Ioa. 14: credite in Deum, et in

me credite; similiter in his, quę dantur, vt

consilia Math. 19: si vis perfectus esse &c; in

quibus, et similibus non est querendus sen-

sus spiritualis, qui ex rebus signatis per vo-

ces accipiatur; sed tantum sensus literalis,

qui ex significatione vocum accipitur, exempli

gratia Lu. 8: Christus interpretatur parabolā

suam dicens: semen est verbum Dei, clarè

liquet, quod verba illa interpretativa non

habent alios sensus spirituales, quum ipsa-

met interpretatio sit expositiva parabolę pre-

cedentis.

Similiter epistolę Pauli, quę vna de

precipuis partibus novi test. censenda est ferme

totę sensum literalem continent; et quando

aliqua portiuncula est in eo spiritualiter expo-
nenda, ipse exprimit, ut Gal. 4.° de duobus filiis
Abrae et c. subdit, quę sunt per allegoriam dicta.
Unde S.tus Thom. tradit 10. Quodlib. q. 14: sacra scrip-
tura quandoque est exponenda dictis 4. sensibus;
quandoque tribus; quandoque duobus; quandoque
uno tantum. Unde ea, quę secundum literalem
sensum ad facta veteris testamenti spectant,
possunt 4 sensibus exponi. similiter ea, quę
ad literam de Christo capite dicuntur, possunt
exponi literaliter de Christi gestis, et allego-
rice refferendo ea ad corpus eius misticum;
et moraliter refferendo ea ad actus nostros,
qui secundum ipsum debent regulari; et ana-
gogice in quantum in ipso Christo est nobis
iter gloriç determinatum; illa autem quę secundũ
sensum literalem dicuntur de Ecclesia,
possunt exponi moraliter, et anagogice;
ea vero, quę secundum literam moraliter
dicuntur, non consueverunt exponi, nisi
anagogice; illa vero quę secundum sensũ

literalem pertinent ad statum Gloriæ, nullo alio sensu conuenerunt exponi; eo quod ipsa non est figura aliorum, sed ab omnibus aliis figurata; quæquidem omnia, et alia ad hoc pertinentia in prædicta quæstione declarata sunt.

QVÆSTIO

Proinde quærendum est vtrum cuiuslibet partis Sacræ Scripturæ sit tantum vnus sensus literalis.

Dicendum, quod non; nam secundum Augustinum in libro de vtilitate credendi tria pertinent ad sensum literalem; primum quando litera exponitur simpliciter, et hunc dicunt sensum historialem. secundum, quando causa eius, quod in litera dicitur assignatur, quem sensum vocat Augustinus ethimologicum. Tertium quando veritas illius literæ ostenditur veritati alterius literæ sacræ Scripturæ non repugnare, quem vocat anagogicum, verbi gratia quum dicitur Gen. 2.º Edifficavit Dominus Deus

costã, quam tulerat de Adam in mulierẽ &c.; sensus historicus illius dicti est, quum simpliciter exponitur, quod in litera continetur; Sensus vero Ethimologicus est, quando redditur causa quare de latere viri formata sit mulier, et non de alia parte corporis; similiter, quare dormienti, et non vigilanti subtracta sit costa, vt tractatur 2. Sñ. dist. 18. Sensus vero anagogicus est, quum ostenditur, quod veritas huius dicti non repugnat veritati alterius scripturę, vbi dicitur de creatione hominis Gñ. 1: masculum, et feminam creavit eos; Ex qua litera apparet, quod simul fuerunt masculus, et femina humanę speciei creati, et non successive, sic vt femina esset post creationem masculi de eius latere subtracta. Sed bene consideranti ex hac consideratione Augustini non habetur, quod sub sensu literali continentur tria genera Expositionum, sic quod quelibet illarum sit proprie sensus literalis; sed prima expositio tantum est sensus literalis, secunda est

redditiva causæ sensus literalis ipsius, Tertia est solutiva illius contrarietatis. Unde secunda et tertia expositio licet pertineant ad sensum literalem, eo quod per eam magis perficitur, seu elucidatur, Non tamen proprie sunt dicendi sensus literales. Et nota quod quum unius contextus Sacræ Scripturæ sint plures sensus literales debes intelligere, si tales sensus sint literæ conformes, et quod determinationi ecclesiæ, vel rectæ rationi non repugnent; similiter et quod sint invicem compossibiles; Quum autem contingat duos sensus literales secum incompossibiles alicui sacræ scripturæ attribui necesse est dicere, quod solum alter eorum est literalis, sicut quum à Beato Gregorio traditur in Moralibus illud Dan. X de Principe Regni Persarum, quod erat bonus Angelus, qui Regno Persarum præsidebat; et alii tenent oppositum; et sic contingit in multis aliis.

QVÆSTIO

Ulterius quærendum est quando

plures sensus literales in una auc-

toritate sacræ Scripturæ traduntur,

quis illorum sit aliis præferendus.

Dicendum quod non potest dari una regula generalis, sed sunt quædam certa hic consideranda, præsuppositis illis, quæ supra de sensu literali dicta sunt; primum est quod ille sensus videtur præferendus, cuius sententia magis innititur rationi, unde in c.º decretales dist. 20 dicitur: Quo enim quisquam magis rationi innititur eo maioris auctoritatis eius verba videntur. Item sensus ille videtur aliis præferendus, qui magis consonat literæ; unde secundum Augustinum in 3.º de Doctrina Christiana dubia sunt determinanda secundum sententiam, quæ de Scripturarum planioribus locis accipitur; constat autem, quod planiora loca sunt illa, quæ planius consonant literæ. Item præferendus est ceteris paribus sensus literalis, qui à Sanctis Doctoribus traditur, ceteris sensibus ab aliis expositoribus traditis, unde in dicto

Cap.° decretales dicitur; In sacrarum literarũ expositionibus sancti Doctores summis Ponti-ficibus preponuntur, et expositioni aliis scriptoribus. Item ubi duo sensus literæ habentur, quorum neuter repugnat auctoritati Ecclesiæ, aut rectæ rationi, unus tamen traditur à Catholicis, et alius ab Infidelibus; preferendus est sensus catholicorũ; tum quia magis presumendum est, quod hi, qui in gremio Ecclesiæ sunt, cui Christus promisit spiritum veritatis, verum intellectum Sacræ Scripturæ habeant, quam Infideles, qui veritati Fidei communiter adversantur; tum ne per hoc detur Infidelibus occasio credendi, quod ipsi melius sacram scripturam, quam Catholici exponunt; unde Leo Papa in quadam epistola ad Episcopum Alexandrinum dicit, quod inimici Crucis Christi factis, et verbis nostris insidiantur, ideo nullam eis, vel tenuem occasionem demus.

QVÆSTIO.

Præterea quæritur utrum e[x]

quolibet sensu literali Sacræ scrip-
turæ possit sumi efficax argumentū.

Dicendum quod licet à sensu literali Sacræ
Scripturæ possit sumi efficax argumentum, ut
patet per Augustinum ubi supra; non tamen
ex quolibet sensu literali Sacræ Scripturæ su-
mitur efficax argumentum; nam quum sint non
pauci textus in Sacras Scripturas, qui varie etiā
à sanctis Doctoribus exponuntur, sequitur
quod ex nullo talium sensuum possit sumi
efficax argumentum; quia sic argueretur à dis-
iunctiva ad alteram partem. Si tamen huius-
modi diversi sensus in aliquo concordant, bene po-
test inde sumi efficax argumentum, saltem in
hoc in quo concordant; sicut Dan. 9. in computa-
tione LXX. hebdomadarum, ubi scilicet expositores
tam Hebrei, quam Latini differenter se habeant, non
solum in termino, in quo ebdomadæ habent initium,
sed etiam in progressu computationis; Quia ta-
men secundum omnes ultimus terminus earum,
iam longe transivit in præteritum ex ipsa

auctoritate sumitur argumentum efficax
ad concludendum Christum iam venisse. Ex quibus
sequitur quod quamvis sensus literalis sacrae Scrip-
turae in quibusdam locis non sit idem apud om-
nes, potest contingere, quod ex aliquo sensu li-
terali possit sumi argumentum validum contra
quosdam, puta contra tenentes eundem sensum
literalem. Ex quo tamen sensu non potest sumi
argumentum validum contra alios, scilicet te-
nentes aliam expositionem, seu sensum lite-
ralem; quae quidem diversitas saepius contingit
inter nos, et infideles. Sunt enim nonnulli
textus sacrae Scripturae, quorum sensus, qui est
literalis, et verus apud Catholicos, non sufficit, ut
ex eo sumatur efficax argumentum contra in-
fideles, seu hereticos; sed ex hoc non tollitur quin
talis catholicorum sensus sit verus, et literalis
censendus apud Catholicos, v.g. quum dicit
Psalmista: verbo Domini coeli firmati sunt;
sensus vero, et literalis est apud Catholicos,
quod verbo Domini, id est Filio Patris Coeli sunt

firmati; quæquidem expositio apud Catholicos est, quasi necessaria, et est consona huic, quod dicitur Io. 1: omnia per ipsum facta sunt; sed ex hoc sensu non sumitur argumentum efficax contra Infideles non recipientes Evangelium; illi enim non concedunt aliquam esse distinctionem realem in Divinis, sic ut sit aliqua Divina persona æternaliter procedens ab alia per modum verbi mentalis; unde quum dicitur verbo Domini Cæli firmati sunt, ipsi dicunt, quod loquitur Psalmista ibi more humano, sicut quum de mandato alicuius Domini aliqua fiunt, dicitur, quod sunt facta eius verbo. Sumitur tamen ex hac auctoritate argumentum validum apud Fideles circa distinctionem personarum in Divinis, ut patet 1. Snti. dist. 2. Ex quo sequitur, quod catholicus exponens hanc auctoritatem Psalmistæ, debet eam catholice exponere non curans an ex ea possit sumi efficax argumentum contra Infideles, Trinitatem negantes, an non; non enim oportet, quod ex quolibet sensu literali sumatur argumentum apud omnes.

Quæstio.

Super versu: In principio

creavit Deus Coelum, et terram

Qu. 1. queritur utrum universitas

creaturarum, quæ Mundi nomine

nuncupatur, incepit, vel fuit ab æterno.

Et videtur, quod fuit ab Æterno 1.º omne enim,

quod incepit esse antequam fieret, possibile

fuit ipsum esse; alioquin impossibile fuisset

ipsum fieri: si ergo Mundus incepit esse, an-

tequam inciperet, possibile fuit ipsum esse; sed

quod possibile est esse materia, quæ est in po-

tentia ad esse, quod est per formam, et ad non

esse, quod est per privationem; si ergo Mundus

incepit esse ante Mundum, fuit materia; sed

non potest esse materia sine forma; materia

autem Mundi cum forma est Mundus: fuit:

ergo Mundus antequam esse inciperet, quod est

impossibile.

2.º nihil quod habet virtutem, ut sit semper,

quandoque est, et quandoque non est; Quia ad quantum

se extendit virtus alicuius rei, tandiu est; sed omne incorruptibile habet virtutem, ut sit semper; non enim virtutem habet ad determinatum durationis tempus: nullum ergo incorruptibile quandoque est, et quandoque non est; sed omne quod incepit esse, quandoque est, et quandoque non est: nullum ergo incorruptibile incepit esse; sed multa sunt in Mundo incorruptibilia, ut corpora coelestia, et omnes substantiæ intellectuales: ergo Mundus non incepit esse.

3.º nullum ingenitum incepit esse; sed Philus. 1. Phisic. dicit, quod materia est ingenita; et in 1.º de Cœlo, quod Cœlum est ingenitum: nullum ergo universitas rerum cepit esse.

4.º vacuum est ubi non est corpus, sed possibile est esse; sed si Mundus incepit esse, ubi modo est corpus Mundi, prius non fuit aliquod corpus, et tamen potuit ibi esse; alioquin modo non ibi esset: ergo ante Mundum

fuit vacuum, quod est impossibile.

5.° nihil de novo incipit moveri, nisi per hoc, quod movens, vel mobile aliter se habet nunc, quam prius; sed quod aliter se habet nunc quam prius movetur: ergo ante omnem motum de novo incipientem fuit aliquis motus; motus ergo semper fuit: ergo mobile; quia motus non est, nisi in mobili.

6.° omne mobile, aut est naturale, aut est voluntarium; sed neutrum incipit movere, nisi aliquo motu præexistente; natura enim semper eodem modo operatur; unde nisi præcedat aliqua immutatio, vel in natura moventis, vel in mobili, non incipiet à movente naturali esse motus, qui non fuit prius; voluntas autem absque sui immutatione retardat facere, quod proponit; sed hoc non est nisi per aliquam immutationem, quam imaginatur ad minus ex parte ipsius temporis; sicut quis vult facere domũ cras, et non hodie, expectat aliquid futurum cras, quod hodie non est, et ad minus expectat

quod dies hodiernus transeat, et crastinus adveniat, quod sine mutatione non est; quia tempus est numerus motus: Relinquitur ergo quod ante omnem motum de novo incipientẽ fuit alius motus; Et sic idem, quod prius.

7.° quicquid est semper in principio, et semper in fine, nec desinere, nec incipere potest; quia quod incipit non est in suo fine; quod autem desinit non est in suo principio; sed tempus semper est in suo principio, et fine; quia nihil est temporis, nisi nunc, quod est finis præteriti, et principium futuri: ergo tempus nec incipere, nec desinere potest, et per consequens nec motus cujus numerus tempus est.

8.° Deus, aut est prior mundo natura tantum, aut duratione; si natura tantum: ergo cum Deus sit ab æterno, et Mundus erit ab æterno; si autem est prius duratione, prius autem, et posterius et duratione constituit tempus: ergo ante Mundum fuit tempus,

quod est impossibile

9°. posita causa sufficienti, ponitur effectus; causa enim ad quam non sequitur effectus est causa imperfecta indigens alio ad hoc, quod effectus sequatur; sed Deus est sufficiens causa Mundi, et finalis ratione suę bonitatis, et exemplaris ratione suę sapientię, et effectiva ratione suę potentię: quum ergo Deus sit ab ęterno, et Mundus fuit ab ęterno.

10. cuius actio est ęterna, et effectus est ęternus; sed actio Dei est eius essentia, quę est ęterna: ergo et Mundus est ęternus.

11. Deus potuit producere Mundum, ante quam produxit, alias impotens fuisset; scivit etiam ante producere, alias ignorans esset, videtur etiam, quod voluit, alias invidus esset: ergo videtur, quod non inceperit de novo producere creaturas.

12. omne, quod est finitum est communicabile creaturę; sed ęternitas est quoddam finitum, alias nihil posset esse ultra

ęternitatem; Dicitur enim Exo. 15: Dominus regnabit in ęternum, et vltra: ergo creatura est ęternitatis capax, et sic conveniens fuit Divinę bonitati, quod creaturam ab ęterno produxerit.

Contrarium videtur per illud Proverb. 8. ex ore divinę sapientię: nondum erant abissi, et ego concepta eram &c.a et iterū: Dominus possedit me in inįcio viarum suarum ante quam quicquā faceret ab inįcio.

2.o nam secundum scientiam quanto tempore homines fuere iuniores tanto intellectu perspicatiores; sed perspicacitas non est infinita: ergo nec tempus, quo perspicacitas crevit fuit infinitum, et per consequens nec Mundus.

3.o alusione paulatim terra consumitur; sed terra non est infinita; si ergo fuisset tempus infinitum, iam totaliter esset consumpta, quod patet esse falsum.

4.o constat, Deum naturaliter esse priorē Mundo sicut causam effectu; sed in Deo idem est

duratio, et natura: ergo Deus duratione prior est Mundo, et ita Mundus non semper fuit.

Confirmatur Jo. 17: clarifica me Pater apud temetipsum claritate, quam habui prius, quam Mundus fieret.

Pro responsione ad dubium p.° notandum, quod nihil potest fuisse ab Æterno præter Deum, et hoc quidem ponere non est impossibile; nam cum voluntas Dei sit causa rerum, sic aliqua necesse est esse, sicut necesse est Deum velle illa, cum necessitas effectus ex necessitate causæ dependeat S. Metaphisice. Constat autem, quod absolute loquendo non est necesse, Deum velle aliquid, nisi seipsum; non est ergo necessarium, Deum velle, quod Mundus fuerit semper, sed eatenus Mundus est, quatenus Deus vult illum esse, cum esse Mundi ex voluntate Dei dependeat, sicut ex sua Causa; non est igitur necessarium Mundum semper esse; unde nec determinative probari potest; nec rationes, quas ad hoc Aristoteles inducit sunt determinativæ simpliciter, sed secundum quid, scilicet

ad contradicendum rationibus antiquorum ponentiū
Mundum incipere secundum quosdam modos in
veritate impossibiles; et hoc apparet ex tribus;
primò quidem, quia tam in 8. Phisic. quam in primo
De coelo præmittit quasdam opiniones, vt Anaxa-
goræ, et Empedoclis, et Platonis contra quos ra-
tiones contradictorias inducit; Secundò, quia vbi-
cumque de hac materia loquitur, inducit tes-
timonia antiquorum, quæ res non est determinantis
sed probabiliter suadentis; Tertiò quia expresse di-
cit primo topicor^{m}, quod quædam sunt problemata dia-
lectica, de quibus rationes non habemus, vt
vtrum Mundus sit æternus.

Secundo est notandum, quod in operatione
Dei non potest accipi aliquod debitum ex parte
causæ materialis, nec potentiæ activæ agentis,
nec ex parte finis vltimi; sed solum ex parte
formæ, quæ est finis operantis ex cuius præsuppo-
sitione requiritur, quod talia existant, qualia
competunt illi formæ; vnde aliter est dicendū
de productione alicuius particularis creaturæ;

et aliter de exitu totius vniversi à Deo, quum enim loquitur de productione alicuius singularis creaturæ potest assignari ratio, quare talis sit ex aliqua alia creatura, vel saltem ex ordine vniversi ad quem quælibet creatura ordinatur, sicut pars ad formam totius; quum autem de toto vniverso loquimur educendo in esse non possumus vlterius aliquod creatum invenire, ex quo possit sumi ratio, quare sit tale, vel vnde; Quum nec etiam ex parte Divinæ Potentiæ, quæ est infinita; nec divinæ bonitatis, quæ rebus non indiget ratio determinatæ dispositionis vniversi sumi possit, oportet quod eius ratio sumatur ex simplici voluntate producentis, vt si quæramus quare quantitas coeli sit tanta, et non maior, non potest huius ratio reddi, nisi ex voluntate producentis, et propter hoc etiam, vt Magister Moyses dicit, divina Scriptura inducit homines ad considerationem coelestium corporum, per quorum dispositionem maxime ostenditur, quod omnia subiacent voluntati, et

Providentiæ Creatoris; non enim potest assignari ratio quare talis stella sit et tantum et tali, nisi ex ordine sapientiæ Dei; unde dicitur Isa. 40: levate in excelsum oculos vestros, et videte, quis creavit hæc.

Nec obstat si dicatur, quod talis quantitas consequitur naturam Cæli, vel cælestium corporum, sicut, et omnium naturæ constantium est aliqua determinata quantitas, quia sicut divina Potentia non limitatur ad hanc quantitatem, magis quam ad illam, ita non limitatur ad naturam, cui debeatur talis quantitas, magis quam ad aliam naturam, cui non debeatur, et sic eadem redibit quæstio de natura, quæ est de quantitate; et quamvis concedamus quod natura Cæli non sit indifferens ad quamlibet quantitatem; nec sit in eo possibilitas ad quamlibet quantitatem aliam, nisi ad hanc, non potest sic dici de tempore, vel temporis duratione; quia tempus est extrinsecum à re, sicut locus; unde etiam in Cælo, in quo non est possibilitas respectu

alterius quantitatis, vel accidentis interius inhaerentis, est tamen in eo possibilitas respectu loci, et situs, quum localiter moveatur, et etiam respectu temporis, quum semper tempus succedat tempori, sicut est successio in motu, et in ubi. Unde non potest dici, quod nec tempus, nec ubi consequantur naturam eius, sicut de quantitate dicebatur; unde patet quod ex simplici Dei voluntate dependet, quod praefigatur universo determinata quantitas durationis, sicut determinata quantitas dimensionis. Unde non potest aliquid concludi necessario de universi duratione, ut per hoc ostendi possit determinative, Mundum semper fuisse.

3.° notandum, quod quidam non considerantes emanationem universi a Deo, coacti sunt errare circa inceptionem Mundi; nam causam agentem praetermitentes, et materiam solum a nullo creatam ponentes, dixerunt esse omnium causam, et semper fuisse, quum enim nihil se deducat de non esse in esse, oportet aliam habere causam, quod incipit

esse, et hi posuerunt, vel Mundum semper fuisse continue, quia non ponebant, nisi naturaliter agentia, quæ determinabantur ad vnum, ex quo oportebat, quod semper idem effectus sequeretur; Vel cum interruptione, sicut Democritus, qui ponebat Mundum, vel Mundos potius multotiẽs fuisse compositos, et dissolutos casu propter casualem motum Athomorũ. Sed quia inconveniens videbatur, quod omnes convenientiæ, et vtilitates in rebus naturalibus existentes essent ã casu, quum semper, vel vt in pluribus inveniantur, quod tamen erat necesse sequi, si solum materia poneretur; et præcipue quum inveniantur quidam effectus ad quos causalitas materiæ non sufficit. Ideo alii posuerunt causam agentem; sicut Anaxagoras intellectum, et Empedocles amicitiam, et litem; sed tamen hi non posuerunt huiusmodi esse causas agentes vniversi; sed admodum aliorum particularium agentium, quæ agunt, transmutando naturam de vno in aliud. Vnde necesse erat eis dicere, quod materia esset æterna, vt pote non habens causam sui esse; sed Mundum incepisse

quia omnis effectus causæ agentis per motum re-
quitur suam causam in duratione, eo quod effectus
non est nisi in termino motus ante quem est princi-
pium motus cum quo simul oportet esse agens, a
quo est principium motus.

Aristoteles vero considerans, quod si pona-
tur causa constituens Mundum agere per mo-
tum, sequeretur, quod sit abire in infinitum; quia
ante quemlibet motum erit motus, posuit Mundũ
semper fuisse; non enim processit ex considera-
tione illa, qua intelligitur exitus universi esse
a Deo; sed ex illa consideratione, qua ponitur agens
aliquod incipere operari per motum, quod est particu-
laris causæ, et non universalis, et propter hoc ex
motu, et immobilitate primi motoris rationes
suas sumit ad Mundi æternitatem ostendendam.
Unde diligenter consideranti rationes eius appa-
rent; quasi rationes disputantis contra positionẽ.
Unde, et in principio 8. Phisic. mota quæstione de
æternitate motus, præmittit opiniones Anaxagoræ,
et Empedoclis contra quas disputare intendit. Sed

sequaces Aristotelis considerantes exitum Universi à Deo per suam voluntatem, et non per motum, conati sunt ostendere Mundi æternitatem per hoc quod voluntas non retardat facere, quod intendit, nisi propter aliquam innovationem, vel immutationem saltem quam necesse est imaginari in successione temporis, dum vult facere hoc nunc, et non prius; sed hi etiam in deffectum similem inciderunt in quem, et prædicti; consideraverunt enim primum agens ad similitudinem alicuius agentis, quod suam actionem exercet in tempore, quamvis per voluntatem agat, quod tamen non est causa ipsius temporis; sed tempus præsupponit; Deus autem est causa etiam ipsius temporis; nam et ipsum tempus in universitate eorum, quæ à Deo facta sunt, continetur; unde cum de exitu universi esse à Deo loquimur, non est considerandum, quod tunc, et non prius fecerit; ista enim consideratio tempus præsupponit ad factionem, non autem subjicit factionem; sed si universitatis creaturarum productionem consideramus, inter quas est etiam ipsum tempus, est considerandū

quare tali tempore talem mensuram praefixe-
rit, non quare hoc fecit in tali tempore; praefixio autem
mensurae temporis dependet ex simplici voluntate Dei,
qui voluit, quod Mundus non esset semper; sed quandoque
esse inciperet; sicut et voluit quod Coelum, nec esset
minus, nec maius.

Et per haec patet responsio ad argumenta. Ad
primum dicendum, quod antequam Mundus esset,
possibile fuit, Mundum esse, non quidem secundũ
potentiam passivam, quae est materia; sed secundũ
potentiam activam Dei, et etiam secundum quod
dicitur aliquid absolute possibile, non secundum
aliquam potentiam; sed ex sola habitudine termi-
norum, qui sibi non repugnant secundum quod
possibile opponitur impossibili, ut patet 5.° Methaphicae

Ad 2.um dicendum, quod illud, quod habet
virtutem, ut sit semper ex quo habet illam virtutem,
non quandoque est, et quandoque non est, sed ante
quam haberet illam virtutem non fuit; unde haec ratio,
quae ponitur ab Aristotele in 1.° de Coelo non concludit
simpliciter, quod incorruptibilia non esse coeperint,

sed quod non inceperunt esse per motum naturalem, quo generabilia, et corruptibilia incipiunt.

Ad 3um. dicendum, quod Aristoteles in 1o. Phisic. probat materiam esse ingenitam propter hoc, quod non habet subiectum de quo sit; In 1o. autem de Caelo et Mundo probat Caelum ingenitum, quia non habet contrarium, ex quo generetur; unde patet quod per utrumque non concluditur, nisi quod materia, et Caelum producta sunt in esse per creationem.

Ad 4um. dicendum quod ad rationem vacui non sufficit in quo nihil est; sed requiritur, quod sit spatium capax corporis in quo non sit corpus, ut patet 4o. Phisic; non autem dicimus non fuisse locum, aut spatium ante Mundum.

Ad 5um. dicendum, quod primus motor semper eodem modo se habuit; primum autem mobile non semper eodem modo se habuit; quia incepit esse, cum prius non fuisset; sed hoc non fuit per mutationem; sed per creationem, quæ non est mutatio; unde patet, quod hæc ratio, quam ponit Aristoteles in 8. Phisic. procedit contra eos, qui po-

rebant mobilia ęterna; sed motum non ęternũ,
vt patet ex opinionibus Anaxagorę, et Empedoclis;
nos autem ponimus, ex quo mobilia inceperunt,
semper fuisse motum.

Ad 6um. dicendum, quod primum agens
est agens voluntarium, et quamvis habuit volun-
tatem ęternam producendi aliquem effectum, non
tamen produxit ęternum effectum; nec est necesse,
quod presupponatur aliqua mutatio; nec etiam prop-
ter imaginationem temporis; Aliter enim est
intelligendum de agente particulari, quod presup-
ponit aliquid, et causat alterum; et aliter de agente
vniversali, quod producit totum; sicut agens par-
ticulare, quod producit formam, et presupponit
materiam; vnde oportet quod formam inducat
secundum proportionẽ ad debitam materiam; vnde
rationabiliter in ipso consideratur, quod inducit
formam in talem materiam, et non in aliam ex
differentia materię ad materiam; sed hoc non ratio-
nabiliter videtur in Deo, qui simul producit for-
mam, et materiam; sed consideratur rationabiliter

in eo quod ipse producit materiam cum forma, et fini; agens autem particulariter præsupponit tempus, sicut et materiam; unde rationabiliter consideratur in eo, quod agit in tempore posteriori, et non priori secundum imaginationem successionis temporis post tempus; sed in agente universali, quod producit rem, et tempus non est considerare, quod agat nunc, et non prius secundū imaginationem temporis post tempus, quasi tempus præsupponatur actioni eius; Sed considerandū est, quod dedit effectui suo tempus, quantum voluit, et secundum quod fuit conveniens ad suam potentiam determinandam; manifestius enim Mundus ducit in cognitione Divinæ Potentiæ creantis, si Mundus non semper fuit, quam si semper fuisset; omne enim, quod non semper fuit manifestum est habere causam, sed non ita manifestum est de eo, quod semper fuit.

Ad 7um. dicendum, quod sicut dicitur 4 Phisic, prius, et posterius est in tempore secundum quod prius, et posterius est in motu; unde et principium, et finis accipienda sunt in tempore, sicut et in motu;

Supposita autem æternitate, motus necesse est, quod quodlibet momentum in motu acceptum sit principiũ, et terminus motus, quod non oportet, si motus incipiat, et eadem ratio est de nunc temporis; et sic — patet, quod ratio illa instantis nunc, quod semper sit primum, et finis temporis præsupponit æternitatem temporis, et motus; unde Aristoteles hanc rationẽ inducit 8. Phisic. contra eos, qui ponebant æternitatẽ temporis, sed negabant æternitatem motus.

Ad 8um. quod Deus est prior Mundo duratione, sed ly prior non designat prioritatem temporis, sed æternitatis; Vel dicendum, quod designat æternitatẽ temporis imaginati, et non realiter existentis; Sicut quum dicitur supra Cælum nihil est, ly supra designat locum imaginatum tantum secundum quod possibile est imaginari dimensionibus cælestis corporis dimensiones alias superaddi.

Ad 9um. dicendum, quod sicut effectus sequitur à causa agente naturaliter secundum modum suæ formæ, ita sequitur ab agente per voluntatem secundum formam ab eo præconceptam, et definitam;

licet igitur Deus ab æterno fuerit sufficiens causa Mundi, non tamen oportet, quod ponatur Mundus ab eo productus, nisi secundum quod est in præfinitione suæ voluntatis, ut scilicet habeat esse post non esse, ut manifestius declaret suum auctorem.

Ad Decimum dicendum, quod posita actione, sequitur effectus secundum exigentiam formæ, quæ est principium actionis; In agentibus autem per voluntatẽ, quod conceptum est, et præffinitum accipitur, ut forma, quæ est principium actionis: igitur ex actione æterna non sequitur effectus æternus, sed talis qualem Deus voluit, ut scilicet haberet esse post non esse.

Ad Undecimum dicendum, quod ratione illa utitur Augustinus ad probandum coæternitatem, et coæqualitatem Filii ad Patrem, quæ tamen ratio non est efficax de Mundo; quia quum natura Filij sit eadem cum Patre requirit æternitatem, et æqualitatem Patris, quæ si sibi subtraheretur esset invidiæ, non autem hoc requirit natura creaturæ, et ideo non est simile.

Ad duodecimum dicendum, quod secundum Græcam translationem in illo loco habetur: Dominus regnabit in sæculum sæculi, et adhuc; quod exponens Origenes in Glosa dicit: quod sæculum intelligitur spatium unius generationis, cuius finis est notus nobis; et per sæculum sæculi intelligitur immensum spatium temporis, quod finem habet, tamen nobis ignotum; quod adhuc additur, extendit ultra illud Regnum Dei, et sic æternum exponitur pro tempore diuturno. Anselmus autem in Prologion[150] exponit æternum pro ævo, quod nunquam finem habet, et tamen ultra illud Deus esse dicitur propter hoc; primò quia æviterna non possunt intelligi non esse; secundo, quia non essent, nisi à Deo continerentur, et sic de se non sunt; tertio, quia non habent totum suum esse simul, cum in eis sit aliqua mutationis successio.

Ad argumenta vero in contrarium licet verum concludant, non tamen necessarium præter primum, et ultimum, quæ procedunt ex auctoritate; Argumentum enim perspicacitatis secundum tem-

post cursum non ostendit tempus, quandoque incepisse; potuit enim esse, quod scientiarum studia pluries fuerint interminata, et postmodũ per longa tempora, quasi de novo incepta, vt etiã Philosophus dicit in 2.° Metaphisicæ. Terra etiam non ita per aluvionem ex vna parte consumitur, quin etiam per mutuam elementorum conversionem ex parte alia augmentetur. Duratio etiam Dei licet sit idem, quod eius natura, secundum rem, tamen differt ratione: vnde non oportet, quod sit prior duratione, sicut prior natura. Ex S. Thoma 1. p. q. 46. a. 1. et quæst.[bus] dis. de Potentia q. 3. a. 10.

QVÆSTIO.

Quia in quæstione præcedenti diffinitũ est Mundum non fuisse ab æterno non ab re quæritur: Vtrum Mundũ incepisse sit articulus Fidei, vel conclusio determinabilis.

Et videtur quod non sit articulus Fidei; sed conclusio determinabilis. Primo, quia omne factũ principium habet suæ durationis; sed determinatiõe

probari potest, quod Deus sit causa effectiva Mundi; et hoc etiam probabiliores Phi posuerunt: ergo determinative probari potest, quod Mundus inceperit.

Secundò si necesse est dicere, quod Mundus factus est à Deo; aut ergo ex nullo; aut ex aliquo; sed non ex aliquo, quia sic materia Mundi præcessisset Mundum contra quod procedunt rationes Aristotelis ponentis Coelum ingenitum: ergo oportet ponere, quod Mundus sit factus ex nihilo, et sic habet esse post non esse: ergo oportet, quod esse inceperit.

Tertio omne, quod operatur per intellectum à quodam principio operatur, ut patet in omnibus artificibus; sed Deus [illegible] per intellectum: ergo à quodam principio operatur; Mundus igitur, qui est eius effectus, non fuit semper.

Quarto manifeste apparet artes aliquas, et habitationes Regionum ex determinatis temporibus incepisse; sed hoc non esset, si Mundus semper fuisset; Mundum ergo non semper fuisse, manifestum est.

Quinto perspicuum est nihil Deo æquari;

sed si Mundus semper fuisset, equiperaretur Deo in duratione: ergo certum est, Mundum non semper fuisse.

Sexto si Mundus semper fuit, infiniti dies præcesserunt diem hunc; sed infinitas non est pertransisse: ergo nunquam fuisset perventum ad hunc diem, quod est manifeste falsum.

Septimo si Mundus fuit æternus, et generatio fuit ab æterno: ergo unus homo genitus est ab alio in infinitum; sed pater est causa efficiens filii 2. Phisic: ergo in causis efficientibus est procedere in infinitum, quod improbatur 2. Metha.

Octavo, si Mundus, et generatio semper fuit, infiniti homines præcesserunt, sed Anima hominis est immortalis: ergo infinitæ Animæ humanæ nunc essent actu, quod est impossibile: ergo ex necessitate sciri potest, quod Mundus incepit, et non sola Fide tenetur.

In contrarium articuli Fidei non possunt determinative probari; quia Fides est de non apparentibus Heb. 11; sed Deum esse Creatorem

Mundi, sic quod Mundus inceperit, est articulus

Fidei; dicimus enim: Credo in unum Deum crea-

torem Cœli, et terræ &ª; et Gregorius in omelia 1ª

super Ezechielem dicit, quod Moises prophetavit de

præterito dicens: In principio creavit Deus Cœlū

et Terram, in quo novitas Mundi traditur: ergo

novitas Mundi habetur solum per revelationem,

et ita non potest determinative probari.

Pro responsione dicendum, quod Mundum

non semper fuisse sola Fide tenetur, et determina-

tive probari non potest; et Ratio est, quia novitas

Mundi non potest determinationem recipere ex

parte ipsius Mundi; determinationis enim prin-

cipium est quodquid est; unumquodque autem

secundum rationem suæ speciei abstrahit ab hic,

et nunc; propter quod dicitur, quod universalia

sunt ubique, et semper; unde determinari non

potest, quod homo, aut Cœlum, aut lapis non sem-

per fuit; similiter etiam nec ex parte causæ

agentis, quæ agit per voluntatem; voluntas enim

Dei ratione investigari non potest, nisi circa

ea, quæ absolute necesse est Deum velle; talia autem non sunt, quæ circa creaturas vult; Potest autē Voluntas Divina manifestari homini per revelationem, cui Fides innititur; Unde Mundum incepisse est credibile; non autem determinabile, vel scibile; et est utile, ut hoc consideretur; ne forte quis præsumens determinare, quod est Fidei, inducat rationes non necessarias, quæ præbeant Infidelibus materiam derisendi nos, existimantibus quod propter tales rationes credimus ea, quæ sunt Fidei.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut dicit Augustinus 11 de Civit. Dei Philosophorū ponentiū Æternitatem Mundi, duplex fuit opinio; quidam enim posuerunt, quod substantia Mundi non fuit ā Deo, et horum est intollerabilis error, et ideo ex necessitate refellitur; quidam autem sic posuerunt Mundum æternum, ut cum ā Deo factum, dicerent, non enim volunt, Mundum habere temporis initium; sed suæ creationis initium, ut quodam modo vix intelligibili semper sit factus;

id autem quomodo intelligant, invenerunt, ut dicit Augustinus dicit 10 de Civ. Dei; sicut enim inquiunt si per ex æternitate semper fuisset in pulvere, semper subesset vestigium, quod à calcante factum, nemo dubitaret, sic et Mundus semper fuit semper existente, qui fecit; et ad hoc intelligendum, considerandum est, quod causa efficiens, quæ agit per motum de necessitate, præcedit tempore suum effectum; quia effectus non est nisi in termino actionis; omne autem agens oportet esse principium actionis; sed si actio sit instantanea, et non successiva, non est necessariũ esse faciens prius facto duratione; sicut patet in illuminatione; unde dicunt quod non sequitur ex necessitate, si Deus est causa activa Mundi, quod sit duratione prior eo; quia creatio, quæ Mundum produxit, non est mutatio successiva.

Ad 2um. dicendum, quod illi, qui ponerent Mundum æternum, dicerent Mundum factum à Deo ex nihilo; non quod factum sit post nihilum secundum quod nos intelligimus per nomen cre-

ationis; sed quia non est factio de aliquo; et sic etiam non recusant aliqui eorum creationis nomen, ut patet ex Avicenna in sua Medicina.

Ad 3um. dicendum, quod illa est ratio Anaxagorae, quae ponitur 3°. Phisic; sed non de necessitate concludit, nisi de intellectu, qui deliberando investigat, quid agendum sit, quod est simile motui; talis autem est intellectus humanus, sed non divinus.

Ad 4um. dicendum, quod ponentes aeternitatem Mundi, ponunt aliquam Regionem infinities esse mutatam de inhabitabili in inhabitabilem, et converso; et similiter ponunt, quod artes propter diversas corruptiones, et accidentia, infinities fuerunt inventae, et iterum corruptae; unde Aristoteles dicit in libro Metheo. quod ridiculum est ex huiusmodi particularibus mutationibus opinionem accipere de novitate totius.

Ad 5um. dicendum, quod si Mundus semper fuisset, non tamen parificaretur Deo in aeternitate, quia ut Boetius dicit in fine 5.ᵗⁱ de consolatione: esse divinum est totum simul, et absque successione;

non autem sic est de Mundo.

Ad 6um. dicendum, quod transitus semper intelligitur a termino in terminum; quæcumque autem præterita dies signetur ab illa usque ad hanc, sunt infiniti dies, qui pertransiri poterunt; obiectio autem procedit, ac si positis extremis, sint media infinita.

Ad 7um. dicendum, quod in causis efficientibus impossibile est procedere in infinitum per se, ut puta si causæ, quæ per se requiruntur ad aliquem effectum multiplicarentur in infinitum; sicut si lapis moveretur a baculo, baculus a manu, et hoc in infinitum; sed per accidens in infinitum procedere in causis agentibus non reputatur impossibile, ut puta si omnes causæ, quæ in infinitum non teneant ordinem, nisi unius causæ; sed earum multiplicatio sit per accidens; sicut artifex agit multis martellis; quia unus post alium frangitur; accidit vero huic martello, quod agat post actionem alterius martelli; et similiter accidit huic homini in quantum generat, quod sit generatus ab alio; generatem

in quantum homo, et non in quantum est filius alterius hominis; omnes enim homines generantes habent unum gradum in causis efficientibus, scilicet gradum particularis generantis; unde non est impossibile, quod homo generetur ab homine in infinitum; esset autem impossibile si generatio huius hominis dependeret ab hoc homine, et a corpore elementari, et a sole, et sic in infinitum.

Ad 8.um dicendum quod hanc rationem ponentes æternitatem Mundi multipliciter effugiunt; Quidam enim non reputant impossibile esse infinitas Animas actu, ut patet in Metaphysica Algazelis dicentis hoc esse infinitũ per accidens; sed esse infinitum actu per se, vel per accidens 3.o Phis. improbatum est, et ratis a S. Thoma reprobatũ 1. p. q. 7. a. 3. et 4; Quidam vero dicunt Animam corrumpi cum corpore; Quidam, quod ex omnibus Animabus remanet una tantum; Alii vero, ut Augustinus dicit, posuerunt propter hoc circuitum Animarum, ut scilicet Animę separatę a corporibus post determinata temporum curricula, iterum re-

dixeri ad corpora; considerandum tamen, quod hæc ratio particularis erit, unde posset quispiam dicere, quod Mundus fuit æternus, vel saltem aliqua creatura, ut Angelus non autem homo; nos autem intendimus universaliter an aliqua creatura fuit ab æterno. Hæc S. Thomas 1ª p. q. 46. a. 2.

QUÆSTIO.

Super versu: terra autem erat inanis, et vacua, sive invisibilis, et incomposita secundum aliam literam Gen. 1. et super nonnullis aliis versibus eiusdem capituli, potest quæri.

Utrum omnia fuere simul creata, et per species distincta, Vel utrum informitas materiæ tempore præcesserit formationem ipsius.

Quod simul producta, et non fuit præcessio temporis patet primo Eccleci. 18: qui vivit in æternum, creavit omnia simul.

2° quia magis distant spiritualis, et corporalis creatura, quam duæ corporales; sed spiritualis, et corporalis communiter facta simul, po-

nuntur: ergo multo fortius omnes corporales.

3.º quia ut dicitur Deuteronomii 32: Dei perfecta sunt opera; nec potest esse ratio, quare perfectio differtur ad tempus, quam creatura per se consequi non poterat, nec ab alio, nisi à Deo, cum ergo creaturæ secundum suas perfectiones in species distinguantur, videtur, quod à principio sub distinctione specierum creata sint omnia.

4.º opus creationis divinam Potentiam manifestat; sed potentiam agentis minus determinat potentiam agentis effectus successive completus, quam subito in sua perfectione productus: ergo videtur, quod à principio omnia simul distincta creata sint.

5.º Constat, quod Deus totum opus unius diei in uno momento produxit: ergo videtur ridiculū dicere, quod in toto die ab operando cessaverit usque ad principium alterius diei, quasi lassus ex opere: Ergo apparet, quod non per successiones dierum creaturæ distinctæ sunt; sed à principio creationis.

6.º partes universi dependent ab invicem

præcipue inferiorem superioribus; sed eorum, quæ ab invicem dependent unum non est sine alio: ergo videtur inconveniente dici, quod primo fuit aqua, et terra, et postmodum stellæ sint factæ.

7.° materia potior est accidente, quia materia est pars substantiæ; sed Deus potest facere, quod accidens sit sine subiecto, ut patet in sacramento Altaris: ergo potuit facere, quod materia fuerit sine forma; sed hoc videntur insinuare verba illa: terra autem erat inanis, et vacua: ergo informitas præcessit tempore formationem.

8.° si pro tanto materia informis dicitur, quod elementa nondum proprium, et naturalem situm habebant, ex consequenti videtur, quod secundum hoc eius formatio intelligitur, quod elementis naturalis situs attribuitur; sed hoc non videtur in rerum distinctione; nam aliquæ aquæ ponuntur supra Coelos; est tamen naturalis situs aquarum, ut sit sub aere supra terram immediate, ut patet 4.° de Coelo: ergo non intelligitur materiæ informitas quantum ad situm, ut quidam dicebant,

sed quo ad formam.

In contrarium arguitur nam Augustinus super Gen. 11 dicit, quod maior est huius scripturæ auctoritas, quæ habetur in principio Gen., quam omnis humani ingenii perspicacitas; sed ibi scriptum est per senarium dierum creaturas fuisse distinctas: ergo videtur, quod ita est necessarium ponere.

2° natura imitatur operationem Creatoris; sed in operatione naturali est processus de imperfecto ad perfectum: ergo videtur, quod etiam in operatione creatoris, et ita videtur, quod non omnia simul fuere distincta in ipso creationis principio.

3° formatio creaturæ corporalis facta fuit per opus distinctionis; distinctioni autem opponitur confusio, sicut formationi informitas; si ergo informitas præcessit tempore formationem materiæ, sequitur a principio fuisse confusionem corporalis creaturæ, quam antiqui vocaverunt Chaos.

Pro responsione primo notandum, quod sicut dicit Augustinus 12 Confessionum circa hanc quaestionem potest esse duplex disceptatio; una de ipsa rerum veritate; alia de sensu literae, quam Moises divinitus inspiratus principium Mundi nobis exposuit. Ad primam vero disceptationem duo sunt vitanda, quorum primum est ne in hac quaestione aliquid falsum asseratur, et praecipue quod veritati Fidei contradicat; Secundum ne quicquid verum aliquis esse crediderit statim velit asserere hoc ad veritatem Fidei pertinere; quia ut Augustinus dicit 5 confessionum obest si ad ipsam doctrinae pietatis formam pertinere quis arbitretur falsum, scilicet, quod credit, et pertinaciter affirmare audeat, quod ignorat; propter hoc autem obesse dicit, quia ab Infidelibus veritas Fidei irridetur, quum ab aliquo simplici Fideli, tanquam ad Fidem pertinens, aliquid proponitur, quod certissimis documentis falsum esse ostenditur; et idem dicit sup. Gen. ad lit. li.° 1.°

Circa secundam disceptationem duo etiam

sunt vitanda; quorum primum est, ne aliquis id quod patet esse falsum dicat in verbis scripturæ, quæ rerum creationem docet debere intelligi; Scripturæ enim divinæ a Spiritu Sancto traditæ non potest falsum subesse, sicut nec Fidei, quæ per eam docetur; Secundum est ne aliquis ita Scripturam ad unum sensum cogere velit, quod alios sensus, qui in se veritatem continent, et possunt salva circumstantia literæ Scripturæ aptari penitus excludantur; hoc enim ad dignitatem Divinæ Scripturæ pertinet, ut sub una litera multos sensus continebit, ut sic et diversis intellectibus huiusmodi conveniat, et unusquisque miretur se in Divina Scriptura posse invenire veritatem, quam mente conceperit, et per hoc etiam contra Infideles facilius deffendatur, dum si aliquid quod quisque ex sacra Scriptura velit intelligere falsum apparuerit, ad alium eius sensum possit haberi recursum; unde non est incredibile Moisi, et aliis Sacræ Scripturæ auctoribus hoc divinitus esse concessum, ut

diversa vera, quæ homines poterant intelligere, ipsi cognoscerent, et ea sub una serie literæ designarent, ut sic quilibet eorum sit sensus auctoris; unde si etiam aliqua vera ab expositoribus sacræ scripturæ literæ aptentur, quæ auctor non intelligit, non est dubium quin Spiritus Sanctus intellexerit, qui est principalis auctor Divinæ scripturæ; unde omnis veritas, quæ salva literæ circumstantia potest Divinæ scripturæ aptari, est eius sensus. Hæc S. Thom. Potentia q. 4. a. 1.

2.º notandum, quod quædam sunt per se de substantia Fidei, ut Deum esse Trinum, et Unũ, et huiusmodi in quibus nulli licet aliter opinari; unde Apostolus ad Gal. 1.º dicit, quod si Angelus Dei aliter evangelizaverit, quam ipse docuerat, anathema sit; Quædam vero pertinent ad Fidem per accidens tantum in quantum scilicet in scripturam traduntur, quam Fides supponit, Spiritu Sancto dictante, promulgatam esse, quæquidem ignorari sine periculo possunt ab his, qui non tenentur scire scripturas, sicut

multa historialia; et in his etiam sancti diversa senserunt, scripturam divinam diversimode exponentes. Sic ergo circa Mundi principium aliquid est quod ad substantiam Fidei pertinet, scilicet Mundum incepisse creatum, sicut precedenti questione dictum est, et ideo in hoc omnes sancti conveniunt; quo autem modo et ordine factus sit non pertinet ad Fidem, nisi per accidens in quantum in Scriptura traditur, cuius veritatem diversa expositione sancti salvantes diversa tradiderunt. Augustinus enim vult in ipso creationis principio quasdam res per species suas distinctas fuisse in natura propria, ut elementa ad corpora Coelestia, et substantias spirituales; Alia vero in rationibus seminalibus tantum, ut animalia, plantas, et homines, que omnia postmodum in naturis propriis producta sunt in illo opere, quo post senarium illorum dierum Deus naturam prius conditam administrat; de quo opere Jo. 5.º Pater meus usque modo operatur, et ego operor; nec in distinctione rerum attendendum esse ordinem temporis, sed nature et doctrine, nature sicut sonus precedit cantum natura, sed non tempore;

Et ita quę naturaliter priora sunt prius facta memorantur; sicut terra prius, quam animalia, et aqua prius, quam pisces, et sic de aliis; doctrinę vero ordine, sicut patet in docentibus Geometriam; quãvis enim partes figurę sine ordine temporis figurã constituant; tamen Geometria docet constitutionẽ fieri protrahendo lineam post lineam, et hoc fuit exemplum Platonis, vt dicitur in principio li. de Coelo; Ita etiam, et Moises rudem Populum de creatione instruens per partes divisit, quę simul facta sunt. Gregorius vero, et alii sancti, scilicet Ambrosius, Magnus Basilius, Chrisostomus posuint ordinẽ temporis in distinctione rerum servatum; quę quidem positio est communior, et magis consona verbis literę quantum ad superficiem; sed opinio Augustini est rationabilior, et magis deffendens Sacram scripturam ab irrisione Infidelium, quod valde observandum docet Augustinus super Gen. li. 1.° dicens, quod sic scripturę exponantur, quod ab Infidelibus non irrideantur, et hęc opinio plus mihi placet. Hęc S. Thom. 2.° Sn. dist. 13. a. 2.

Pro maiore declaratione dictarum opinionum, scilicet Augustini ex una parte, et memoratorum Doctorum ex alia, Tertio notandum, quod quamvis dictae opiniones videantur contrariae, tamen parum ad invicem differunt; aliter enim accipit Augustinus informitatem materiae, quam alii; nam accipit informitatem pro carentia omnis formae, et sic est impossibile dicere, quod informitas materiae praecesserit tempore, vel formationem ipsius, vel distinctionem; et quidem de formatione satis constat; si enim materia informis praecessit duratione, hoc iam erat actu, hoc enim duratio importat; creationis enim terminus est ens actu, ipsum autem quod est actus est forma; dicere igitur materiam esse sine forma est dicere ens actu sine actu, quod implicat contradictionem. Nec etiam potest dici, quod habuit aliquam formam communem, sed postmodum supervenerunt ei formae diversae, quibus sit distincta; Quia hoc esset idem cum opinione antiquorum naturalium, qui posuerunt materiam primam esse aliquod corpus in actu, puta ignem,

aerem, aut aliquam, aut aliquod medium; Ex quo sequebatur, quod fieri non esset, nisi alterari, Quia quum illa forma præcedens daret esse actu in genere substantiæ, et faceret esse hoc aliquid, sequebatur, quod sequens forma non faceret simpliciter ens actu, sed ens actu hoc, quod est proprium formæ accidentalis, et sic sequentes formæ essent accidentia secundum quæ non attenditur generatio, sed alteratio; Et iterum quum nihil possit contineri in genere, quod per aliquam generis differentiã ad speciem non determinet, non potest materia esse ens quin ad aliquem specialem modum essendi determinetur, quodquidem non fit, nisi per formam; Vnde oportet dicere, quod materia prima, nec fuit creata omnino sine forma, nec sub forma communi, sed sub formis distinctis, et ita si informitas materiæ refferattur ad conditionem primæ materiæ, quæ secundum se non habet aliquam formam, informitas materiæ non præcessit formationẽ, seu distinctionem ipsius tempore, vt Augustinus dicit, Sed origine,

seu naturâ tantum eo modo quo potentia est prior actu, et pars toto. Alii vero sancti acci-piunt informitatem non secundum quod excludit omnem formam, sed secundum quod excludit hanc formositatem, aut decorem, qui nunc apparet in corporea creatura, et secundum hoc dicunt, quod informitas materiæ corporalis duratione præcessit formationem eiusdem; et similiter secundum hoc quantum ad aliquid cum eis Augustinus concordat, et quantum ad aliquid discordat.

Et quantum ex litera Gen. accipi potest triplex formositas deerat propter quod dicebatur creatura corporalis informis; deerat enim cœlo toto corpore dyaphono, quod dicitur Cœlum pulchritudo lucis; unde dicitur, quod tenebræ erant super faciem Abyssi; terræ autem deerat duplex pulchritudo; una, quam habet ex hoc quod est aquis discooperta, et quantum ad hoc dicitur, quod terra erat inanis, et Vacua, sive invi-sibilis, quia corporali aspectui patere non poterat

propter aquas undique eā cooperientes; alia vero, quam habet ex hoc, quod est ornata her- bis, et plantis, et ideo dicitur, quod erat vacua, et incomposita, idest non ornata secundum aliā literam, et sic quum præmisisset duas naturas creatas, scilicet Coelum, et terram, informitatem Coeli expressit per hoc quod dixit: tenebræ erant super faciem Abyssi secundum quod sub Coelo etiā aer includitur; Informitatem verò terræ per hoc, quod dicit: terra erat innanis, et vacua. Hoc S. Thom. 1a. p. q. 66. a. 1o. in Responsione.

Ad cognoscendum autem plenius in quibus conveniant, et dissentiant Augustinus, et alii Doctores, Quarto notandum est, quod Augustinus tam 2o. sup. Gn. ad lit. quam 11 de civitate Dei, et ad Orosium vult, quod omnes illi 7 dies sunt unus dies septemplicitur rebus præsentatus; Alii vero expositores senserunt, quod fuere septem dies diversi, et non unus tantum; quæ opiniones si refferantur ad expositionem literæ Genesis magnam diversitatē habent; nam secundum Augustinum per diem

intelligitur cognitio mentis Angelicę, ut sic pri-
mus dies sit cognitio primi operis divini, secun-
dus dies cognitio secundi operis, et sic de aliis; et di-
-citur unumquodque opus esse factum in aliqua die,
quia nihil Deus produxit in rerum naturam, quod
non impresserit menti Angelicę, quę quidem multa
simul potest cognoscere, precipue in verbo in quo
omnis Angelorum cognitio perficitur, et terminatur; et sic distinguuntur dies secundum natura-
lem ordinem rerū cognitarum, non secundū succes-
sione cognitionis, aut secundum successionem producti-
onis rerum; Cognitio autē Angelica proprie,
et vere dies nominari potest, quia lux, quę est
causa dici proprie in spiritualibus secundū
Augustinum invenitur; secundum vero alios
per dictos dies, et successio rerum temporaliū
ostenditur, et successio productionis rerum; sed
si dictę opiniones referantur ad modum producti-
onis rerum non invenitur magna differentia,
et hoc propter duo in quibus diversificatur Au-
gustinus ab aliis; primò quidem, quia Augustinus

per terram, et aquam prius creatam intelligit materiam totaliter informem per perfectionem autem firmamenti, et congregationem aquarum, et aparitionem aridæ intelligit impressionem formarum in materiam corporalem; Alii vero sancti per terram, et aquam primo creatas intelligunt ipsa Mundi elementa sub propriis formis existentia; per sequentia autem opera aliquam distinctionē in corporibus prius existentibus.

Secundo autem differunt quantum ad productionē plantarum, et animalium, quę alii ponunt in opere 6 dierum esse producta actu; Augustinus vero potentialiter tantum; In hoc ergo quod Augustinus ponit opera 6 dierum esse simul facta, sequitur idem modus productionis rerum; nam secundum utrosque in prima eorum productione materia erat sub formis substantialibus elementorū, et secundum utrosque in prima rerū institutione non fuerunt animalia, et plantę in actu. Sed remanet differentia quantum ad 4, quia se-cundum alios sanctos post productionem creaturę

fuit aliquod tempus, in quo non erat lux; item in quo non erat firmamentum formatum; item in quo non erat terra discooperta aquis, et in quo non erat formata coeli luminaria, quod est quartum, quae non oportet ponere secundum opinionem Augustini; si tamen secundum aliorum opinionem ponatur, videtur congruere ordini sapientiae Artificis, qui res producens in esse, non statim post nihilum in ultima perfectione naturae eas instituit, sed primo eas fecit in quodam esse imperfecto, et postea ad perfectum adduxit, ut sic et rerum esse ostenderetur a Deo procedere contra illos, qui ponunt materiam increatam, et nihilominus perfectionis rerum ipse etiam auctor appareret contra eos, qui rerum inferiorum formationem aliis causis ascribunt. Et quia utrumque sensum circumstantia literae patitur, utrumque sustinentes ad rationes utriusque partis respondeamus.

Ad primum ergo dicendum, quod secundum Gregorium dicuntur omnia simul creata per substantiam materiae, et non per speciem formae.

Vel etiam in sua similitudine, sicut Anima Rationalis, quæ Angelis similis est non ex materia propagando.

Ad 2um. dicendum, quod corporalia omnia communicant in materia, sive sit una, sive plures. Et quia materia non præcedit compositũ ideo secundo temporis ordini naturæ responderet prius facta est materia corporalis, et subinde per formam distincta. Non autem corporalis natura ex spirituali producitur, vel sicut ex materia, vel sicut ex efficienti, et ideo non est similis ratio.

Ad 3um. dicendum, quod sicut creatura non habet esse ex se, ita nec perfectionem, et ideo ad utrumque ostendendum voluit, ut creatura prius non esset, postmodum esse, et similiter prius esse imperfecta, et postmodum perfecta.

Ad 4um. dicendum, quod in creatione non tantum debet ostendi potentiæ virtus, sed etiam sapientiæ ordo, ut quæ prius natura sunt, prius etiam instituantur.

Ad 5um. dicendum, quod ad ostendendum

diversarum partitionum naturam voluit Deus, ut unicuique secundum distinctionem dies unus responderet non ex aliqua necessitate, vel lassitudine operantis.

Ad 6um. dicendum, quod non est eadem natura rei iam perfectae, et prout est in fieri; et ideo quamvis natura Mundi completi hoc exigat, ut omnes partes essentiales universi sint simul, potuit tamen aliter esse ab ipsa Mundi factione, sicut in homine perfecto non potest esse cor sine aliis partibus, et tamen in formatione embrionis cor ante omnia membra generatur.

Ad 7um. dicendum, quod accidens, cum sit forma, et actus quidam, materia autem secundum id quod est, est ens in potentia; unde magis repugnat esse in actu materiae sine forma, quam accidenti sine subiecto.

Ad 8um. dicendum, quod de aquis, quae supra Caelos sunt, diversimode aliqui opinati sunt; quidam namque dixerunt aquas illas spirituales esse naturas, quod imponitur Origeni; unde in

Psalmo dicitur: et aquę quę super Coelos sunt lau-
dent nomen Domini; et Dan. 3: benedicite aquę
omnes, quę super coelos sunt Domino; sed ad hoc
respondit Basilius in 3. exameron, quod hoc non
dicitur de eo quod aquę sint rationales creaturę; sed
quia consideratio earum prudenter sensum ha-
bentibus contemplatio glorificationem perficit cre-
atoris; unde ibidem dicitur de igne, et grandine, et
huiusmodi de quibus constat, quod non sunt rati-
onabiles creaturę; Item hoc quidem non videtur ad
literam posse intelligi, cum spiritualibus na-
turis situs non competat, ut sic inter eas, et
inferiores aquas corporeas dividat firmamentum,
ut Scriptura tradit; unde alii dicunt, quod nomi-
ne firmamenti intelligitur Coelum aereum no-
bis vicinum supra quod elevantur per vaporum
ascensionem aquę vaporabiles, quę sunt ma-
teria pluviarum, ut sic inter aquas superiores,
quę sunt in medio aeris interstitio vaporabiliter
suspensę, et aquas corporeas, quas videmus
supra terram consistere medium existat

aereum coelum; et huic etiam expositioni concordat Raby Moises. Sed haec non videtur pati literæ circumstantia; nam postea subdit in litera, quod fecit Deus duo luminaria magna, et stellas, et posuit eas in firmamento coeli; et ideo alii dicunt, quod per firmamentum intelligitur coelū sydereum, et quod aquæ super coelos existentes sunt de natura elementorum, et sunt ibi positæ ex divina Providentia ad temperandum ignis virtutem, ex quo totum coelum constare dicebant, ut Basilius tangit; et ad hoc astruendum duplex argumentū ^Augustinus^ dicit in 2.° sup. Gn̄. ad lit. adquibusdam induci, quorum unum est, quod si aliqua aqua rarefactione facta potest ascendere usque ad medium aeris intersticium, ubi pluviæ generantur; sed amplius divisa rarescat, quia est in infinitum divisibilis, sicut et omne continuum poterit sua subtilitate supra Coelum sydereum conscendere, et ibi convenienter esse.

Aliud argumentum est quod stella Saturni, quæ deberet esse calidissima propter velo-

cissimum motum, in quantum eius circulus est maior, invenitur frigidi effectus, quod dicunt ex vicinitate illius aquę contingere prędictam stellā infrigidantis. Sed hęc expositio videtur deficere, quia avexit quędam per scripturam sacram intelligi, quorum contrarium satis evidentibus rationibus probatur; primo quidem quantum ad ipsam positionem, quę videtur naturalem situm corporum pervertere; cum enim unumquodque corpus tanto debeat esse superius, quanto formalius non videtur rerū naturę congruere, ut aqua, quę inter omnia corpora, excepta terra, est materialior etiam supra ipsū siderum coelū collocetur; et iterum ea, quę sunt unius speciei diversum locum naturalem sortiantur, quod erit, si una pars elementi aquę erit in medietate supra terram; alia vero supra Coelum; nec est sufficiens responsio, quod omnipotentia Dei aquam illam contra earum naturam supra Coelum sustinet; Quia nunc quęritur qualiter Deus instituerit naturas rerum,

non quid ex eis ad miraculum potentiæ suæ velit operari, vt Augustinus in eodem libro dicit.

2.º quia ratio de rarefactione, vel diuisione aquarum videtur omnino vana; et si enim corpora Mathematica possint in infinitum diuidi corpora, tamen naturalia ad certum terminũ diuiduntur, Suum vnicuique formæ determinetur quantitas secundum naturam, sicut et alia accidentalia; vnde nec rarefactio in infinitum esse potest, sed usque ad certum terminum, qui est in raritate ignis; et propterea aqua tantum rarefieri posset, sed vsque ad terminũ certum, qui est in raritate ignis; et preterea aqua tantum rarefieri posset, quod iam non esset aqua, sed aer, vel ignis, si transcenderet modum raritatis aquæ; nec posset naturaliter excedere aeris, et ignis spatia, nisi natura aquæ amissa vinceret eorum raritatem; nec iterum esset possibile, vt corpus elementare, quod est corruptibile formaliter fieret coelo sidereo, quod est incorruptibile, et sic supra ipsum naturaliter colocaretur.

Tertio quia secunda ratio omnino fri-
vola apparet; nam corpora cœlestia non sunt
susceptiva peregrinæ impressionis, ut à Phis.
probatur; nec esset possibile stellam Saturni ab
aliis aquis infrigidari, nisi etiam omnes stellæ,
quæ sunt in octava sphera infrigidarentur, qua-
rum tamen plurimæ inveniuntur esse calidæ
secundum effectum. Et rationabiliter videtur
esse dicendũ ad hoc ~~ad hoc~~, quod scripturæ veritas
ab omni calumnia defferdatur, ut dicamus,
quod aquæ illæ non sunt de natura harum aquarũ
elementarium; sed sunt de natura quintæ essen-
tiæ habentes communẽ cum nostris aquis dy-
aphonitatẽ, sicut et cœlum empireum cum
nostro ignem consequentem splendorem; quas
aquas quidam vocant cœlum christalinum;
non quia sit de aqua congellata in modum
christalli; quia ut Basilius in exameron di-
cit puerilis reverentiæ, et insipientiæ mentis
est talẽ de cœlestibus capere opinionem; sed prop-
ter illius cœli solliditatem, sicut et de omnibus

caelis soliditatem dicitur Iob. 37. qui solidissimi quasi ære fusi sunt, et hoc caelum etiam ab Astrologis ponitur nona sphera. Unde nec Augustinus aliquam de prædictis expositionibus asserit, sed sub dubitatione dimittit dicens in eodem libro quomodo, et quales aquæ ibi sint esse ibi eas minime dubitemus; Maior quippe est huius scripturæ auctoritas, quam omnis humani generis capacitas.

Ad argumenta in contrarium. Ad primum dicendum, quod auctoritati scripturæ in nullo derogatur, dum diversimode exponitur, salva tamen Fide, quia maiore veritate eam Spiritus Sanctus fecundavit, quam aliquis homo adinvenire possit.

Ad 2um. dicendum, quod hoc est ex imperfectione creaturæ, quod ex imperfecto ad perfectionem operando venit, quæ procul dubio ultimam perfectionem daret, quantumcumque posset, servata tamen operis conditione, et ideo non oportet, quod in hoc divinum opus operationi creaturæ sit simile.

Ad 3um. dicendum, quod quidam anti-
quorum naturalium posuerunt confusionem
excludentem omnem distinctionem praeter hoc
quod Anaxagoras posuit solum intellectum dis-
tinctum, et immixtum; sed ante opus distinc-
tionis scriptura sacra ponit multiplicem
distinctionem, primum quidem Coeli, et Terrae,
in quo ostenditur distinctio etiam secundum
materiam, et hoc cum dicit: in principio cre-
avit Deus coelum, et Terram &a. Secundo per
distinctionem elementorum, quantum ad formas
suas per hoc quod nominat terram, et aquam;
aerem autem, et ignem non nominat, quia
non est ita manifestum rudibus, quibus Moises
loquebatur huiusmodi esse corpora; sicut ma-
nifestum est de terra, et aqua; quamvis Plato
aerem intellexerit significari per hoc quod
dicitur spiritus Domini, qui etiam aer spi-
ritus dicitur; ignem vero intellexit significari
per coelum, quod ignee naturae esse dixit in 13
de civit. Dei c.º 16. Sed Rabymoises in aliis

cum Platone concordans dicit ignem significari per tenebras; quia ut dicit in propria sphera non lucet; sed magis videtur esse conveniens, quod prius dictum est; quia Spiritus Domini in Scriptura non nisi pro Spiritu Sancto consuevit poni, qui aquis superferri dicitur non corporaliter, sed sicut voluntas Artificis superfertur materię, quam vult formare. Tertia distinctio significatur secundum situm; quia terra erat sub aquis, quibus invisibilis reddebatur; aer vero, qui est subiectum tenebrarum, significatur fuisse super aquas per hoc quod dicitur: tenebrę erant super faciem Abyssi.

QVÆSTIO.

Super versu: dixitque Deus fiat lux, et facta est lux Gn. 1° quęritur utrum convenienter lucis productio in prima die ponatur.

Videtur quod non. Primo nam lux est quędam qualitas; sed qualitas quum sit accidens non habet rationem primi, sed magis rationem postremi; non ergo debuit poni productio lucis prima die.

2°. nam per lucem distinguitur nox à die; hoc autem fit per solem, qui ponitur factus die quarta: ergo non debuit poni prima die productio lucis.

3°. nox, et dies fit per circularem motum corporis lucidi; sed circularis motus est proprius firmamenti, quod legitur factum die secunda: ergo non debuit poni in prima die productio lucis distinguentis noctem, et diem; si vero quis dicat, quod intelligitur de luce spirituali secundum opinionem S. Augustini; Contra: lux, quæ legitur facta prima die facit distinctionem à tenebris; sed in principio non erant spirituales tenebræ; quia etiam Dæmones fuerunt boni à principio: non ergo prima die debuit poni productio lucis.

In contrarium: id sine quo non poterat esse dies, opportuit fieri in prima die; sed sine luce non poterat esse dies: ergo opportuit lucem fieri prima die.

Pro responsione dicendum, quod de productione lucis est duplex opinio. Augustinus enim videtur dicere, quod non fuerit conveniens Moysē

prætermisisse spiritualis creaturæ productionem,
et ideo dicit, quod cum dicitur: in principio cre-
avit Deus Coelum, et Terram, per Coelum intelli-
gitur spiritualis natura adhuc informis; per ter-
ram autem intelligitur materia informis cor-
poralis creaturæ; et quia natura spiritualis dig-
nior est, quam corporalis, fuit prius formanda;
formatio igitur spiritualis naturæ significatur
in productione lucis, vt intelligatur de luce spiri-
tuali, quæ est per hoc quod natura spiritualis
illuminatur, vt adhæreat Dei verbo. Aliis autem
videtur, quod sit prætermissa à Moyse productio
spiritualis creaturæ; sed huius prætermissionis
rationem diversimode assignant; Basilius enim
dicit, quod Moyses principium narrationis suæ
fecit à principio, quod ad tempus pertinet sensibi-
lium rerum; sed spiritualis natura, idest, Ange-
lica prætermittitur, quia fuit ante creata; Chrisosto-
mus autem assignat aliam rationem, quia
Moyses loquebatur rudi Populo, qui nihil nisi
corporalia poterat capere, quem etiam ab Idolatria

revocare volebat, accepissent autem Idolatriæ occasionem, si propositæ fuissent eis aliquæ substantiæ supra omnes corporeas creaturas, eas enim Deos reputavissent, maxime, quia proni erant ad hoc, quod solem, et Lunam, et stellas colerent, tanquam Deos, quod inhibetur eis Deut. 4; præmissa autem fuerat circa creaturam corporalem multiplex informitas; una quidem in hoc quod dicebatur: terra erat inanis, et vacua; alia vero in hoc quod dicebatur: tenebræ erant super faciem Abyssi; necessarium autem fuit, ut informitas tenebrarum p.° removeretur per lucis productionem propter duo; primo quidem, quia lux est qualitas primi corporis, unde secundum eam primo fuit Mundus formandus; Secundo propter communitatem lucis, communicant enim in ea inferiora corpora cum superioribus, sicut autem in cognitione proceditur a communioribus, ita etiam in operatione nam prius generatur vivum quam animal, et animal, quam homo, ut dicitur in libro de generatione animalium; sic erg.

opportuit ordinem divinę sapientię manifestari, ut prima inter opera distinctionis produceretur lux, tanquam primi corporis forma, et tanquam communior; Basilius autem posuit tertiam rationẽ scilicet, quia per lucem cetera omnia manifestantur; potest etiam quarta ratio addi, quę in obiiciendo est tacta, quia dies non potest esse sine luce, unde oportet in prima die fieri lucem.

Ad argumenta in contrarium dicendum ad primũ, quod secundum opinionem, quę ponit informitatem pręcedere duratione materię formationem, oportet dicere, quod materia ã principio fuerit creata sub formis substantialibus, postmodum fuit formata secundum aliquas conditiones accidentales inter quas primum locũ obtinet lux.

Ad 2um. dicendum, quod quidam dicunt lucem illam fuisse quandam nubem lucidam, quę postmodum facto sole in materiam pręiacentem redivit; sed illud non est conveniens, quia

Scriptura in principio Gen. commemorat in-
stitutionē naturę, quę postmodum perseverat;
unde non debet dici, quod aliquid tunc factum fu-
erit, quod postmodum esse desierit; et ideo dicunt
alii, quod illa nubes lucida adhuc remanet, et
est coniuncta soli, ita ut ab eo discerni non possit,
sed secundum hoc illa nubes superflua remane-
ret, nihil autem est vanum in operibus Dei;
et ideo alii dicunt, quod ex illa nube formatum
est corpus solis, sed hoc etiam dici non potest,
si ponatur corpus solis non esse de natura
4 elementorum, sed esse incorruptibile per
naturam, quia secundum hoc materia eius non
potest esse sub alia forma, et ideo dicendum est,
ut Dionisius dicit 4.° div. nom. quod illa lux
erat lux solis, sed adhuc informis, quantum ad
hoc quod iam erat substantia solis, et ha-
bebat virtutem illuminativam in communi,
sed postmodum data est ei specialis, et determi-
nata virtus ad particulares effectus, et secundum
hoc in productione huius lucis distincta est lux

et tenebris quantum ad tria; primo quidem quantum ad causam secundum quod in substantia Solis erat causa luminis, in opacitate autem terræ causa tenebrarum; Secundò quantum ad locum, quia in uno emisphærio erat Lumen in alio tenebræ; Tertiò quantum ad tempus, quia in eodem emisphærio secundum unam partem temporis erat lumen, secundum aliam tenebræ, et hoc est, quod dicitur: lucem vocavit diem, et tenebras noctem. Hæc S. Thom. 1. p. q. 67 a. tertio. ultim. ad secundum.

Sed Nicolaus de Lira volens deffendere tertiam opinionem, scilicet quod corpus solis ex nubecula illa sit factum 4 die, arguit contra S. Thom. dicens in Postilla Gen. 1º nec valet, quod contra hoc obijcit frater Thom. 1. p. summæ suæ dicens, quod non potest convenienter dici, quod in prima rerum productione aliquid sit productum satis cito corrumpendum, ex quo concludit inconvenienter dici solem factum ex illa nubecula, quia si sic fuisset corrupta, et addit

non enim corrumpuntur proprie loquendo, quæ

rarius mutantur in melius, vt dicitur 1.° de generat.

Sicut non dicuntur elementa proprie corrupta,

quando ex eis fit corpus mixtum; quia corrup-

tio proprio modo dicta est via ad deffectum, hic vero

ad perfectum; illa autem nubecula erat quid im-

perfectum respectu Solis; Ipse etiam Thomas in-

cidit in id quod reprobat, quia in opere sex a dierum

dixit, quod aves, et pisces facti sunt ex 4 elemen-

tis, licet in textu solum nominetur aqua, quod

non potuit fieri, nisi per corruptionem formarũ

elementarium modo prædicto. Hæc ille.

Sed Burgensis videns Nicolaum, nec

verba, nec sententiam S. Thomæ ad suam contra-

dictionem accepisse, respondet ad primum eius

motivum, quod si bene, et de recenti advertisset sen-

tentiam Sancti Tho. non dixisset eum improbasse

illam opinionem, quam toto loco posuit, scilicet

quæ dixit corpus solis factum fuisse ex nube

lucida ex ratione illa, quam Nicolaus tangit,

sed primam scilicet, quod nubes illa facto sole

in præiacentem rediit materiam, ad quam reque-
batur nubeculam illam vere, proprieque corrum-
pi, quum in viliorem non transiisse; quibus autẽ
ex nube larida non fuerit formatum corpus solis,
quæ tertia opinio recitatur à S. Thom, destruit
per aliud medium; Quia scilicet materia solis
non potuerit præfuisse sub alia forma, si ponatur
Sol secundum naturam corpus incorruptibile.

Sed Magister Mathias hanc explanationẽ
veritatis non ferens conatur exorta replicatione
rationem Nicolai restituere, de cuius auctoritate,
bonitate, et doctrina non possum satis admirari,
nempe non mihi videtur pii consilii velle aliquẽ
Doctorem in omnibus deffendere, nec credo aliquẽ
prudentem in via Domini scriptorem hanc arrogã-
tiæ partem sibi voluisse tribui, ut in omnibus
putet se recte dixisse, aut ægre ferat si quis ab
aliqua eius sententia dissentiat, quandoquidem
magnus Augustinus doctrinæ, ac sanctitatis
norma, et alii compares eius non solum sibi
hanc singularitatem non vendicarunt, sed quia

profundam eorum humilitatem non sapiebat, se quam studiosissime excusserunt; licuitque etiã Ethnico Aristoteli 1°. ethic. dicere pro defensione Veritatis etiam propria, quasi diceret non solum aliena impugnare oportere; nam quum ambo sint amici pium est veritatem in honore præfferre, quæ etiam res, nec Poetam Oratium prætexit, quum dixit: nullius addictus iurare in verba Magistri; In multis autem offendimus omnes, et qui non offendit in verbo, hic perfectus est vir, velle igitur omnia omnium omni tempore, omniqua loco deffendere iniquiorum, ac calumniatorum advocatorum patrocinium est, et argumentantium in scholis, aut vinci volentium sophistarum non timoratorum, et pudoratorum officium tractatorũ.

Dicit igitur Magister Mathias, quod impugnatio tertiæ opinionis d. S^to^. Thomæ innititur eidẽ medio quo prima opinio secundum eum destruitur, quod probat, quia ex obiectione S. Thom. contra 3^am^. opinionem duo ei videntur sequi; primum, quod ex illa luce sine sui corruptione corpus solis

fieri non potuit, quia materia solis non potuit
præfuisse sub alia forma sine corruptione pri-
oris, cuius formæ corruptio non erat conveniens,
quia nihil fuit in principio conditum cito corrũ-
pendum, quam rem dicit Nicolaus in verbis S. Thō.
intime perspexisse; Addit autem secundum, quod
sequi videtur ex dictis S. Thomæ est quod nulla
materia existens sub forma priori potest esse
sub forma posteriori, nisi priore corrupta, ideo
reprobat 3.am opinionem, quia forma solis spe-
cifica formã lucis genericam non compatitur,
quapropter ex luce non potuit fieri sol, nisi
forma lucis corrumperetur, quod est inconveniens
propter medium, quo p.a opinio a S.to Thoma
fuerat improbata. Hæc ille.

Si mens non læva fuisset, aut potuisset
hic casus dissimulari, aut unico humilitatis,
ac veritatis verbo prætereri, sed quando ita placuit,
cogimur ad prædicta respondere; et cum primo
dicit utriusque opinionis reprobationem a S.to
Thoma eodem medio uti, non constat, cum utramque

non eadem, sed diversa ratione computavit; et ad pro-
bationem dicendum, quod ex ratione S. Thomę con-
tra 3am. opinionem non sequitur aliud, quam
quod ipse exposuerit, scilicet, quod corpus solis non
potuit formari de nubecula, quia materia solis
non potuit esse sub alia forma, si ponatur cor-
pus solis incorruptibile, et non ex 4 elementis
mixtum; ex quo sequitur, quod materia solis
est intransmutabilis, et per consequens non
fuit sub forma nubeculę, nec ex ea sol formatus,
nihil enim aliud est unum ex alio composito fieri
naturaliter, quam materiam unius fuisse prius
sub forma alterius 1o de Generat; Et quum Ma-
gister Matthias dicit, quod in dictis S. Thomę in-
cluditur ista materia solis non potuit fuisse
sub alia forma sine corruptione prioris, verum
dicit, sed non quum dicit eadem corruptionem fuisse
in prima rerum productione, esse inconveniens
ad quod 3am. opinionem S. Thomas deducit, nec
corruptio prioris formę nubeculę est medium,
aut fundamentum suę argumentationis, sed illa

conditionalis de incorruptibilitate solis; ex qua sequitur materiam solis nunquam fuisse sub forma nubeculę, aut sub alia forma, et per consequens, quod ex nube non fuerit sol formatus.

Ex quibus manifeste patet, quod S. Thom. improbat tertiam opinionem non eodem medio quo primam, nec ex utraque adidem inconveniens deducit, sed medium argumentationis eius contra tertiam opinionem sumitur, ut dictum est ex conditione adiecta, scilicet si corpus solis ponatur incorruptibile, et inconveniens ad quod deducit tertiam opinionem est implicatio contradictionis, nam tertia opinione concessa, sequitur materiam solis primo fuisse sub forma nubeculę, et per consequens subiectum transmutationis, alias non fuisset mutatio naturalis, stante autē conditione, scilicet corpus solis esse incorruptibile, et non ex 4 elementis, sequitur materiam solis non prius fuisse sub alia forma, nec subiectum transmutationis, nam incorruptibiliū corporum

intransmutabilis est materia secundum formam, et sic ex adiecta conditione implicat; Idem dicit S. Thomas in quaestionibus de potentia q. 4. a. 2. arg.to ultimo, ubi sic arguit contra illud, quod corpus solis fuit formatum ex nubecula, omne illud, quod fit ex materia praecedenti habet talem materiam, in qua est possibilis formarum successio, talis autem non est materia solis, nec alicuius Coelestium corporum eo quod in eis non est contrarietas, ut probatur I.° de Coelo: ergo non potest esse, quod ex illa luce fuerit postmodum formatum corpus solis.

Ex quibus patet responsio ad replicas, seu propugnationes Magistri Mathiae, quod autem addidit de pluralitate formarum, et articulo Uroniae pro errore damnato non agit ad rem, quia non est locus disputandi pluralitatem formarum, nec articuli Uronienses, aut Parisienses sunt articuli S. Ecclesiae catholicae, ut necessario cogantur fideles eos tenere, unde de Parisiensibus articulis dicit Gotfredus de Fontibus Doctor egregius

quod indigent magna correctione, quia nonnulli sunt falsi, nonnulli sibi invicem contradicunt; et Egidius, ac alii dicunt, quod de articulis parisiensibus non est curandum; quia fuerunt facti non convocatis omnibus Doctoribus Parisiensibus, sed ad instantiam quorumdam capitorum; sane tales articuli non obligant omnes fideles, nec tenemur illis credere, nisi quatenus scripturę sacrę innituntur, aut determinationibus universalis ecclesię; unde est proverbium inter Oxonienses Anglicos, quod — articuli parisienses non transeunt mare, id est non cogunt Anglicos, et ita etiam parisienses possumus dicere, quod articuli parisienses non transeunt pirenęos, aut oxonienses oceanum.

Quod autem Nicolaus 2°. subiungit, addens, quod incidit S. Thomas in id, quod reprobat, tamet si non repugnet improbationi S. Thomę contra 3^{am}. opinionem, quia tamen pariet repugnare confutationi eius contra primam opinionem, respondet Burgensis, quod S. Thomas in ea argumentatione non improbat, quod in prima rerum institutione ex aliqua natura

producerentur aliæ species, sicut herbæ, et plantæ, et aves, ac pisces ex 4 elementis; sed dicit esse inconveniens, quod fuerit tunc factum aliquid, quod mox secundum totum desierit, ut puta totum unum elementum, aut quæ sub alia specie producta fuisset, et post modicum desierit esse.

Sed posset aliter dici ex intentione S. Thomæ, quod S. Thom. non incidit in id quod reprobavit, nam in productione herbarum &c. ex 4 elementis, quam ipse posuit, naturaliter fuit facta corruptio proprie dicta, quum ibi fuerit generatio perfectionis ex imperfectioni, unde 1ª p. q. 72 de opere 6 diei dicit S. Thomas: Ad 5um dicendum, quod quum generatio unius sit corruptio alterius, quod ex corruptione ignobiliorū generentur nobiliora, non repugnat primæ institutioni rerum, unde animalia, quæ generantur ex corruptione rerum inanimatarum, vel plantarū, potuerunt tunc generari, non autem, quæ generantur ex corruptione animalium, potuerunt tunc produci, nisi potentialiter tantum; unde contra primam opinionem, quæ posuit nube culam for-

mata sole rediisse in præiacentem materiam recte vtitur S. Thom. illo medio, quia scilicet in prima rerum institutione nihil fuit productum mox corrumpendum, quia fuit corruptio in minus perfectum, quod repugnat primæ institutioni; sed contra 3am. opinionem, quæ posuit transmutationem ex nube lucida fieri in melius, scilicet in corpus solis non est vsus eo medio, quia non erat pertinens; ex quibus patet infirmitas argumti. Nicolai.

Ad 3um. argumentum principalis quæstionis dicendum, quod Basilius dicit lucem, et tenebras tunc fuisse per emissionem, et contractionem luminis, et non per motum; sed contra hoc obicit Augustinus, quod nulla ratio esset huiusmodi vicissitudinis emittendi, et retrahendi luminis, cum homines, et animalia non essent, quorum viribus hoc deseruiret, et præterea hoc non habet natura corporis lucidi, vt retrahat lumen in sui præsentia, sed miraculose hoc potest fieri; in prima autem institutione non quæritur miraculum, sed quod natura rerum habeat,

ut dicit Augustinus, et ideo dicendum, quod duplex est motus in caelo; unus communis toti caelo, qui facit diem, et noctem, et hic videtur primo die institutus; alius autem est, qui diversificatur per diversa corpora secundum quos motus fit diversitas dierum ad invicem mensium, et annorum, et ideo in prima die fit mentio de sola distinctione noctis, et dici, quae fit per motum communem, in 4 autem die fit mentio de diversitate dierum, et temporum, et annorum, quum dicitur, sint in tempora, et dies, et annos, quae quidem diversitas fit per motus proprios.

Ad 1um. dicendum quod secundum Augustinum informitas non praecedit formationem duratione, unde oportet dicere, quod per lucis productionem intelligatur formatio spiritualis creaturae non quae est per Gloriam perfecta cum qua creata non fuit, sed quae est perfecta per Gratiam cum qua creata fuit, per hanc ergo luce facta est divisio a tenebris, id est ab informitate alterius creaturae non formatae; sed si tota

creatura simul formata fuit facta est distinctio à tenebris spiritualibus, non quae tunc essent, quia Diabolus non fuit creatus malus, sed quas Deus esse futuras praevidit.

QVAESTIO.

Super verbis: plantaverat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio in quo posuit hominem, quem formaverat Gen. 2. quaeritur utrum Paradisus sit locus conveniens habitationi humanae.

Videtur, quod non nam Beda dicit, quod Paradisus attingit lunarem circulum; sed secundum Philosophos, et Astrologos ille est locus elementi ignis, qui non convenit habitationi humanae: ergo Paradisus non est locus conveniens habitationi humanae.

2.° homo et Angelus similiter ordinantur ad Beatitudinem; sed Angelus, quam primum ab initio factus est habitator loci Beatorum, scilicet coeli empirei: ergo et ibi debuit institui habi-

tatis hominis.

3.° Paradisus est superior omni monte, quia aquę diluvii ascendentes super cacumina montium 15 cubitis non ascenderunt usque ad Paradisum; sed in aliquibus montibus non est conveniens locus habitationi humanę propter raritatem aeris, quod patet per Philosophos, qui volentes inquirere de astris, ascendebant altissimos montes portantes secum spongias plenas aqua ad condensandum aerem, sive ad hauriendum eum grossiorem, unde nec ros, nec pluvia, nec ventus ibi ascendunt, sicut dicit Solinus de olimpo monte.

4.° si locus aliquis debetur homini, aut convenit ei ratione Animę, aut ratione corporis; si Animę, debetur ei coelum pro loco, qui videtur locus naturalis Animę, quum omnibus sit insitus apetitus Coeli; ratione autem corporis non debetur ei alius locus, quam aliis animalibus: ergo Paradisus nullo modo fuit locus conveniens habitationi humanę.

5.to frustra est locus in quo nullum locatum continetur; sed post peccatum Paradisus non est locus habitationis humanę: ergo si est locus habitationi humanę congruus frustra videtur à Deo institutus.

6.° homini quum sit temperatę complexionis congruus est locus temperatus; sed locus Paradisi non est locus temperatus, dicitur enim esse sub circulo equinoctiali, qui locus videtur esse calidissimus, quum bis in anno sol transeat super cenith, aut summitatem capitum illic habitantiũ: ergo Paradisus non est locus congruus habitationi humanę.

Sed contra: quę à Deo fiunt convenientia, et ordinata sunt ad Ro. 13; sed Deus posuit hominẽ in Paradiso Gñ. 2: ergo fuit locus conveniens.

Secundò nam Damascenus dicit, quod Paradisus est divina Regio, et digna eius, qui secundum imaginem Dei erat conservatio.

3.° quia idem tenet Magister 2. Sñ. dist. 17 et est communis Ecclesię traditio.

Pro declaratione dicti dubii est notandum,
quod sicut dicit Augustinus 8. sup. Gn. ad lit. tres
sunt de Paradiso generales sententię; una eorũ,
qui spiritualiter tantum ea, quę de Paradiso scriptura
dicit, intelligi volunt; Alia eorum, qui tantum-
modo corporaliter Paradisum intelligi volunt;
Tertia eorum, qui utroqũe modo Paradisum accipiunt,
quam mihi fateor placere sententiam; prima
dictarum opinionum fuit Origenis, qui posuit
Paradisum non esse aliquem locum corrup-
tibilem; sed omnia, quę de Paradiso dicuntur,
allegorice esse de Paradiso spirituali interpre-
tanda, quod pro errore reprobat Epiphanius
Cipri episcopus in quadam epistola per Hi-
eronimum translata; qui vero secundam asse-
runt, sensum allegoricum huic loco inconcine
negant. Tertia igitur, quę Augustino placet te-
nenda est via pro qua quędam doctrina eius
in 13 de civitate presuponenda est, dicit enim sic,
quę cõmode dici possunt de intelligendo spiritu-
aliter Paradiso neminę prohibentem dicantur

dum tamen, et illius historiæ fidelissima veri-
tatis rerum gestarum narratione commendata
credatur; ea enim quæ de Paradiso in scriptura
dicuntur per modum narrationis historiæ pro-
ponuntur; In omnibus autem, quæ sic scriptura
tradit, est pro fundamento tenenda veritas his-
toriæ, et desuper spirituales expositiones fabri-
candæ, Unde simpliciter concedendum est Paradisū
locum quemdam corruptibilem esse in determi-
nata parte terræ situm temperatissimum,
et amenum, ut homo nullis perturbationibus
impeditus spiritualium delitiarum quiete
frueretur; Unde Isidorus in libro Ethimolog.
dicit: Paradisus est locus in orientis partibus
constitutus, cuius vocabulum a græco in Latinū
convertitur hortus; convenienter autem in
parte orientali dicitur situs, quia verisimile
est, quod in nobilissimo totius orbis loco sit
constitutus, quum autem oriens sit dextera
Coeli, ut dicitur 2. de Coelo; dextera autem sit potior
sinistra, congruum fuit, ut in orientali terræ

parte Paradisus terrenus constitueretur à Deo; vel ut alii expressius dicunt sub equinoctiali esse versus partem orientalem, eo quod quidam Philosophi locum illum temperatissimũ asserunt, ex quo etiam loco Nylus, qui et Gyon unus de quatuor fluminibus Paradisi fluere videtur ipse est, qui Egyptum inundat, atque interfluit.

Sit ergo prima conclusio responsiva ad questionẽ quod Paradisus est locus conveniens habitationi humanę, et hoc tam pro statu naturę lapsę, quam pro statu innocentię; patet exemplo. De primo in Enoch Ecc.^i 44. et Gn. 5. et non apparuit, quia tulit eum Deus, scilicet reponens eum in Paradiso terrestri secundum sententiam catholicorum; et de Helia patet exemplum 4. Reg. 2. De statu innocentię patet, quia ibi fuerunt Adam, et Eva.

Sit 2.^a conclusio, quod Paradisus est situs in parte orientali; quamvis enim aliqui exponant illud verbum à principio scilicet temporis

hoc est tertia die quando primo productę sunt plantę, tamen communius exponitur ā principio scilicet loci, id est in Oriente; unde alia translatio habet Paradisum, quam plantaverat Deus ad Orientem; nam dictio ebraica, quę hic ponitur, duo significat, scilicet antecessionem temporis, et hanc videtur secutus Hieronimus dicens ā principio; alio modo partem orientalem, et sic dicunt Hebrei, quod hęc est litera; et plantavit Deus virgultum in delitiis Orientis, et hanc partem sequuntur aliqui Doctores catholici exponentes ā principio, scilicet loci, non temporis, et hunc locum stimant ad orientalē partem propter eius nobilitatem, ut dictum est.

Sed in qua parte orientis situs sit Paradisus varie loquuntur auctores, nam Phūs. 2. Metheaurum dicit, quod inter duos tropicos non potest esse Regio habitabilis propter nimiam caliditatem, quia ibi transit Sol bis in anno, et qui hanc Aristotelis positionem sequuntur, necesse habent dicere, quod Paradisus terrestris extra tropicos versus orientē estivalem, vel Hiemalem; et talis locus potest dici

in oriente, quia quilibet punctus in terra potest dici ad orientem in comparatione ad Caelum, vel respectu diversorum situum terræ præter quam respectu duorum polorum, qui sunt immobiles; unde per esse ad orientem non habetur aliqua determinatio terræ certa, et præcisa in qua scilicet parte terræ sit Paradisus. Sed Albertus Magnus in scripto secundo dist. 17 dicit quod sine præjudicio loquendo videtur sibi, quod sit sub linea equinoctiali versus orientem in comparatione ad nostram habitationem.

Sed notandum 3.° quod de linea equinoctiali sunt opiniones; Avicena enim, et Nicolaus in comento Almagesti, et quidam alii videntur velle, quod locus ille sit optimus, et temperatissimus, sed quidam alii dicunt, quod sit locus intemperatus, sed quod sit temperatus probatur sic. Declinatio Solis ab equinoctiali est ad utramque latitudinē fere ad 24 gradus; constat autem quod quicquid est extra latitudinem respicitur ā Sole obliquo radio tantum; obliquus autem radius

nunquam est perfectus in temperamento ca-
liditatis, sed declinat ad frigus. Item radius per-
pendicularis duplex est secundum divisionem sferæ,
scilicet morans, et vicinus unus iuxta alium, et
cito transiens, et remotus unus ab alio; perpen-
dicularis reflectitur in se ipsum: ergo est calidissi-
mus; si igitur fuerit morans, et vicinus unus al-
teri erit excessivus in caliditate: igitur ab opposito
si fuerit perpendicularis non morans, nec vicinus
unus alteri erit temperatus: His præsuppositis
probatur inevitabiliter, quod locus sub linea equi-
noctiali sit temperatissimus; nam circulus
equinoctialis est unus de magnis circulis sferæ:
ergo dividit eam in duas medietates: ergo equi-
distantes in quibus volvitur sol inter lineam
equinoctialem, et tropicum estivalem erunt
omnes minores eo, et tanto minores, quanto
accedunt ad tropicum cancri: ergo iuxta equi-
noctialem maior erit latitudo inter circulũ,
et circulum, quanto amplior est sfera, et
iuxta cancrum maior vicinitas, quanto

rectior est sfera: ergo sol vadens ab equinoctiali transivit per circulos magis distantes, quam iuxta cancrum: igitur citius pertransit per loci latitudinem; quod autem non ita diu moretur super terram probatur, quia sole veniente ab equinoctiali, quanto maior est latitudo, tanto longior dies: ergo tanto longior mora radii solis in terra, et hec est ratio, quod terra Ethiopie, que est sub cancro, est calidissima, et intemperata, et temperata illa, que est sub equinoctiali, et illa, que est sub tropico hiemali, hoc est sub capricornio habet istas causas caliditatis, et preterea unam aliam preter istas, id est brevitatem diametri solis, et ideo illa est inhabitabilis; et istis rationibus videtur mihi acquiescendum, quod locus ille sit Paradisus.

Sunt tamen rationes aliorū in contrarium non habentes firmitatem determinationis scilicet quod locus tripliciter respectus ā sole debet esse magis calidus, quam ille, qui respicitur dupliciter tantum; linea equinoctialis tripliciter

respicitur à Sole, et locus sub tropico dupliciter:
ergo debet esse calidior; probatio maioris est, quod bis
in anno radio perpendiculari movetur super
capita habitantium sub equinoctiali, scilicet
in capite arietis, et libre, et respicit eum etiam
radio obliquo ab utroque tropico, et locus inter-
medius; sed tropicũ non attingit, nisi semel
radio perpendiculari, et elongatur per radiũ
obliquum ab eo latitudine 47 graduum, et amplius:
ergo si ille est calidior ita quod nigri fiant ibi
homines, locus, à quo non tantum elongatur,
sed immediatate tantum, et bis radio perpendi-
culari videbitur esse intemperatus. Item nos
videmus, quod civitates etiam, que sunt maioris
latitudinis, quam tropicus cancri sunt exce-
lentis caloris, quanto magis locus nullius latti-
tudinis.

Sed iudicio meo he rationes non ha-
bent vim, ut prime, imo sunt sophistice, quia
non est causa intemperati caloris, quod tangi-
tur bis radio perpendiculari, vel minus elongetur,

sed potius mora radii inequalis super terram, et constrictio circulorum equedistantium in quibus voluitur Sol, qui facit radios cadere, quasi in eundem locum sepius, causa est intemperati caloris.

Quod autem ibi sit Paradisus stimare possumus alia ratione quoniam Nilus secundum dicta sanctorum exit de Paradiso; constat autem, quod venit de Ethiopia in egyptum; Ethiopia autem est versus equinoctialem, quum sit sub cancro: ergo venit de equinoctiali, vel prope. Item huius signum est, quod dicitur bis inundare in anno, et refferunt illi, qui venerunt de terra illa, quod sole existente in Cancro, et capicornio inundat; sole autem existente in tropicis illis hiems est habitantibus sub equinoctiali, et est hiems eorum secundũ elongationẽ solis per tria signa tantum: ergo sol elevat vapores, et non consumit eos in linea illa: ergo cadunt tunc ibi pluvie; quum ergo tunc semper ĩnundet Nilus accipit

augmentum aquę à pluviis cadentibus sub linea æquinoctiali, et non posset hoc esse, nisi transisset per lineam illam: ergo venit de sub æquinoctiali, et de sub Paradiso, vt dicit Scriptura: ergo videtur, quod ibi sit Paradisus; hoc igitur opinando non asserendo dictum sit de Paradisi loco; quod autem obiicitur, quare nullus Philosophorũ, aut cosmographorũ, aut aliorum, qui Mundi partes peragrauerunt, et inquisierunt, ac descripserunt, fecerunt de eo mentionem. Dicendum quod Deus ocultũ esse voluit, ne homo nimis constristaretur de priuatione tantę amenitatis, sed regeneratus esset in testimoniũ innocentię primę. Hęc Albertus.

Ad 3.um argumentum in contrarium dicendum, quod verbum Bedę non est verum, si secundum situm intelligatur, potest tamen exponi, quod ascendit vsque ad locum globi lunaris non secundum situs eminentiam, sed secundum quamdam similitudinem, quia est ibi perpetua aeris temperies, vt Ysidorus

dicit, et in hoc assimilatur corporibus caelestibus, quę sunt absque contrarietate; magis tamen sit mentio de lunari globo, quam de aliis sferis, quia lunaris globus est terminus caelestium corporum versus nos, et Luna etiam est magis vicina terrę inter omnia corpora caelestia, unde et quasdam tenebras nebulosas habet, quasi accedens ad opacitatem; quidam autem dicunt, quod Paradisus pertingebat usque ad lunarem globū, id est, usque ad medium aeris interstitiū in quo generantur pluvię, et venti, et huiusmodi, quia dominiū super huiusmodi vaporationes maxime attribuitur Lunę, sed secundum hoc locus ille non esset conveniens habitationi humanę; tum quia ibi est maxima intemperies; tum quia non est proportionatus complexioni hominis, sicut aer inferior, qui est magis vicinus terrę.

Ad 2um. dicendum, quod caelum empireū est supremum corporaliū locorum, et est extra omnem mutabilitatē, et quantū ad primū horum

est locus congruus naturę Angelicę, quia sicut ~~secundum~~ Augustinus 3.° de Trinitate dicit, Deus regit creaturam corporalem per spiritualem; unde conveniens est, quod spiritualis natura sit supra omnem corporalem constituta, sicut ei presidens. Quantum autem ad 2.um convenit statui Beatitudinis, qui est firmatus in summa stabilitate, sic igitur locus Beatitudinis congruit Angelo secundum naturam suam; unde ibi creatus est; non autem congruit homini secundū suam naturam, quum non presideat toti corporali creaturę per modum gubernationis, sed competit ei solum ratione Beatitudinis. Unde non est positus a principio in coelo empireo, sed illuc transferendus in statu finalis Beatitudinis.

Ad 3.um dicendum, quod aquę Diluvii inundaverunt miraculose sic ascendentes ad punitionē peccatorū, ubi igitur non inundaverunt, non fuit factum ibi miraculum, non enim hoc fuit propter loci altitudinem, ut non inundaretur Paradisus, sed propter loci puritatem,

qui purgatione non indigebat, unde in Paradiso

quum non essent peccatores, non debuerunt

miraculose inundari; nec valet ratio illorum,

qui ponunt, quod ille excessus aquarum fuit

naturalis, scilicet per congregationē stellarum

humidarum in aliquo signo, quia hoc ex fabulis

astrologorū confictum est.

Ad 4um. dicendum, quod ridiculum est di-

cere, quod Animę, aut alicuius spiritualis subs-

tantię sit aliquis locus naturalis, sed per con-

gruentiam quamdam aliquis locus specialis

creaturę corporali attribuitur; Paradisus enim

terrestris erat locus conveniens homini,

et quantum ad Animam, et quantum ad

Corpus, in quantum scilicet in Anima erat

vis pręservandi corpus humanum ā corrup-

tione, quod non competebat aliis animalibus,

et ideo ut Damascenus dicit in Paradiso nullū

irrationabilium habitat, licet ex quadam

dispensatione animalia fuerint divinitus

illuc adducta ad Adam, et ~~secundum~~ serpens

illuc accesserit per operationem diaboli.

Ad 5um. dicendum quod non propter hoc locus est frustra, quia non est ibi hominum habitatio post peccatum, sicut etiam non frustra fuit homini attributa immortalitas quaedam, quam conservaturus non erat; per huiusmodi enim ostenditur benignitas Dei ad hominem, et quid homo peccando amiserit, quamvis, ut dictum est Enoch, et Elias in illo Paradiso habitent.

Ad 6um. respondet S. Thomas, quod illi, qui dicunt Paradisum esse sub circulo aequinoctiali, opinantur sub circulo illo esse locum temperatissimum propter aequalitatem dierum, et noctium omni tempore, et quia Sol nunquam multum ab eis elongatur, ut sit apud eos superabundantia frigoris, nec iterum est apud eos, ut dicunt superabundantia caloris, quia et si Sol pertranseat supra eorum capita, non tamen diu moratur ibi in illa dispositione; Aristoteles tamen in 2 Meteaurorum

dicit, quod Regio illa est inhabitabilis propter

ęstum, quod videtur probabilius, quia terrę, quibus

nunquam sol pertransivit in directũ capitis, sunt

intemperatę in calore propter solam vicinitatẽ

Solis. quicquid autem de hoc sit, credendum

est Paradisum in loco temperatissimo con-

stitutum esse, vel sub equinoctiali, vel alibi.

Hęc ille. Sed Joannes Dunss Scotus sic dicit,

quod dicitur de equinoctiali, quod ibi est Regio

temperata non videtur verum, quia quando

hiems est nobis frigidissima non removetur

ab eis Sol, nisi per 25. gradus, et tunc est in eis

propinquior, quam sit nobis in maxima ęs-

tate, in qua distat à nobis per 21 gradus, quare

plus habent de calore in fortissima hieme

nostra, quam nos in maxima ęstate nostra,

nisi forte ponatur locus ille accidentaliter

temperatus, sicut sunt quędam loca sub polo

artico secundum Martianũ in descriptione

Mundi, et Plinium in 2.° et 6.° historię

naturalis.

Nec obstat prædictis dictum Damasceni dicentis, quod fons unde dicuntur egredi flumina Paradisi est ipse occeanus, nam primũ principium illorum fluminum, sicut et ceterarum aquarum est ipse occeanus; sed principiũ proximum est fons ille, qui in illa parte terræ surgit.

Nec obstat, quod Philosophi, et historici, atque cosmographi, qui de variis terrarum locis scripserunt de Paradiso nullam fecere mentionem; nam locus ille, ut in litera secunda art. 17 dicitur est remotus etiam ã nostra habitatione aliquibus impedimentis, ut adiri non possit, vel montium, vel aquarum, vel etiam aeris intemperie in loco intermedio, et ideo eius notitia haberi non potuit, nisi per revelationẽ Sacræ scripturæ.

Nec etiam obstat, quod illa quatuor flumina, quæ Scriptura commemorat de Paradiso egredi ex diversis notis fontibus emanant; unde quia Scriptura de uno fonte tanquam origine quatuor fluminum faciat mentionẽ

videtur allegorice intelligenda, maxime, quia sic scilicet spiritualiter intelligitur lignum vitæ de quo dicitur Proverb. 3: lignum vitæ est sapientiæ; nam sicut contingit in quibusdam fluminibus, vt fontes aquarum originem habent sub terrã intrent postquam per aliquod spacium fluxerunt; et iterum in aliis locis erumpant, ita etiam, vt dicit Augustinus 8 sup. Gen ad Lit, ita etiam in illis quatuor fluminibus contingit, quod primum principium eorum est fons Paradisi, qui in aliquo loco nobis ignoto terram subintrat, et deinde in aliis locis aqua illa erumpit, vbi videtur illorum fluminum esse principium. Ad illud quod apponitur ad confirmationem de ligno vitæ, dicendum, quod sicut per Hierusalem significatur præsens Ecclesia, et etiam cœlestis patria, et tamen ad literam Hierusalem civitas quedã fuit, ita etiam quamvis per lignum vitæ significetur sapientia, non adimit sensum literalem, quo habetur corporalis arbor in Paradiso.

Denique non obstat, quod Agricultura sit data homini lapso in pœnam, ut patet Gen. 3: in sudore vultus tui; et ita non videtur convenire statui innocentiæ, quod operetur in Paradiso, nec custodia videtur necessaria, ubi nullus timetur invasor, non est corporaliter intelligenda litera, ut operaretur, et custodiret illum; nam in statu innocentiæ non fuisset laboriosa agricultura, sicut est in statu peccati, sed fuisset delectabilis ex consideratione Divinæ Providentiæ, et exercio, ac experimento virtutis naturalis; postremo fuit positus homo in Paradiso ad custodiendum eum sibi non contra aliquem invasorem, se ne per peccatum eum amitteret, et hoc totum in bonum hominis cedebat, et sic Paradisus ordinatur ad bonum hominis, et non ẽ contrario; vel dicendum, quod hoc non sic est intelligendum, quasi homo debeat operari, vel custodire Paradisum, sed ideo positus est in Paradiso, ut Deus ibi operaretur hominẽ, et eum custodiret ab omni corruptione, et

malo; sicut enim homo operatur terram, ut faciat eam fructiferã, sic Deus operatur iustificando hominem, ut esset Iustus, et custodiuisset eum, quia sine eius adiutorio non potuisset esse tutus, ut dicit Augustinus 8 sup. Gen. ad literam.

QVÆSTIO.

Super versu: Gigantes autẽ erant super terram in diebus illis postquam enim ingressi sunt filii Dei ad filias hominũ illæque genuerunt isti sunt potentes ãsæculo viri famosi Gñ. 6; potest quæri utrum filii Dei, qui ab aliquibus in hoc loco intelliguntur Dæmones, possint homines generare.

Et videtur, quod non, primo quia generatio completur per virtutem formativam, quæ est in semine ex vivo corpore deciso, aut igitur dæmon hoc ageret sine corpore, et hoc est impossibile, quia spiritus est, aut mediante corpore assumpto, et hoc etiam esse non potest, quia tale corpus, quum

non habeat Animam informantem, et corpori vitam spirantem non est vivum: ergo videtur quod non potest generare.

2.º quia modus, quo Josephus º antiquitatum, et alii non nulli hic dicunt id esse possibile in corpore assumpto non est conveniens; dicunt enim, quod talis generatio fit per hoc, quod idem demon succubus adultum recipit ab eo semen, quod postmodum in mulierem transfundit factus incubus ad eam; unde Augustinus 15 de civitate Dei cap.º 23 dicit. et quoniam creberrima fama est multique se expertos, vel ab eis, qui experti essent de quorum fide dubitandum non est audisse confirmant silvanos, et faunos, quos vulgo incubos vocant, improbos sepe extitisse mulieribus, et earum appetiisse, ac peregisse concubitum, et quosdam demones, quos dusios galli nuncupant, et forte hispani Duendes hanc assidue immunditiam, et tentare, et efficere plures, talesque asseverant, ut hoc negare impudentiæ videatur. Hæc ille concepto verbo, et forte hispani Duendes; sed hoc non videtur, quia semen non habet virtutem generandi, nisi quamdiu

calor Animæ in eo retinetur, quem necesse est exalare per temporis, vel loci distantiam delatum: ergo per talem modum generatio à Dæmone fieri non potest.

3º quia si fieret generatio per talem modū non esse, nisi secundum virtutem illius seminis: ergo ex hoc non sequeretur, quod geniti essēt maioris corpulentiæ, aut fortitudinis, quam cæteri homines, ut insinuat textus dicens: isti sunt potentes à sæculo &cª.

Sed contra est, quod translatio septuaginta habet interpretum Gnˢ 6: et factum est postquā cæperunt homines multi fieri super terram, et filiæ natæ sunt illis videntes Angeli Dei filias hominum, quia bonæ sunt sumpserunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant.

Pro responsione ad quæstionem primo notandum, quod Angeli corporibus assumptis vitā non influunt, sed tantum motum, et ideo considerandum est, quod omnes operationes, quæ corpus vivum consequuntur in quantum vivum,

non possunt Angeli in corporibus assumptis convenire, sed tantum illa quæ consequuntur corpus mobile in quantum huiusmodi, vt movere, impellere, dividere, et huiusmodi, nam in quantū operæ viventium habent aliquid commune cum aliis operibus, vt locutio, quæ est opus viventis, convenit cum aliis sonis inanimatorum, in quantum est sonus, et progressio cum aliis motibus, in quantum est motus; quantum ergo ad id quod est commune vtrisque operibus, possunt opera vitæ fieri ab Angelis per corpora assumpta, non autē quantum ad id quod est proprium viventium, quia secundum Phum̄. in lib. de somno, et vigilia: cuius est potentia, eius est actio, vnde nihil potest habere opus vitæ, quod non habeat vitam, quod est potentiale principium talis actionis.

2° notandum, quod hæc litera postquam ingressi sunt filii Dei ad filias hominum &c.a solet exponi multipliciter, et huic multiplicitati expositionum circumstantia literæ occasionem præbet; nonnulli per filios Dei intelligunt Dæmones

incubos, qui filii Dei propter spiritualem naturam,
quam habent, nominantur; unde et Iob. 1: sathanas
spiritus inter filios Dei pronunciatur; dicunt igitur
hos assumptis humanis corporibus se mulieribus
miscuisse, et inde quasi fortioribus seminibus Gi-
gantes esse progenitos, et hoc confirmant dicentes,
quod ubi nostra litera habet: gigantes autem erant
super terram, hebraica veritas habet Nephilim,
quod nihil significat, nisi cadentes, quod etiam
Glossa nostra interlinearis videtur sentire; unde
cadentes proprie videntur significare dæmones,
qui ē Coelo cecidere iuxta illud Isa. 14: quomodo
cecidisti de Coelo Lucifer &.ª et Dominus Lu. 10 di-
cit: videbam sathanam, sicut fulgur cadentem
de Coelo, qui cadentes videntur fuisse super terrā
in diebus, scilicet ante diluvium, quia protunc
cognoscentes magnam dispositionem, seu provi-
tatem hominum ad malum frequentabant ma-
gis suam conversationem cum eis intantum
quod in corporibus assumptis mulieribus commi-
cebantur.

Sed dicunt aliqui, quod hęc expositio non videtur rationabilis, quia hic exprimitur causa diluvii, quod abluit terram in pęnam peccatorum, nec fuit conveniens, ut fieret in pęnam Dęmonum, qui erant spiritus, et quibus forte de eo, et omni hominum damno placuit; sed ad hoc potest dici, quod non venit tale diluvium in pęnam Dęmonum eam immunditiam exercentium, sed potius in penam hominum ad eorum suggestionem se se proprio arbitrio disponentium, et potissimum in penam hominum, qui ex tali concubitu nascebantur, qui erant potentissimi viribus, et pessimi moribus, nam non solum per se exercebant mala, sed etiam alios per suam potentiam, et malitiam ad mala inducebant, sicut patet de Nebroth Gen. 10.

Alii interpretantur filii Dei, id est filii Iudicum, vel potentum, nam nomen hebreum, quod ibi ponitur scilicet Eloym, aliquando accipitur pro Deo, et aliquando pro diis in plurali, aliquando pro Iudicibus unde Exo. 22 ubi translatio nostra Dominus domus applicabitur ad Deos, id est ad Iudices, in ebreo dicitur

aplicabitur ad Claym; dicunt igitur, quod filii Iudicum, et potentum quando videbant filias subditorum pulchrae ornari, et quando dabantur in nuptias, quod accedebant ad ipsas cognoscendo eas carnaliter ante quam mariti eas cognoscerent; sed hęc interpretatio adhuc non videtur rationabilis, quia talis diluvii causa esset particularis, scilicet contra potentes solum, sed paulo post eodem cap.º dicitur: omnis quippe caro corruperat viam suam, nec generale diluvii debuisset induci propter causam particularem; teneamus igitur cum Augustino 15 civit. Dei cap.º 23 sic dicente: igitur secundum Scripturas Canonicas hebreas, atque Christianas multos Gigantes fuisse ante diluvium dubium non est, et hos fuisse filios terrigenę societatis hominum, Dei autem filios, qui secundum carnem de Seth propagati sunt in hanc societatem deserta Iustitia declinasse. Igitur intelligendi sunt filii Dei descendentes à Seth, qui in Divino culto à patre suo fuerant instructi; unde in utroque testamento fideles sępe

vocantur filii Dei, ut in Psalmo: afferte Domino filii Dei, et Math. 5.º beati pacifici quoniam filii Dei vocabuntur; per filias hominum intelliguntur descendentes de Chaim, quę erant carnales, dissolutę, et lubricę; de talibus enim dicitur in Psalmo: filii hominum usque quo gravi corde; et de talibus feminis creditur dirimitur preceptum Seth, quod inhiberet filiis suis, ne cum eis contraherent, sicut precepit postea filiis Israel, ne cum cananeis matrimonia copularent, sed filii Seth processu temporis transgressi sunt id preceptum, et hoc innuit litera dicens: acceperūt sibi uxores, ex quo verbo videtur quod non erant spiritus, aut Dęmones, sed homines.

Nec videtur valere, quod ubi nos habemus Gigantes in Hebreo habetur cadentes, quod proprie videtur pertinere ad Dęmones, qui ē cęlo ceciderūt, nam etiam homines peccatores in sacra scriptura cadentes dicuntur iuxta illud Psalmi: ceciderunt, qui operantur iniquitatem, et in Apocalipsi: prauorū casus sub nomine Babilonis sig-

nificatur, quum geminate dicitur: cecidit cecidit Babilon.

Per hec autem patet responsio ad argum.ta Utriusque partis. Ad primum dicendum, quod ob illam rationem dicunt quidam, quod Demones in corporibus assumptis nullo modo possunt generare; sed quia contrarium a multis dicitur, et fama non est omnino vana, quam multi decantant S. Ethic, et in fine libri de somno, et vigilia, maxime quia Augustinus 15.° Civit. cap.° 23 id negare, impudentie esse dicit, potest dici, quod per Demonum actum completur generatio in quantum apponere possunt semen humanum in loco convenienti ad materiam proporcionatam, sicut etiam possunt colligere semina aliarum rerum ad complendum aliquos effectus Iuxta sententiam Augustini 3. de Trinit. ita ut tribuatur tantum eis id quod est motus localis, non autem ipsa generatio cuius principium non est virtus Demonis, aut corporis ab eo sumpti, sed virtus illius, cuius semen fuit; unde et genitus non est filius Demonis, sed

talis hominis; sed ex his non sequitur, quod litera sit de Dæmonibus exponenda; licet enim Dæmones generare potuerint per dictum modum, non sequitur, quod tunc generaverint; aut si forte genuerint, quod genuerint Gigantes, maxime quia et ante, et post diluvium, et etiam longe post multis temporibus, et locis fuere Gigantes, ut refert Augustinus 15 de civit. Dei, et Num. 13. et . . . Reg. de Goliath.

Ad 2um dicendum, quod quum hic Dæmones velocissime moveantur propter victoriam virtutis moventis super rem motam, possunt aliqua ponere ad conservationem seminis, ne calor vitalis evaporet.

Ad 3um posset bipharium responderi iuxta duplicem modum dicendi, nam qui dictam literam exponunt, quod filii Dei, idest Dæmones genuerunt Gigantes, coguntur dicere, quod hoc fiebat Deo permittente, et Dæmonum astucia cooperante, nam ut Augustinus dicit 3. de Trinit. Dæmones possunt scire virtutem seminis decisi,

et dispositionem eius, a quo decisum est; et similiter mulierem proportionatam ad seminis illius susceptionem, et etiam confectationem iuvantem ad effectum corporalem, scilicet optimę complexionis in genito, quibus omnibus concurrentibus possibile fuit sic genitos corpore magnos esse, vel fortes; possunt enim Dęmones, qui multa sciunt intellectus naturali perspicacitate, et longissima vitę experientia adhibere semina corporalia ad aliquos effectus mirabiles producendos; unde quum non omnis virtus naturę creatę sit nobis nota, possibile est, quod illi Dęmones cum semine virili, et fęmineo adhibeant quędam alia continentia seminales rationes per quę commixtio complexionalis talium dicto modo generatorum esset apta ad hoc, ut tales geniti ceteros homines multum excederent in statura, et aliis viribus corporalibus, adeo ut ad libitum suum malum possent alios cogere, quo modo Magi dicuntur facere miracula per Dęmones, licet non simpliciter, sed quo ad nos, ut docet S. Thom. 1. p. q. 110 a. ult.° et q. 114 a. ult.° Et secundum

hanc partitionem videtur notandum, quod sicut ante diluvium quidam fuerunt excedentes cæteros homines in duratione vitæ ex Dei dispositione, ut divinorum cognitio propinquius, et certius per eos deveniret ad posteros, sic econtra per administrationem Dæmonum, Deo permittente fuerunt illo tempore quidam cæteros excedentes statura, et viribus corporeis, ut alios ad terrena inducerent, et à divinis distraherent; unde primus effectus fuit laudabilis, et intentus à Deo in longitudine vitæ, quæ propriè est effectus Animæ corpus vivificantis; secundus fuit execrabilis in quantitate molli, et corporali superiores Animæ potentias aggravante.

Alio modo posset responderi secundum eos, qui intelligunt illam literam filii Dei, idest, filii, seu descendentes à Seth, qui apostatantes à doctrina maiorum suorum, et à religione eorum ob pulchritudinem mulierum à Chain stirpe descendentium declinarunt; quæ opinio mihi magis placet, et ideo dico cum Augustino 15. de Civitate Dei

cap.° 23 sæpius memorato, qui inquit: nec miran-
dum est, quod etiam de ipsis Gigantes nasci potu-
erunt, nec enim omnes Gigantes fuerunt, sed
plures utique tunc fuerunt, quam post Diluvium
temporibus ceterũ, quos propterea creare pla-
cuit creatori, ut etiam hinc ostenderetur non solum
pulchritudines, verum etiam magnitudines, et
fortitudines corporũ non magnipendendas esse sa-
pienti, qui spiritalibus, atque immortalibus longe
melioribus, atque firmioribus, et bonorum pro-
priis non bonorum, malorumque communibus
beatificatur bonis; quam rem Baruch Propheta
3. ca.° comendans ait: ibi fuerunt Gigantes, illi
nominati, qui ab initio fuerunt staturosi scien-
tes prælium, non hos elegit Dominus, nec viam
scientiæ dedit illis, sed interierunt, quia non habue-
runt scientiam, perierunt propter inconsideran-
tiam. Igitur Deo sapienti placuit eos procreare,
quia potens fuit ex eorum malis bona elicere.
De modo autem propagandi eo parvis magnos non
licet iam hæsitare apud illum apud quem non est im-

possibile omne verbum, qui ex nihilo cuncta, et ex costa Evam produxit.

Ad 4um. inconvenientem respondet Augustinus 15 de Civit. c.° 23. dicens: non autem illa ita fuisse Angelos Dei dicimus, ut homines non essent sicut quidam putant, sed homines procul dubio fuisse scriptura ipsa sine ulla ambiguitate declarat, quum enim præmissum esset quod viderent Angeli Dei filias hominum, quia bonæ, id est pulchræ sunt sumpserunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant, mox adiunctum est et dixit Dominus Deus non permanebit spiritus meus in hominibus his in æternum, quia caro sunt; spiritu quippe Dei, et filii Dei fuerunt facti Angeli Dei, sed declinando ad inferiora homines dicuntur, et caro, desertores spiritus, et deserendo deserti. Hæc ille.

Quia paulo ante in responsione ad 3um. prosequendo primam expositionem circa materiam de Gigantibus tetigimus rationem longitudinis vitæ hominum, et magnitudinis corporum

in prima ętate operę pretium erit referre adlitteram dicta trium illustrium scriptorum, ut saltem curiosi Lectori ad manum veniant, et ampliorem rerum notitiam habeat.

Magister Nicolaus de Lira Gn. 5. sic dicit: si quęratur quomodo homines illius temporis ita diu vivebant, potest ad hoc multiplex assignari; prima est ex bonitate complexionis primorū parentum; nam fuerant immediate formati ā Deo, cuius perfecta sunt opera, et sic melius complexionati, et ad longiorem vitam dispositi, quę bonitas complexionis efficacius derivata est ad propinquiores, quam ad remotiores in tempore. Secunda ratio ex modo vivendi, quia temperate vivebant. Tertia est ex bonitate nutrimenti quia ante Diluvium terrę nascentia fuerunt meliora, quam post. Inundatio enim Diluvii fuit pro maiori parte ex aquis Occeani; dicitur enim Gn. 7. rupti sunt enim omnes fontes Abyssi magnę; Aquę autem salsę inducunt sterilitatē terrę, et per consequens reddunt terrę nascentia

peiora, ex quibus abbreviatur hominis vita.

Quarta ex scientia Adę, quia formatus fuit in perfectione scientię, et ideo cognovit virtutem herbarum, fructuum, et lapidum, quę omnia faciunt ad conservandam sanitatem, et vitam prolongandam, et de hoc docuit suos successores. Quinta ex bono aspectu siderum super regionem illam in qua manebant, qui aspectus multum facit ad longitudinē vitę, qui per continuum motum mutatur cum tempore procedente. Sexta ex divina dispositione hoc ordināte, ut per longam vitam cito hominum genus multiplicaretur. Item ut homines illius temporis per longam vitam possent habere experientias de cursu Coeli, et effectibus siderum, et aliarum rerum, quę experientię sunt principia artis, et scientię, ut habetur 1°. Metaphisicę. Item videmus magnam latitudinem in quantitate molli in natura humana, item aliqui sunt valde parvi, sicut pigmei, quos dicunt unius cubiti tantū, alii autem sunt valde magni, ut Gigantes; unde Deuteron. 3. dicitur de Ogrege Basam, monstratur

cius lectus ferreus, qui est in Raboth filiorum Amon habens novem cubitos longitudinis, et quatuor latitudinis &c.ª Vnde et Augustinus 15. Civit. Dei c.º 9 dicit, se vidisse dentem molarem Gigantis, qui si minutatim divisus fuisset, fecisset 100. dentes communis quantitatis humanorum dentium. Si igitur est tanta latitudo, et excessus unius ad alterum in quantitate molli non videtur irrationabile, quod fuerit tantus excessus in quantitate durationis hominum primorum ad illos, qui nunc sunt, sicut Scriptura determinat. Item in quantitate durationis videtur etiam magna latitudo, quia etiam de Pigmeis dicitur, quod 5. anno generant, et octavo senescunt; et ecce si homines alii tantum excedunt eos in quantitate durationis, quod communiter vivunt 70, vel 80 annis, non est mirandum si homines primę ętatis tantum excedebant modernos in quantitate durationis. Ego autem tot rationes induxi ad propositum ostendendum, quia si una per se non sufficit, plures simul sumptę videntur propositū persuadere. Hęc ille.

Magister Paulus Burgensis episcopus ibidem additione 1a. sic dicit: istę rationes, quę assignantur ad diuturnitatem vitę hominum illius temporis, et si valerent ad aliqualem longitudinem vitę, non tamen videntur sufficere ad tantam differentiam durationis. Bonitas enim complexionis, et etiam modus vivendi temperatus, licet non in multis, in quibusdam tamen invenitur, ponit enim Galienus in suo Tegni: possibilem esse complexionem temperatissimam prout humanę naturę pertinet inveniri, quam Eucraton vocant, et multo magis possibile est hominem boni regiminis reperiri; nunquam tamen ā tertia ętate citra reperitur aliquis, qui 200 annos attingat. Christus enim, qui per Spiritum Sanctū conceptus fuit optimę complexionis extitit, et temperatissimę vitę, et tamen in Iuventute est passus est, vt communiter tenetur, ne in eo appareret naturę humanę diminutio, vt ponit S. Thom. 3a. pte. q. 46. a. 9. ad 9. ex quo patet quod ętas 33 annorum in Christo erat iuvenilis, quod non

esset si Christus secundum naturam humanā habuisset vivere, sicut Adam, et alii antiqui; Quia si sic illa ętas in qua fuit passus non fuisset Iuvenilis, sed Infantię, seu pueritię.

Ratio autem sumpta ex bonitate nutrimēti ante Diluvium non videtur valere, nam inundatio diluvii, peiora debuit reddere terrę nascentia in tempore propinquiori ipsi Diluvio, quam in remotiori, et tamen post Diluvium, scilicet in secunda ętate leguntur homines vixisse fere 200 annos, et quum magis ā tempore Diluvii fuerunt remoti, magis diminuta fuit vitę diuturnitas. Illa etiā quę Adam cognovit de virtutibus fructuum, et herbarum, quę faciunt ad prolongandam vitam, de quibus dicitur docuisse homines verissimile est, vt adisceret Noe ab antiquis suis, quum ipsius vita fuerit prolongata, sicut vita eorum, qui fuerūt in prima ętate, quiquidē Noe quum Iustus, et perfectus fuisset, videtur docuisse ea posteritatem suam, quod tamen non apparet per effectum. Bonus etiam aspectus siderum, et si faciat adlongi

tudinem vitę, non tamen faceret tantam dissimilitudinem; nec etiam Astronomi id viderentur tradere.

Sexta autem ratio, quam ponit, scilicet, quod fuit ex divina dispositione id ordinante concedenda est; sapientia enim Dei disponit omnia suaviter Sap. 8; sed rationes, quas assignat ad huiusmodi Divinam dispositionem, sunt minus sufficientes; nam nihilo minus multiplicaretur genus humanum per vitam brevem sicut modo, sicut per longam vitam, sicut tunc, et forte citius sicut modo; nam tunc incipiebant generare post centum annos, et modo ante 20, et sic in primo centenario unius primi generantis possent generari multi filii, nepotes, et pronepotes, quorū quilibet vel maior pars infra illum centenariū generasset, et sic magis multiplicaretur genus humanum, quod manifeste potest patere in multiplicatione filiorum Israelis in Egipto, de quibus in Deuteron. 10. cap. dicitur: in 70 Animabus descenderunt patres vestri in Egiptum, et nunc

poruit te Deus, sicut stellas Coeli in multitu-

dine; manifestum est enim quod Populus Israe-

liticus non fecit moram in Egipto tanto tem-

pore, quanto Adam, et Seth filius eius abstinu-

erunt a generatione; nam Adam continuit per

130 annos, et Seth 105 annis, qui faciunt 235, et

Populus Israeliticus in Egipto fuit 210 annis.

Alia etiam ratio, quam assignat ad Divi-

nam dispositionem, scilicet, ut homines illius tem-

poris possent habere experientias de cursibus

Coeli, et effectibus siderum &c.ª non videtur valere;

cursus enim coeli, et siderum, qui magna, et diffi-

cili investigatione indiguit fuit perfecte decla-

ratus tempore Grecorum, quando Ptholomeus edidit

librum Almagesti in quo omnes cursus coeli, et

siderum plene traduntur, et tamen eiusmodi

investigatio incepit a tempore cuiusdam prae-

decessoris, qui eum precessit per 300 fere annos,

ut in eodem libro habetur, unde illud tempus sufficit

ad illam investigationem. Et etiam ——— ———

——— Similiter ad cognoscenda effectus siderum,

de quibus ipse Ptholomeus large loquitur in libro quadripartito, et in centiloquio cuius sententias sequuntur Astronomi, qui ei successerunt; Unde propter hęc, et similia non fuit necessaria in antiquis diuturnitas vitę, et ideo potius tenendum est cum Augustino, qui de hac materia tractans in lib. 15. de Civit. Dei cā. 9. sic ait: annorum ista numerositas cuiusque hominis, qui temporibus illis fuit nullis nunc talibus documentis venire in experimentum potest; nec tamen ideo Fides huius Sacrę historię derogan da est, cuius tanto impudentius narrata non credimus, quanto implexicitius prenunciata conspicimus. Hęc Augustinus. Sequitur Burgensis; et mirum si Augustinus, qui tantus Ecclesię Doctus fidelissimus fuit, hoc asseruit esse omnino supernaturale, quod patet ex hoc quod dixit, scilicet quod ista annorum numerositas nullis documentis in experimentum venire posset, quum etiam ipse Magister Moyses Hebreus in libro suo de directione

perplexorum dictam vitę diuturnitatem attribuit miraculo Divino. Dicit etiam, et forte non incon- venienter, quod talis diuturnitas fuit in illis, qui in Sacra Scriptura nominantur, scilicet Adam, Seth, et Enoch, &ca. non autem in aliis contempo- raneis, quia ut dicit non tam diuturne vivebant, sed sicut post Diluvium; cuius ratio est secundũ eum, quia ideo Deus disposuit illos tam diu- turne vivere, ut Fides de creatione Mundi, quã Pagani pro maiori parte negabant in cordibus Fi- deliũ magis radicaretur, quod sic factum est, nam Lamech pater Noe concurrit in vita cũ Adam, Abraam, qui principalis in Fidei prędica- tione fuit, erat 63 annorum, quando mortuus est Noe, et sic testimonium creationis Mundi venit satis de propinquo ad tempus Abrae, quia de Adam ad Lamech, de Lamech ad Noe, et inde ad Abraam.

Josephus vero primo antiquitatum libro Capo. 8. sic dicit: nullus igitur ad vitam modernam, et annorum brevitatem, quibus nunc vivimus

vitam comparans antiquorum, putet falsa, quę de illis sunt dicta, et ex eo quod nunc vita tanto non ducatur tempore, credat neque illos ad vitę illius longitudinem pervenisse; Illi namque quum essent religiosi, et ab ipso Deo facti, et quum eis pabula opportuniora ad maius tempus existerent pręparata, tantorum annorum circulis rite vivebant; deinde propter virtutes, et gloriosas utilitates, quas iugiter perscrutabantur, id est astrologiam, et geometriam Deus eis amplius vivendi solatia condonavit, quę nunquam ante discere potuissent, nisi sexcentis vixerint annis; per tot enim annorum curricula magnus annus impletur; testes autem meis dictis sunt omnes, qui antiquitatem apud Gręcos, et Barbaros conscribere maluerunt; nam et Manethon, qui descriptionem fecit Egiptiorum, et Berosus, qui caldaica defloravit, et Mochus, et Estius; Ad hęc, et Hieronimus, qui phenicam disposuerunt, concordant cum meis dictis; Ysidorus quoque, et Ecatheus, et Hellanecus, et Acusilaus, et inter hos Ephorus, et Nicolaus in historiis suis memoriam faciunt antiquorum annis mille

viventium; de his itaque, sicut singulis gratum est ita consideremus.

Quæstio.

Super verum: arcum meum ponam in nubibus Coeli, et erit signum foederis inter me, et inter terram Gen. 9.

quæritur Utrum arcus nubium, qui dicitur Iris sit signum Dilwvii non futuri.

Et videtur, quod non. Primo, quia illud, quod fit ex necessitate naturæ non videtur esse institutum ad aliquid significandum; arcus nubium provenit ex necessitate naturæ propter opositionem Solis ad nubem roxidam: ergo non videtur esse significativum Diluvii non futuri.

2.º quia huiusmodi apparitiones, seu impressiones aeris sicut Iris, et hallo, id est circulus continens Solem, et Lunam, et alia huiusmodi causantur præcipue ex vaporibus humidis in aere existentibus, ex quibus sequuntur pluviæ, quæ Diluvium faciunt: ergo apparitio Iridis

magis est signum Diluvii futuri, quam non futuri.

3.° si est signum Diluvii nunquam futuri, aut est signum Diluvii nunquam futuri, aut est signum Diluvii non futuri usque ad aliquod tempus; si est signum Diluvii nunquam futuri, non opporteret, quod appareret, nisi semel: si vero Diluvii non futuri usque ad aliquod tempus, opporteret tempus esse determinatum, quod quidem determinari non potest, nec auctoritate Scripturæ, nec humana ratione: ergo frustra eius modi signum datur.

In contrarium est auctoritas Sacræ Scripturæ.

Pro responsione ad quæstionem, primo notandum secundum S. Thomam quolib. 3.° art. 30. quod in his, quæ in veteri testamento dicuntur, primo quidem observanda est veritas literalis; sed quia vetus testamentum est figura novi plerumque in veteri testamento sic aliqua proponuntur, ut ipse modus loquendi aliquid figurari designet; dicendum est ergo, quod quia causæ rerum multa latent, effectus autem sunt manifestiores, proponuntur effectus

in designatione causarum; est autem conside-
randum, quod causa efficiens pluviarum est Sol;
causa materialis vapor humidus elevatus ex
terra, et aquis per virtutem Solis; hæc autem
duo in duplici dispositione se possunt habere; quan-
doque enim calor Solis omnino supervincit va-
pores, et exicat eos, et tunc pluviæ sequi non
possunt, unde in Egipto, et in terris multum ca-
lidis non sunt pluviæ, in æstate etiam propter
propinquitatem Solis sunt pluviæ rariores,
in hieme vero frequentiores; quandoque vero
è contrario virtus Solis ad hoc usque valet, quod
vapores multiplicat, sed tamen non potest eos desic-
care, et tunc superabundant pluviæ, et est ratio Dilu-
vii aquarum; quandoque vero medio modo se habet, ut
scilicet virtus solis non solum operetur ad elevatio-
nem vaporum, sed etiam habet victoriam super
eos, ut non tantum multiplicentur, quod possint
inducere Diluvium, nec etiam vapores omnino de-
siccentur, et pluviæ non sequantur; et ex hac media
dispositione, vel comparatione Solis ad vapores causatur

Iris, quæ non apparet vaporibus omnino desiccatis, nec etiam eis omnino in aere superabundantibus, et ideo Iris est signum Diluvii non futuri in quantum procedit ex tali causa, quæ repugnat Diluvio; Ideo autem Scriptura utitur tali modo loquendi, quia per Iridem significatur Christus per quem protegimur ab spirituali Diluvio. Hæc Thom.

2.º notandum, quod aliqui dixerunt, quod usque ad Diluvium inclusive non fuerat pluvia, nec Iris apparuerat; sed hoc non videtur rationabiliter dictum, quum pluvia generetur ex dispositione aeris, et motu solis, et aliorum Astrorum, et tales causæ multo tempore præcesserunt; quapropter non est verisimile, quod effectus non fuerit secutus tanto tempore multis vicibus, et ideo alii dicunt, quod licet nubes præcessissent, et pluviæ non tamen fuerunt in tali dispositione, quod ibi generaretur Iris, nam ad Iridis generationem requiritur nubes depressa, et ante nubem depressam nubes roxida, ut patet 3. Meteororum;

quia Iris generatur in nube per modum speculi, vbi requiritur receptio in roratione, et terminatio in densitate nubis, sicut in speculo requiritur perspicuitas vitri, et depressitas plumbi terminantis; dicunt igitur quod primo facta est talis dispositio, quando Deus ipsi Noe ostendit Iridem, sed hoc non videtur verum, quia secundum Augustinum Deus res, quas condidit, sic administrat, vt eas proprios motus agere sinat, et ideo quum talis apparitio fiat ex causa naturali, non est verisimile, quum sępe pręfuit eius causa, quin et per consequens effectus concomitabatur, aut sequebatur; vnde idem inconveniens est negare, quod pluvia ante diluvium fuerit, et quod Iris sic apparuerit, vt videtur. Igitur supposito, quod apparuerit ante diluvium, dicunt aliqui, quod nihilominus post diluvium est datum in signum diluvii non futuri, nec est signum ad placitum, vt nomina, quę significant res, sed est naturale signum, sicut digestio vrinę est signum futurę sanitatis, vel non futurę mortis ex illa ęgritudine.

Ad cuius intellectum.

3°. notandum, quod Iris non generatur tempore multum sicco, nec multum pluvioso, eo quod generatur in nube roscida opposita Soli, et hoc quando sunt vapores in aere sufficientes ad generationem talis nubis, non tamen sunt in tanta abundantia, quin calor Solis possit eam devincere tali modo, quod non sequatur ex eis magna pluvia, et ideo est signum naturaliter significans Diluvium non futurum de propinquo, quia significat remotionem Diluvii de propinquo futuri, scilicet remotionem vaporum in tanta multitudine, quod inde possent generari pluviæ in tanta habundantia, quod sequatur Diluvii inundatio; verumtamen, quia talis dispositio aeris non semper durat, ideo una apparitio non est signum Diluvii de cetero non futuri, sed apparitio continuata per frequentem apparitionem, et ideo dicunt, quod ante Diluvium non fuit signum Diluvii non futuri, quia talis apparitio fuit magno tempore interrupta ante Diluvium; sed hoc dictum videtur

esse contra veritatem, et contra textum; accipit enim causam Diluvii partialem pro totali, scilicet, quod pluviæ fuerint, aut esse possint tota causa Diluvii, quod est falsum, nam Diluvium generale de quo est quæ.º non potest naturaliter causari. Item est contra textum, qui causam activam Diluvii attribuit potentiæ Divinæ ex influentia speciali, et materialem principalem aquis Oceani virtute Divina eductis super terram, et multiplicatis ultra cacumina montium 15 cubitis; unde Gn. 6.º dixit Dominus: ecce adducam aquas Diluvii super terram, quantum ad causam efficientem, et c.º 7.º quantum ad materialem dicitur: rupti sunt omnes fontes Abissi magnæ, et catharactæ Coeli apertæ sunt.

Ex quo patet, quod causa materialis, et principalis fuerunt aquæ Oceani. Ex quo liquido infertur, quod apparitio Iridis non potest esse signū naturale Diluvii generalis non futuri, quum non sit signum remotionis causæ nisi materialis tantum, et adhuc non materiæ principalis, sed secundariæ,

ut patet ex textu; et ideo videtur dicendum, quod est signum magis ad placitum scilicet ex ordinatione Divina in quantum Deus ordinavit, quod apparitio Iridis de cetero esset signum rememorativum pacti, vel foederis ipsius Dei facti ad Noe, quod diluviũ generale destruens terram de cetero non induceretur, ut pollicetur Deus in textu dicens: arcumque meum in nubibus, et videbo illum, et recordabor foederis &.ª Ex quo patet, quod ante Diluviũ non fuit in signum huiusmodi, licet apparuerit, quia tale pactum, vel foedus non erat adhuc institutum, sed facto pacto Deus instituit apparitionẽ Iridis, sive ipsam Iridem de novo in signum huius pacti, vel foederis, licet Iris sit res naturalis, et ante Diluviũ fuerit, sicut aliquando contingit in humanis, quod lapis magnus, qui diu stetit in aliquo loco immobili de novo statuitur in signum alicuius limitis, et termini possessionum, vel Dominiorum, vel Regnorum.

Ad primum ergo dicendum, quod Iris procedit naturaliter ex talibus causis, quę diluvio

repugnāt, et ideo convenienter assignatur iris in signum Diluvii non futuri.

Ad 2um. dicendum, quod Iris potest significare pluvias, sed non adeo superabundantes, ut faciant diluvium.

Ad 3um. dicendum, quod Iris semel apparens significat, quod tamdiu non erit Diluvium, quamdiu Sol, et vapores erunt in eadem dispositione, et ideo non superfluit, quod frequenter appareat.

QUÆSTIO.

Super versu: de istem quoque nati sunt patres omnium filiorum Heber Gen. 10.
Quæritur utrum Israelitæ dicti sunt Hebræi ab Heber, an ab Abraam.

Et videtur, quod ab Abraam auctoritate Augustini in libro de consensu Evangelistarum, ubi dicit: Hebrei ab Abraam dicti sunt, quasi Abraei.

2º quia non dicuntur Hebrei ab Heber: ergo ab Abraam. consequentia patet, et antecedens probatur; quia si sic Amonitæ, et moabitæ,

qui de Loth descendunt, similiter Ismaelitę, et Madianitę, qui descendunt ab Abraam, similiter et Edomitę, qui descendunt de Esau, omnes dicerentur Hębrei, quum omnes prędicti descenderant ab Heber, vt patet ex historia Genesis.

In contrarium videtur, quia si illud genus ab Abraam fuisset cognominatum, non cognominasset Scriptura Abraam eo cognomine, cuius contrarium apparet Gen. 14. quum dicitur: venit vnus de his, qui euaserant, et nunciauit Abraã Hębreo.

Confirmatur auctoritate Augustini secundo Retractationum cã. 15. vbi ex vltima, et propria sententia tenet Hębreos ab Heber dictos; Idem etiã asseruit sępius 16 Ciuit. Dei cã. 11; quod etiam primo antiquitatum Josephus confirmat.

Pro responsione notandum primo, quod in Hębreo nomen Abraam incipit ab Aleph, quę apud eos est prima litera; et Heber ab Ayn; vnde si Hębreus deriuaretur ab Abraam, scriberetur, et inciperet per Aleph, quod non est verum, quinimo

incipit, et scribitur per Ayn, et ideo Nicolaus Gn. 14. tenet, quod non sunt dicti Hebrei ab Abraã, sed ab Heber, quę opinio magis mihi placet,

Non obstante opinione Burgensis, pro cuius intellectu secundo notandum, quod inter Mesopotamiam, et terram Promissionis, transit fluvius Eufrates, qui quum sit magnus, et unus de quatuor fluminibus Paradisi, ut habetur ex Genesis 2.° quando fit mentio de terminis terrę Promissionis, vocatur fluvius simpliciter non exprimendo nomen proprium, quod est Eufrates, ut habetur Ex.i 23 quum dicitur: ponam terminos &c.a à deserto usque ad fluvium, idest Eufratẽ, qui terminabat terram Promissionis ex parte Mesopotamię, ut patet ibidem; et quia Abraam fuit natus in Mesopotamia, ubi Thare pater eius, et alii cognati serviebant Idolis, et inde adductus fuit Divina directione in terram Chanaam, ubi segregatus ad cultum veri Dei ędificavit altare Domino invocans nomen eius, ut habetur Gn. 12; ideirco Abraam veniens in terram Promissionis, Hebreys

vocabatur, id est transfluvialis; Heber enim cum Ayn scripta hebraice transfluvialis significat, et ideo sicut illi, qui de partibus ultramarinis communiter ultramarini dicuntur, et qui ex partibus ultramontanis ultramontani, sic Abraam in initio suę vocationis ad Fidem, in terra Promissionis existens Hębreus vocabatur, hoc est transfluvialis; ex quo patet, quod Abraam dictus est Hębreus, eo quod ex partibus transfluvialibus in terram sanctam venit; et quia ista transportatio fuit facta in principio sui accessus ad Fidem, vel saltem suę publicationis, ideo inde cognominatus est cum sua posteritate, quasi a principio suę fidelitatis; quęquidem ratio potest haberi Iosue 24 ubi sic dicitur: hęc dicit Dominus trans fluvium habitaverunt patres vestri ab initio Tharę pater Abraam, et Nachor servierunt Diis alienis; et sequitur: tuli patrem vestrum Abraam de Mesopotamię finibus, ubi in Hębreo habetur de Heber fluvii, id est de transfluvio, et adduxi eum in terram Canaam,

vbi scilicet segregatur à parentibus Idolatris se publicavit cultui veri Dei mancipatum.

Ex quibus patet quare Ismaelitæ, Idumitæ, et huiusmodi non dicuntur Hebræi, licet descendant ab Abraam; nam illi soli, qui sequuntur Abraam in separatione ab Idolatria, et Dei cognitione Hebræi dici debent, tanquam sequentes rationem dictæ denominationis; et hoc est, quod sequitur in prææallegata auctoritate, scilicet Josue 24, vbi loquens de transportatione Abraæ à partibus transfluvialibus subiungit, multiplicavitque semen eius, et dedi ei Isaac, nullam faciens mentionem de Ismaele, et aliis, et de Isach consequenter dicit illique dedi Jacob, et Esau dedi montem Seyr, Jacob vero, et filii eius descenderunt in Egyptum. Ex quibus patet, quod illi tantum nominandi sunt transfluviales, qui descendunt ab Abraam per Ysaach, et Jacob aliis exclusis ratione prædicta. Hæc Burgensis, vbi plane videtur declinare vtramque opinionē, scilicet dicentium, quod Hebræi cognominantur

ab Abram, et ab Heber, scilicet nominum priorũ duorum Patriarcharum, et transferre cognominatio-nem in nomen appellativum, scilicet transfluviales. Quę opinio licet videatur probabilis, et sustentabilis tamen probabilior, et verisimilior videtur opi-nio Augustini, et Josephi ac postillatorũ; tum quia omnes conveniunt in hoc, quod Heber per Ayn scrip-tum fuit nomen illius Patriarchę, et hębreus eadem litera incipitur; tum etiam, quia Burgensis di-cit, quod Heber per Ayn scriptum significat trans-fluviale, et paulo post dicit, quod ubi nostra litera Josue 24 habet de Mesopotamię finibus in He-breo habetur, de Heber fluvii; ex quo videtur quod Heber non significat transfluviales, sed solum sig-nificat trans. Accedit his, quod divus Augustinus 16 de Civit. Dei c.º 11 dicit sic: quum legitur unã fuisse linguam hominum primitus, et ante omnes filios Sem commendatur Heber, quamvis ab illo quin-tus oriatur, et hebrea vocatur lingua, quam Patri-archarum, et Prophetarum non solum in sermo-nibus suis, verum etiam in literis sacris custo-

dixit auctoritas, profecto itaque. quum quæritur in divisione linguarum, vbi lingua illa remanere potuerit, quæ fuit ante communis, et non huius, vel illius gentis, sed ante dicebatur humana; sine vlla dubitatione vbi remansit, non ibi fuit illa pœna, quæ facta est mutatione linguarum, quod igitur aliud occurrit, nisi quod in huiusmodi gente remansit à cuius nomine nomen accepit; et infra: et certe est vna Hebræa gens ex Heber propagata, vsque ad Abrahã, et per eum deinceps donec magnus fieret Populus Israel; et infra; illarum autem gentium vocabula partim manserunt, ita vt hodie appareat, vnde fuerint derivata, sicut ex Assur Assirii, et ex Heber Hebræi. Ecce igitur quomodo dixerit, quod lingua humana, quæ ante divisionem linguarum erat vna remansit in descendentibus ab Heber, à quo et gens et lingua Hebræa dicta est.

Superest autem, vt ad argumenta in contrarium respondeamus. Ad primum dicendum, quod Augustinus, vt dictum est illud dictum in li. 2.º Retractationum maturius emendavit.

Ad 2um respondet Augustinus 16 civit. Dei cā. 11. dicens: nec frustra linguam istam, hoc est, quā tenuit Abraam, nec in omnes filios suos transmittere potuit, sed in eos tantum, qui propagati per Iacob, et insignius, atque eminentius in Dei Populum coalescentes Dei testamenta, et stirpem Christi habere potuerunt; nec Heber ipse eandem linguam in universam progeniem suam refudit, sed in eā tantum cuius generationes ad Abraam perducuntur, in quo Fides Christi, et aliorum piorum, ex quibus Civitas Dei in Christi Fide fundata est, coepit per Dei oracula manifestari. Ex his patet, quod non omnes ex tali, vel tali Patriarcha post Heber descendentes, Hebraei nominari debuerunt, sed qui Fidem, et cultum unius Dei, et linguam iam propriam, quę ante divisionem communis fuerat, servaverunt, merito id nomen sortiti sunt.

QVÆSTIO.

Super versu: dic ergo obsecro te, quod soror mea sis Gn. 12. et aliis similibus mendaciis tam Abrae, quam

Ex Quinterno Sig. termissionis se copio extra quest.n

aliorum sanctorum, potest quæri, utrum

omne mendacium sit peccatum mortale.

Et videtur, quod est. Primo quia in Psalmo dicitur: perdes omnes, qui loquuntur mendacium, et Sap. 1º os, quod mentitur, occidit Animam; sed perditio, et mors Animæ non est nisi per peccatum mortale: ergo omne mendacium est peccatum mortale.

2º omne, quod est contra præceptum Decalogi, quod haud dubie est de Iure naturali, est peccatum mortale; sed mendacium est contra hoc præceptum Decalogi: non falsum testimonium dices: ergo omne mendacium est peccatum mortale.

3º Augustinus dicit 3º de Doctrina Christiana: nemo mentiens in eo, quod mentitur, servat Fidem, nam hoc utique vult, ut cui mentitur Fidem sibi habeat, quam tamen ei mentiendo non servat; omnis autem Fidei violator, iniquus est; nullus autem dicitur Fidei violator, vel iniquus propter peccatum veniale: ergo nullum mendacium est peccatum veniale, sed mortale.

4º merces æterna non perditur, nisi pro

peccato mortali; sed pro mendacio perditur merces æterna commutata in temporalem; dicit enim Gregorius, quod in remuneratione obstetricum cognoscitur, quid mendacii culpa mereatur; nam benignitatis earum merces, quæ eis potuit in æterna vita tribui, præmissa culpa mendacii, in terrenam est remunerationem declinata: ergo etiam mendaciū officiosum, quale fuit obstetricum, quod videtur esse levissimum est peccatum mortale.

5.º Augustinus dicit in libro contra mendacium, quod perfectorum præceptum est non solum omnino non mentiri, sed nec velle mentiri; sed facere contra præceptum est peccatum mortale: ergo omne mendacium perfectorum est peccatum mortale: pari ergo ratione, et omnium aliorum alioquin essent peioris conditionis.

In contrarium videtur, quod non solum non omne mendacium non sit peccatum mortale; sed nec sit peccatum; primo quia constat, quod Evangelistæ scribendo Evangelium non peccaverunt, videntur tamen aliquid falsum dixisse;

quia verba Christi, et etiam aliorum frequenter aliter unus, et aliter retulit alius, unde apparet, quod alter eorum dixerit falsum: non ergo omne mendacium est peccatum.

2.º nullus remuneratur à Deo pro peccato; sed obstetrices Ægiptiorum remuneratæ sunt à Deo propter mendacium; dicitur enim Exo.^i 1.º quod ædificavit eis Deus domos: ergo mendacium non est peccatum.

3.º gesta Sanctorum narrantur in sacra Scriptura ad informationem vitæ humanæ iuxta illud Apostoli . . . . . quæcumque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt; sed de quibusdam sanctissimis viris legitur, quod mentiti sunt, sicut Gen.^a 12. et 20 legitur, quod Abraam dixit de uxore sua, quod esset soror sua; Iacob etiam mentitus est patri dicens, se esse Esau, et tamen benedictionem adeptus est, ut dicitur Gen.^a 27; Iudith etiam commendatur, quæ tamen Holopherni mentita est, sicut patet in lib. Iudith; et Iael Syrare est mentita,

et laudatur in cantico Delbore Judicum 5.° non ergo omne mendacium est peccatum.

4.° minus malum est eligendum, ut vitetur maius malum, sicut Medicus prescindit membrū, ne corrumpatur totum corpus; sed minus nocumentum est, quod aliquis generet falsam opinionem in Animō alicuius, quam quod aliquis occidat, vel occidatur: ergo licite potest homo mentiri, ut preservet unum ab homicidio, et alium ā morte.

5.° mendacium ob hoc videtur esse peccatum, quia per ipsum homo decipit proximum; unde Augustinus dicit in libro contra mendaciū: quisquis esse aliquod genus mendacii, quod peccatum non sit, putaverit, decipiet se ipsum turpiter, cum honestum se deceptorem arbitretur aliorum; sed non omne mendacium est deceptionis causa, quia per mendacium jocosum nullus decipitur, non enim ad hoc dicuntur huiusmodi mendacia, ut credantur, sed propter delectationē solam; unde, et iperbolice locutiones

ad maiorem expressionem quandoque in scriptura Sacra inveniuntur: non ergo omne mendacium est peccatum.

Pro declaratione huius dubii, et responsione ad argumenta utriusque partis, quę suo modo procedunt. Primo notandum, quod omne mendacium est peccatum, quę conclusio sic deducitur: illud, quod est de se malum ex genere nullomodo potest esse bonum, et licitum, quia ad hoc, quod aliquid sit bonum, requiritur, quod omnia recte concurrant; Bonum enim est ex integra causa; Malum autem ex singularibus deffectibus, ut dicit Dionisius 4.cā. de Divin. nomin; mendacium autem est malum ex genere, est enim actus cadens super indebitam materiam; quum enim voces sint signa naturaliter intellectuum, innaturale est, et indebitum, quod quis voce significet contrarium eius, quod habet in mente; unde Philus dicit 4. Ethic; quod mendacium est per se pravum, et fugiendum, verum autem est bonum, et laudabile; ex quo patet quod omne mendacium est peccatum; et ideo dicitur Ecci. 7: noli

mentiri omne mendacium, et Augustinus dicit sup. 5° Psalmo: duo sunt genera mendaciorum, in quibus non est magna culpa, sed tamen non sunt sine culpa, quum aut iocamur, aut proximo consulendo mentimur, hęc autem sunt iocosum, et officiosum mendacium, quę non vacant culpa, et ita sunt peccata, et quum mendacium perniciosum sit manifestius peccatum: ergo omne peccatum, scilicet iocosum, officiosum, et perniciosum est peccatum. Pro cuius maiori declaratione.

2° notandum, quod peccatum mortale proprie est, quod repugnat charitati, per quam anima vivit Deo coniuncta; potest autem mendacium contrariari charitati tripliciter; uno modo secundum se; alio modo secundum finem intentum; tertio modo per accidens; secundum se quidem charitati contrariatur ex ipsa falsa significatione, quęquidem si sit circa res divinas contrariatur charitati Dei, cuius veritatem quis tali mendacio occultat, vel corrumpit; unde

huiusmodi mendacium non solum opponitur virtuti charitatis, sed etiam virtuti Fidei, et Religionis, et ideo tale mendacium est gravissimum, et mortale; si vero falsa significatio sit circa aliquid, cuius cognitio pertineat ad hominis bonum, puta, quia pertineret ad perfectionem scientiæ, et informationem morum tale mendacium, in quantum infert damnum falsæ opinionis proximo contrariatur charitati, quantum ad dilectionem proximi, unde et est peccatum mortale. Si vero sit falsa opinio ex mendacio generata circa aliquid de quo non refferat utrum sic, vel aliter cognoscatur, tunc ex tali mendacio non damnificatur proximus, sicut si quis fallatur in aliquibus particularibus contingentibus ad se non pertinentibus; unde tale mendacium secundum se non est peccatum mortale; ratione vero finis intenti aliquod mendacium contrariatur charitati, puta, quod dicitur aut in iniuriam Dei, quod semper est peccatum mortale, ut pote Religioni contrarium, aut in nocumentum proximi, quantum ad personam

divitias, vel famam, et hoc etiam est peccatum mortale; cum nocere proximo sit peccatum mortale, ex sola autem intentione peccati mortalis aliquis mortaliter peccat. Si vero finis intentus non sit contrarius charitati, nec mendacium secundum hanc rationem erit peccatum mortale, sicut apparet in mendacio Jocoso, in quo intenditur aliqualevis delectatio, et in mendacio officioso, in quo intenditur etiam utilitas proximi; per accidens autem potest contrariari charitati ratione scandali, vel cuiuscumque damni consequentis, et sic erit etiam peccatum mortale, dum scilicet aliquis non veretur propter scandalum publice mentiri.

Si autem quaeratur quomodo Abraam vir eximiae perfectionis, et cui Dominus dixerat: ambula coram me, et esto perfectus, tale mendacium suavit uxori dicendum quandoquidem omne mendacium est peccatum, ut dictum est, et non sunt facienda mala, ut veniant bona, ut dicit Apostolus, maxime, quia per tale mendacium exponebat uxorem

periculo adulterii; unde videtur, quod potius debu-
isset eligere mortem. Ad huius dubii solutionem, et
rei per Abraam gestę excusationē.

3º notandum, quod homo in periculo positus
semper debet conari ad sui liberationem, id quod
secundum viam humanam potest, ne Deum tentet
omittendo illud, per quod potest vitare periculum, quantū
in se est, et quando plus non potest residuum debet
Divinę Providentię relinquere; Abraam autem in
terram Chanaam habebat magnam familiam, nec
habebat necessaria ad victum instante famę, nec ab
Incolis, qui eodem morbo laborabant poterat peregri-
nus comparare, et ideo tali periculo debuit consu-
lere descendendo in Egiptum Regionem propinquā,
et victualium habundantem, periculum autem cas-
titatis uxoris suę non erat adeo certum, aut propin-
quum, nam verisimiliter potuit stimare, quod
si uxor caperetur, reservaretur regi ob eius egre-
giam pulchritudinem, sicut rei monstravit eventus;
dicunt enim Hebrei, quod usque ad finem vitę suę
remansit in ea teneritudo carnis, et vivacitas coloris;

vnde Gen. 18 dicitur, quod Sarra erat senex, et pro-
vectę ętatis, et desierant ei fieri muliebria, nihilo-
minus capta est ab Abymelech Rege gerara in vxorē,
vt habetur Gn. 20; vnde licet Scriptura non dicat
expresse, quod Dominus conservaverit ei carnis tene-
ritudinem, et coloris vivacitatem, ac Iuventutis gra-
tiam, et speciem satis superque hoc ostendit historię
circumstantia, quę solet illuminare sententiam.
vnde simile habetur de Moyse Deuteron. vltimo, sci-
licet quod quum esset 120 annorum non caligą-
vit oculus eius, vbi Hebrea litera habet: non est
obscuratus color eius, vel non emarcuit recentia
eius, scilicet carnis, et coloris; et de Chaleb dicitur
Iosue 14, quod quum esset 85 annorum erat ita
fortis ad bellandum, et gradiendum, sicut quando
fuerat 45 annorum: igitur Abraam merito
potuit conicere, quod si egiptii Sarram acciperent,
eam Regi reservarent; Item sciebat, quod ea tem-
pestate Reges non accedebant ad novas vxores, nisi
post anni circulum, vnde vt patet Hester 2. sex
mensibus vngebantur oleo mirthino, et porteasex

aliis mensibus quibusdam unguentis, et variis pigmentis utebantur, et postea ad Regis cubiculum transibant, unde sperabat Abraam in tanto spatii temporis sibi, et uxori, ac familię divinum presidium non defuturum. Vel potest alia ratio addi, scilicet quod cum Abraam esset Propheta, ut patet Gen. 20. accepit in revelatione, quod etiam si uxor sua esset sublata nihil contra eius pudicitiam sequeretur quinimo Dei Gloriae cognitio, et laus apud ipsos Infideles acquireretur, et exuberceret; cognoverunt enim Pharao, et sui se flagellatos propter Sarai uxorem Abrae, et sic Dei Providentiam, et Iustitiam confessi sunt, nec fuere indurati, sicut Pharao, et servi eius, sicut patet in Exo. historia; nec proterviserunt sicut Philistiim carni manum, et Iustitiam, ac Domini Providentiam tribuentes, unde eluxit divina sapientia, atque Potentia primo propriam Gloriam, subinde notitiam sanctitatis servi sui, sicut ante ei fuerat pollicitus dicens: magnificabo nomen tuum.

Ex quibus confutatur error Magistri

Moisi secundaverit, qui ex dictis Abrae gestis, asserit Abraam multipliciter peccasse non solum in mendacio, et aliis eiusmodi; sed quia terram Promissionis absque Domini mandato ad quam Dei mandato venerat exivit; propter quę Abrae peccata impie asserit filios Israelis per tot annos subisse captivitatem Egiptiacam; quę quidem assertio, et vana, et superba est, nam licet de multis Sanctis legatur, quod aliquando peccarunt, ut de Moise ad aquas contradictionis, et David in facto Urię, tamen scriptura palam eos reprehendit, et ob id pœnas infligit, ut patet de Moise Num. 20, et de David 2. R. 12. ne eorum errores ad exemplū traherentur, sed in negotio Abrae fit oppositum, non enim solum non reprehenditur, verum etiam refertur eius gestum ad laudem Dei, et honorem eius, unde de hoc, et aliis eius gestis dicitur in Psalmo: pertransierunt de gente in gentem, et subdit: non reliquit hominem nocere eis, et corripuit pro eis Reges, nolite tangere Christos meos, et in Prophetis meis nolite

maligniari, unde patet, quod eorum gesta ad Dei laudem, et servorum suorum referuntur in Sacra Scripturam. Et hoc de periculo pudicitiæ uxoris.

Circa mendacium vero — dicendum, quod non docuit eam mentiri, sed prudenter veritatem occultare, quod aliquando etiam perfectis licet; mulieres enim, et viri de eadem cognatione propinqui, fratres, et sorores dicebantur; unde Gen. 13: Abraam vocavit fratrem Loth nepotem suum dicens: ne quæso sit iurgium inter me, et te, et inter pastores tuos, et pastores meos, fratres enim sumus; unde sic erat Sarra soror Abrae; unde Gen. 20. ipse Abraam se exposuit dicens: alias autem, et vere soror mea est filia patris mei, et non filia matris meæ, et duxi eam in uxorem; fuit enim filia Aram fratris sui, et per consequens dicebatur filia Thare patris sui, quia filii filiorum dicuntur etiam filii avorum; Verumtamen, quia Abraam, et Aram non erant de eadem matre, quia Thare habuit plures uxores, ideo dixit, quod non erat filia matris Abrae, attinebat enim ex

parte patris sui, et non attinebat sibi ex parte matris, vnde et Loth, qui in eodem gradu attinebat ipsi Abraam vocatur frater eius, vt dictum est.

Ad argumenta vero pro vtraque parte suo ordine respondendum est. Ad primum dicendum, quod illę auctoritates intelliguntur de mendacio pernicioso, vt ibidem exponit Glossa.

Ad 2um. dicendum, quod quum omnia pręcepta Decalogi ordinentur ad dilectionem Dei, et proximi intantum mendacium est contra pręceptum Decalogi, in quantum est contra dilectionem Dei, et proximi, vnde signanter prohibetur falsum testimonium contra proximũ.

Ad 3um. dicendum, quod etiam peccatum veniale largo modo potest dici iniquitas in quantum est pręter ęquitatem Iustitię; vnde dicitur 1. Io. 3: Omne peccatum est iniquitas, et hoc modo loquitur Augustinus.

Ad 4um. dicendum, quod mendacium obstetricum potest dupliciter considerari; vno modo quantum ad affectum beniuolentię in Iudeos,

et quantum ad reverentiam divini timoris, ex quibus commendatur in eis indoles virtutis, et sic debetur eis remuneratio æterna; unde Hieronimus exponit, quod Deus ædificavit eis domos spirituales; alio modo potest dictum mendacium considerari quantum ad ipsum exteriorem actum mendacii, quoquidem non potuerunt mereri æternam remunerationem, sed forte aliquam remunerationē temporalem, cuius merito non repugnabat deformitas illius mendacii, sicut repugnabat merito remunerationis æternæ; et sic sunt intelligenda verba Gregorii non quod per illud mendacium mererentur amittere remunerationem æternam, quam iam ex præcedenti affectu meruerāt, ut ratio procedebat.

Ad 5um. dicendum, quod quidam dicunt, quod perfectis viris omne mendacium est peccatum mortale; sed hoc irrationabiliter dicitur, nulla enim circumstantia aggravat in infinitum, nisi quæ transfert in aliam speciem; circumstantia autem personæ non transfert in aliam

speciem, nisi forte ratione alicuius ãnexsi,

puta, si sit contra votum ipsius; quod non po-

test dici de mendacio officioso, vel Jocoso, et ideo

mendacium officiosum, vel Jocosum non est pec-

catum mortale in viris perfectis, nisi forte

per accidens ratione scandali, et ad hoc pot est

reffexri, quod Augustinus dicit, perfectis esse

præceptum non solum mentiri, sed nec velle men-

tiri; quamvis hoc Augustinus non assertive,

sed sub dubitatione, dicat; præmittit enim, nisi forte,

ita ut perfectorum dñ.; nec obstabit, quod ipsi ponun-

tur in statu conservandæ veritatis, quia veri-

tatem tenentur conservare ex suo officio in Judicio,

vel doctrina contra quæ si mentiantur, erit

mendacium, quod est peccatum mortale; in

aliis autem non est necesse, quod mortaliter

peccent mentiendo.

Ad argumenta in contrarium dicendum

ad primum, quod nec in Evangelio, nec in aliqua

Scriptura Canonicâ phas est opinari aliquid

falsum asseri; nec quod scriptores earum men-

dacium dixerint, quia periret Fidei certitudo,
quae auctoritati Sacrae Scripturae innititur, in hoc
vero, quod in Evangelio, et in aliis scripturis sa-
cris verba aliquorum diversimode recitantur,
non est mendacium; unde Augustinus in libro de
Consensu Evangelistarum dicit, nullo modo la-
borandum esse iudicat, qui prudenter intelligit,
ipsas sententias esse necessarias cognoscendae
veritati quibuslibet verbis fuerint explicatae,
et in hoc apparet, ut ibidem subdit, non debere
nos arbitrari mentiri quemquam si pluribus
reminiscentibus rem, quam audierunt, vel vi-
derunt, non eodem modo, atque iisdem verbis eadem
res fuerit indicata, et idem Augustinus 5. li. con-
tra Faustum Manicheum inquit, non amant
sancti suos lectores, si suorum sociorum no-
verint deceptores, unitate enim gaudent, et
in Christo unum sunt, et si alius aliud alius
aliud, alius aliter, alius aliter, verum tamen om-
nes dicunt, nec sibi ullo modo contraria, si pius
lector accedat, si mitis legat, si non haeretica

animo vnde riseretur, sed fideli corde vnde ædificetur inquirat.

Ad 2um. dicendum, quod obstetrices non sunt remuneratæ pro mendacio, sed pro timore Dei, et benivolentia, ex qua processit mendacium; vnde signanter dicitur Exo. 1°. et quia timuerunt obstetrices Deum ædificavit illis domos; mendacium vero postea sequens non fuit meritorium, vt in responsione ad 1um. argumentum alterius partis Contensiu dictum est.

Ad 3um. dicendum, quod in sacra scriptura, vt Augustinus dicit inducuntur aliquorum gesta, quasi exempla perfectæ virtutis; de quibus non est æstimandum eos fuisse mentitos, si quæ tamen in eorum dictis appareant, quæ mendacia videantur, intelligendum est ea figuraliter, et prophetice dicta esse; vnde Augustinus dicit in li. contra mendacium, credendum est illos homines, qui propheticis temporibus digni auctoritate fuisse commemorantur omnia, quæ scripta sunt de ipsis prophetice gessisse,

atque dixisse, unde Abraam non est mentitus,
sed veritatem celavit dicens Sarram sororem,
quae uxor erat, ut ipse Augustinus dicit in quaest.
sup. Gen. Jacob autem mistice dixit se esse Esau
primogenitum Isaac, quia videlicet primogenita
illius de jure ei debebantur; usus autem est hoc
modo loquendi per spiritum Prophetiae ad desig-
nandum misterium, quia videlicet minor Po-
pulus scilicet Gentilium substituendus erat
in locum primogeniti, scilicet in locum Judeorum;
quidam vero commendantur in Scriptura non
propter perfectam virtutem, sed propter quandam
virtutis indicia, scilicet, quia apparebat in eis
aliquis laudabilis affectus, ex quo movebantur
ad quaedam indebita facienda, et hoc modo Judith
laudatur, non quia mentita est Holopherni,
sed propter affectum, quem habuit ad salutem
Populi sui, pro qua periculis se exposuit, quamvis
etiam dici possit, quod verba eius veritatem habent
secundum aliquem misticum intellectum. De
Jael late dicetur parva Judicum 4.°

Ad 4um. dicendum, quod mendacium non solum habet rationem peccati ex damno, quod infertur proximo, sed ex sua inordinatione; non licet autem uti aliqua illicita inordinatione ad impediendum nocumentum, et defectus aliorum, sicut non licet furari ad hoc quod homo eleemosinam faciat, nisi forte in casu necessitatis, in quo omnia sunt communia, et ideo non est licitum mendacium dicere ad hoc quod quis alium a quocumque periculo liberet, licet tamen veritatem occultare prudenter sub aliqua dissimulatione, ut dicit Augustinus in li. contra Mendacium.

Ad 5um. dicendum, quod aliqua operatio potest considerari dupliciter; uno modo secundum se ipsam; alio modo ex parte operantis; mendacium ergo iocosum ex ipso genere operis habet rationem fallendi, quamvis ex intentione dicentis non dicatur ad fallendum, nec fallat ex modo dicendi; nec est simile de iperbolicis, aut quibuscumque figurativis locutionibus, quae in Sacra Scriptura inveniuntur; quia ut Augustinus

dicit in lib. contra mendacium: quicquid figuratiue fit, aut dicitur, non est mendacium; omnis enim enunciatio ad id quod enunciat, refferenda est; omne autem figuratiue aut factum, aut dictum hoc enunciat, quod significat eis, quibus intelligendum, prolatum est. Hæc pro maiore parte ex S. Thom. 2.2. q. 110.

QVÆSTIO.

Quæritur vtrum quando Deus promisit Abraæ Gen. 15. et Populo Israelis Exo. 3. et sæpius in sacra scriptura, bona temporalia, intendebat principaliter in eis promittere bona æterna.

Et videtur, quod non. Primò quia per legem naturæ, aut per legem scriptam non intelligitur promissum, nisi quod per eas potuit præstari; sed neutra earum potuit præbere bona æterna: ergo nec in eis intelliguntur promissa, prima patet de se, media probatur auctoritate Apostoli Petri dicentis Actuum 4: non enim aliud nomē est sub cœlo datum hominibus, in quo opporteat

nos salvos fieri.

2°. nam perfectior fuit lex scripta quo ad promissiones, et explicationes premiorum, quam lex naturæ, quæ cucurrit usque ad Moysẽ; sed lex scripta non intendit bona æterna: ergo neutra earum. Probatur minor per Apostolũ Hebræ. 7°. dicentem: nihil ad perfectum adduxit lex.

3°. quia sensus literalis Sacræ Scripturæ est, quem eius auctor intendit; sed Deus aperte videtur intẽdisse, quod litera sonat, et effectus probavit, scilicet multiplicationem seminis Abrahæ, sicut est multitudo arenæ maris hiper-bolice loquendo, ut patet Gen. 13. et secundum multitudinem stellarum Cœli, ut patet Gen. 15. ergo hoc, quod litera sonat, videtur ab auctore Deo intentum.

Confirmatur hoc per illud Isaiæ 1: si vo-lueritis, et audieritis me bona terræ comedetis.

In contrarium est; Quia finis princi-palis semper est melior his quæ sunt ad finem,

et præmium à Deo principaliter promissum semper est melius, quam opus meritorium, propter quod promittitur; bona autem quæcumque temporalia sunt minora, quam Justitiæ opera: ergo non potuerunt sola ab auctore promittente intelligi, sed per ea bona æterna fuerunt intellecta.

Confirmatur nam bona temporalia non possunt esse merces magna nimis; sed talis fuit promissa Abrahæ dicente Domino Gen. 15: ego protector tuus, et merces tua magna nimis, de qua Sancta canit Ecclesia in officio mortuorum; sed signifer Sanctus Michael repræsentet eas in lucem sanctam, quam olim Abrahæ promisisti, et semini eius, quæ sententia accipitur ex hoc loco, et intellectu.

Pro responsione primo notandum, quod licet Deus per promissiones temporales Abrahæ et semini eius factas intenderet significare ea, quæ prima facie, aut secundum corticem literæ sonat, tamen principaliter intendebat

eis promittere vitam æternam pro præmio suarum meritoriarum operationum, quæ vita æterna erit in Resurrectione mortuorum, et hoc insinuat illa comparatio, quam fecit Deus Gen. 15, quum Abrahæ dixit: suspice Coelum, et numera stellas, si potes &c.ª quam rem tetigit Apostolus 1.ª Cor. 15. dicens: stella differt ab stella in claritate, sic et Resurrectio mortuorum; multiplicatio enim prolis, et quæcumque bona temporalia non possunt esse merces, vel finis principalis operum Iustitiæ, vel virtutis, ut dictum est in argum.to in contrarium, et ideo ubi in sacra Scriptura pro operibus virtutis vere, et proprie dictis promittuntur à Deo Iusto, et vero aliqua bona temporalia, non intelliguntur principaliter promissa, sed quasi manuductiva ad bona spiritualia, et æterna, quæ principaliter intelliguntur promissa, et hoc maxime conveniebat tempore legis Mosaicæ, et legis naturæ, in quibus homines imperfecti erant respectu temporis gratiæ, ut ex auctoritate

Apostoli satis claret: nihil ad perfectum addu-
xit lex Heb. 7; modus autem imperfectorum est,
vt ad amorem bonorum spiritualium, et coeles-
tium inducantur per amorem temporalium, et
terrestrium secundum Gregorium, vt animus
ex his, quæ novit, surgat ad incognita, quæ non
novit, et per hoc, quod scit notum diligere, discat,
et incognita amare. Quod autem Abraam in
hoc loco intellexerit sibi, et semini suo non solu
esse promissa terrena, sed etiam coelestia, quæ
per Christum sunt adimpleta, patet Joan. 8. vbi
dicitur: Abraam pater vester exultavit, vt videret
diem meum, vidit, et gavisus est; dies autem,
vel tempus Christi intelligitur tempus Passi-
onis, et Resurrectionis eius iuxta illud Matt.
26: tempus meum prope est Xº. tunc enim
aperta est ianua coelestis, et educti sancti
patres de Inferno.

2º. notandum, quod idem potest apertius
etiam ostendi ex circumstantiis literæ, et primo
ergo quod promissio de multiplicatione prolis

facta Abrae 15°. cā. aliter fuit facta 13. cā.; ibi
enim assimilat multitudinem prolis multi-
tudini arenę, quę est innumerabilis; dicit enim
si quis potest numerare pulverem terrę &c.ª; In
15 autem cā. concludit simpliciter similitudinē
inter semen suum, et stellas Coeli, sic enim ait:
exit semen tuum scilicet coeleste, lucidum, incor-
ruptibile Iuxta illud Dan. 12: quiad Iustitiam eru-
diunt plurimos, quasi stellę in perpetuas ęter-
nitates. Secundo idem ostenditur ex illo verbo: Edu-
xit eum foras, quod non videtur proprie intelligen-
dum per motum corporalem, hoc enim videtur
esse superfluum, quia Abraam non posset exis-
tens intra domum, vel tabernaculum suspicere
Coelum, et sic suffecisset dicere ei suspice coelū,
et numera Stellas; quum enim dixit eduxit eum
foras, ipse enim obediendo mandato, exivisset ad
locum, unde posset suspicere, sed hęc eductio ali-
ter videtur intelligenda, scilicet quod ad hoc, quod
Abraam haberet cognitionem saltem enigma-
ticam, quę est per Fidem de felicitate ęterna

opportebat eum extra se, vel supra se educi divinitus, Iuxta illud Eccl. 3: plurima enim supra sensum ostensa sunt tibi, et sic exponunt hunc passum antiqui Hebreorum dicentes: quid est, quod eduxit eum foras, nisi quod eduxit eum de opinione sua; unde notanter non dixit exi foras, sed eduxit eum foras, ad denotandum, quod Fides est donum Dei, Sap. 3: dabitur enim illi Fidei donum electum.

3.o ostenditur idem ex hoc quod sequitur, credidit Abraam Deo, et reputatum est ei ad Iustitiam, ad cuius intellectum sciendum, quod licet Abraam a principio exitus de domo sua, et cognatione sua separaverit ab Infidelibus, tamquam infidelis, tamen Fides Abrae in hoc loco fuit approbata a Deo, tanquam Fides Iustificans, et de hoc dicitur; et reputatum est ei ad Iustitiam, cuius ratio est secundum Apostolum Ro. 4. eo quod contra spem in spem credidit, scilicet contra spem naturę in spem gratię, quod intelligitur non solum in hoc quod

credidit ipsum futurum esse patrem multa-
rum gentium secundum carnem, quod est contra
spem naturæ, quum ipse esset senex, et ipsa ste-
rilis; sed potius in hoc, quod credidit, se, et semen
suum consecuturos esse vitam beatam, scilicet
cælestem, quæ res est maxime contra spem
naturæ juxta illud 1. Cor.ᵃ 2: oculus non vidit, nec
auris audivit, quæ præparavit Deus diligentibus
se; illa enim quæ ante fuerunt dicta, aut pro-
missa non excedebant totam facultatem naturæ,
sicut faciam te in gentem magnam &c.ª; et ideo in
hoc loco præcipue fides ejus fuit reputata ad
justitiam.

Et per hæc patet responsio ad argumenta
in contrarium. Ad primum ergo dicendum, quod
quum una fuerit Ecclesia antiquorum, et mo-
dernorum, quia in una Christi fide fundata li-
cet varie secundum temporis differentias, tam
lex naturæ, quam lex scripta, et lex gratiæ om-
nes professe sunt Christum, sine quo nemo
unquam salvari potuit; sed ille implicite, et

quodammodo figurative, hæc scilicet lex gratiæ, quia perfecta explicite, et aperte, ut pote data perfectis, et à perfecto, et perfecto tempore, quæ res satis apparet ex processu novi testamenti, ubi contemptus temporaliũ, et maximũ vitæ æternæ, ac Regni Coelorũ pretiũ crebro, ac clarissima voce promitur; unde, quia legem naturæ, et scripta à longe salutaverũt Christum, et in Fide mediatoris venturi salutem concupitæ sunt sub ænigmate temporaliũ æterna proposuerunt.

Et per hoc patet responsio ad 2um.

Ad 3um. dicendum, quod in hoc passu, et consimilibus est quodammodo duplex sensus literalis; unus de rebus terrenis, quæ minus principaliter, et manuductive promittuntur; alius de spiritualibus, seu æternis, quæ principaliter intenduntur; quia sensus principaliter intentus dicitur literalis, qui tamen duo sensus non ab re poterit dici unus, quia secundum Philum. ubi unũ propter aliud utrobique tantũ unum, minus autẽ principale semper est propter magis principale.

Quaestio.

Quaeritur utrum peccaverit Loth offerendo filias suas Sodomitis, ut eas ab iniuriâ Angelorum hospitum averteret, Genesis 19.

Et videtur, quod non. Primo, quia de duobus malis minus est eligendum; sed maius malum est crimen contra naturam, quam defloratio virginum per stuprum: ergo etc.

Secundo Moyses permisit dare libellum repudii, quod erat illicitum, ut dicit Salvator Matth. 19. ad duritiam cordis vestri etc. et hoc ad evitandum maius malum, scilicet uxoricidium; unde ibidem dicit Glossa permissum est eis, ut uxores dimitterent, ne eas occiderent, et tamen Moyses sanctus fuit, nec in hoc peccavit: ergo et ipse Loth potuit concedere filias suas ad evitandum vitium sodomiticum, et violentiam suorum hospitum.

3.° licite permittuntur meretrices secundum illud Augustini: tolle meretrices omnia turbabis libidinibus: ergo licite potuit Loth, ut maiora mala evitaret, minora permittere.

In contrarium facit dictum Augustini, quod Loth ex turbatione ea verba dixit, quia tales commutationes non sunt faciendæ, et alibi dicit periculosissime admittitur hæc compensatio, ut nos faciamus aliquid mali, ne alius gravius faciat, unde Apostolus Ro. dicit: non sunt facienda mala, ut veniant bona.

Dicendum, quod non licuit Loth concedere filias suas in abusum, sicut nec senilli de quo Iudicũ 19. ubi dixit: habeo filiam virginem, et hic homo habet concubinam, id est uxorem, educam eas ad vos, ut humilietis eas, et vestram libidinem compleatis, tantum obsecro, ne scelus hoc contra naturam operemini in virum, quod probatur sic, nã charitas, et ordinat, et est ordinata; sed committere aliquod peccatum contra salutem propriæ Animæ, ut in alio maius peccatum evitet, est contra ordinem charitatis, per quam immediate post Deum tenetur, quis amare se ipsum, et postea proximum, ut in 1°. de Doctrina Christiana dicit Augustinus expe.

Confirmatur ã simili; nam secundum Augustinum in libro contra mendacium, etiam ad præcavendũ

homicidium non est mentiendum, licet enim prætenderet evitationem maioris mali peccatum, quod committebat consentiendo rei, quę de suo genere erat peccatum mortale, scilicet offerre filias suas stupro erat non solum veniale, sicut mendacium officiosum, sed etiam mortale, fuit tamen alleviatum à tanto, ut dici solet, licet non à toto; tum ratione perturbationis mentis, in qua erat; tum etiam, quia crimini pessimo in suis concivibus, et violentię in suis hospitibus occurrere intendebat.

Et per hęc liquido apparet responsio ad argumenta in contrarium. Ad primum dicendum, quod tenet verum in corporalibus; sed quod homo faciat peccatum quantumcumque minimum in spiritualibus ad evitandum peccatum maius in alio non licet, ut probatum est.

Ad 2um. dicunt aliqui, quod Moyses non concessit libellum repudii ex se, quia peccasset; sed ex auctoritate Domini, qui potest coniungere, et dissolvere matrimonium, prout sibi placet, nec illi, qui sic uxores dimittebant, peccabant, quantum erat ex ipsa dimissione, sicut nec filii Israelis

peccaverunt expoliando Egiptios auctoritate Domini, cuius est terra, et plenitudo eius, et ideireo potest, vt vult vni auferre, et alteri dare; poterat autem esse peccatum in dimittentibus eo alias causas, scilicet, si iniuste odibant vxores, vel huiusmodi; sed hoc dictum non videtur consonum verbo Salvatoris Mathei 19. et Marci 10 vbi dicitur, quod si quis dimiserit vxorem nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mechatur, et qui dimissam, duxerit, mechatur, quod non esset verum, si primũ matrimonium esset dissolutum, et ideo potest aliter dici, scilicet, quod repudium vxoris fuit permissum, quia non puniebatur in lege, non per hoc, quod foret licitum, sicut dare extraneo ad vsuram, vt habetur Deuteron. 24. vbi hoc plenius discretur.

Vide in pos[t]i[lla] Mathei 19.

Ad 3um. dicendum, quod lex humana permittit meretrices, in quantum non punit talem fornicationem, quia non potest omnia punire, sed aliqua rationabiliter dimittit Dei iudicio punienda, quia finis humanę legis primus est pax, et vtilitas temporalis Reipublicę; nec tamen liceret legislatori, aut

gubernatori Reipublicæ ad meretricium, vel fornicationem inducere, vel cum minori peccato quempiam invitare etiam pro maiori malo evitando; quod autem inducitur, quod de Iure naturali est conservare hospites &c. non obstat, nam non tenetur quis ad id nisi quatenus licite, et sine peccato potest; non enim licet ei, et ordinem charitatis infringere, et ut aliquem a maiori malo retrahat peccare, ut dictum est.

QVÆSTIO.

Super versu: terram, quam postulas quadringentos siclos argenti valet et cetera, et sequitur, quod quum audisset Abraam, appendit peccuniam, quam Ephron postulaverat Gen. 23. et super versu: Vende mihi primogenitam tuam Gen. 25: potest quæri utrum liceat accipere peccuniam pro his, quæ sunt spiritualibus annexa.

Et videtur, quod sit licitum. Primo, quia omnia temporalia videntur esse spiritualibus annexa, quia temporalia sunt propter spiritualia quærenda, si ergo non licet vendere ea, quæ sunt spiritualibus

annexa nihil temporale licebit vendere, quod patet esse falsum.

2° quia nihil videtur magis esse spiritualibus annexum, quam vasa consecrata; sed calicē licet vendere pro redemptione captivorum, ut dicit Ambrosius: ergo licitum est vendere, ea, quę sunt spiritualibus annexa.

3° spiritualibus annexa dicuntur Jus sepulturę, Jus Patronatus, et Jus primogenitę secundum antiquos, quia ante legem primogeniti sacerdotis officio fungebantur, et etiam Jus accipiendi Decimas; sed Abraam emit ab Ephron speluncam duplicem in sepulturam, et Jacob emit Jus primogenitę ab Esau; Jus etiam Patronatus transit cum re vendita, et in feudum conceditur; decimę etiam concessę sunt quibusdam militibus, et redimi possūt; Prelati etiam interdum retinent sibi ad tempus fructus prebendarum, quas conferunt, quum tamen prebendę sint spiritualibus annexę: ergo licet emere, et vendere, ea, quę sunt spiritualibus annexa.

In contrarium est quod Paschalis Papa dicit, et habetur 1a. q. 3. ca. si quis: Quicunque eorum vendiderit alterum sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum dereliquit, nullus ergo emat Ecclesiam, vel Praebendam, vel aliquid Ecclesiasticum.

Pro responsione 1°. notandum, quod actus aliquis est malus ex genere, eo quod cadit super materiam indebitam; emptionis autem, et venditionis rei spiritualis est materia indebita triplici ratione; 1° quidem, quia res spiritualis non potest aliquo terreno pretio compensari, ut de sapientia dicitur Prov. 3: pretiosior est cunctis opibus, et omnia, quae desiderantur huic, non valent comparari; ideo etiam Petrus in ipsa sui radice simoniacam pravitatem condemnans dixit: pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri; 2° quia id potest esse debita venditionis materia, cuius venditor est Dominus, unde 1. q. 1. dicitur: tollerabilior est Macedonii, et eorum, qui circa ipsum sunt. sancti Spiritus impugnatorum impia haeresis; quam simoniacorum,

illi enim creaturam, et servum Dei Patris, et Filii Spiritum Sanctum delirando faciunt, isti vero eundem spiritum sanctum efficiunt servum suum, omnis enim Dominus, quod habet, si vult, vendit, sive servum, sive aliquid aliud eorum, quae possidet; Praelatus autem Ecclesiae non est Dominus spiritualium rerum, sed dispensator secundum illud 1a. Cor. 4: sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, et dispensatores misteriorum Dei; tertio quia venditio repugnat spiritualium origini, quae est gratuita Dei voluntate proveniunt, unde et Dominus dicit Mat. 10: gratis accepistis, gratis date, et ideo aliquis emendo, vel vendendo rem spiritualem irreverentiam exhibet rebus divinis propter quod peccat peccato irreligiositatis, unde congrue solet diffiniri simonia, quod est studiosa voluntas emendi, et vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum.

2o. notandum, quod aliquid potest esse annexum spiritualibus dupliciter; uno modo sicut ex spiritualibus dependens, sicut habere Beneficia

ecclesiastica dicitur spiritualibus annexum, quia non competit, nisi habenti officium clericale; unde huiusmodi nullo modo possunt esse sine spiritualibus, et propter hoc ea nullo modo vendere licet quia eis venditis intelliguntur etiam spiritualia venditioni subiici; quædam autem sunt annexa spiritualibus in quantum ad spiritualia ordinantur, sicut Ius Patronatus, quod ordinatur ad præsentandum clericos ad Ecclesiastica Beneficia, et vasa sacra, quæ ordinantur ad sacramentorum usum; unde huiusmodi non præsupponunt spiritualia, sed magis ea ordine temporis præcedunt, et ideo aliquo modo vendi possunt, non autem in quantum sunt spiritualibus annexa.

Ad primum dicendum, quod omnia temporalia anectuntur spiritualibus, sicut fini, et ideo ipsa quidem temporalia vendere licet; sed ordo eorum ad spiritualia sub venditione cadere non debet.

Ad 2um. dicendum, quod etiam vasa sacra sunt spiritualibus annexa, sicut fini, et ideo eorum consecratio non debet vendi, tamen pro necessitate

Ecclesiæ, et pauperum potest vendi materia corũ,
dummodo præmissa occasione prius confrin-
gantur, quia post confractionem non intelligun-
tur esse vasa sacra, sed purum metallum; unde
si ex eadem materia similia vasa iterum in-
tegrarentur, indigerent nova consecratione.

Ad 3um. dicendum, quod spelunca duplex,
quam Abraam emit in sepulturam, non legi-
tur, quod esset terra consecrata ad sepeliendum,
et ideo licebat Abrahæ terram illam emere ad usum
sepulturæ, ut sibi institueret sepulchrum, sicut
etiam modo liceret emere aliquem agrum commu-
nem ad instituendum ibi monasterium, vel eccle-
siam, vel cimiterium; tamen, quia apud Gentiles
loca sepulturæ deputata religiosa reputabantur,
si Ephron pro loco sepulturæ intendit pretium ac-
cipere, peccavit vendens, licet Abraam non peccaverit
emens, quia non intendebat emere, nisi terram
communem, licet etiam modo terram, ubi quõdam
~~[illegible]~~ fuit ecclesia vendere, aut emere in casu ne-
cessitatis, sicut de materia sacr~~[illegible]~~orũ vasorũ

dictum est, vel excusatur Abraam, quia in hoc redemit suam vexationem, quamvis Ephron gratis ei sepulturam offerret, perpendit tamen Abraã quod gratis recipere sine eius offensa non posset; Ius autem primogeniturę debebatur Jacob ex divina electione secundum illud Malachię 1.° Jacob dilexi, Esau autem odio habui, et ideo peccavit Esau primogenita vendens, Jacob autem non peccavit emens, quia intelligitur suam vexationem redemisse; Ius autem Patronatus per se vendi non potest, nec in feudum dari, sed transit cum villa, quę venditur, vel conceditur; Ius autem spirituale accipiendi decimas non conceditur laicis, sed tantum res temporales, quę nomine decimę dantur; circa collationem beneficiorum sciendum est, quod si episcopus antequam beneficium alicui conferat ob aliquam causam ordinaverit aliquid subtrahendum de fructibus beneficii conferendi, et in pios usus expendendum, non est illicitum; si vero ab eo, cui beneficium confert, requirat aliquid sibi exhiberi de fructibus illius beneficii, idem est, ac si aliquod munus ab eo exigeret,

Et sic non caret vitio Simoniæ. S. Thom. 2.2. q. 100. a. 4.

Quæstio.

Super verum: accusaritque fratres suos apud patrem crimine pessimo Gen. 37. potest quæri utrum Joseph fuit obligatus accusare fratres suos.

Et videtur, quod non. Primo, quia omne debitum ex charitate dependet, quæ est finis præcepti, unde dicitur Ro. 13: nemini quicquam debeatis, nisi, ut invicem diligatis; sed illud, quod est charitatis homo debet omnibus maioribus, et minoribus subditis, et Prælatis; cum ergo subditi non debeant Prælatos accusare, nec minores suos maiores, ut per plura cau.a 2. q. 7. patet, apparet, quod Joseph non debuit accusare fratres suos.

2.o quia nullus tenetur contra fidelitatem, quam debet amico esse, multo magis fratribus agere, nemo enim debet alteri facere, quod sibi non vult fieri; sed accusare amicum quandoque est contra fidelitatem, quam quis ei debet, dicitur enim Proverb. 11: qui ambulat fraudulenter

revelat archanum, qui autem fidelis est, celat amici commissum, ex quo sequitur, quod multo magis debet celare fratris commissum: ergo non fuit Joseph obligatus accusare fratres.

3°. nemo tenetur facere contra ordinem charitatis; sed ordo charitatis requirit, ut ante accusationem, seu denunciationem, praecedat monitio secreta, et postea adhibeantur unus, vel duo testes, et si sic non audierit frater, dicatur ecclesiae, ut patet Mathei 18: ergo non tenebatur Joseph accusare, sed ante monere, et X.^a quod non constat fecisse.

In contrarium est, quod dicitur Levit. 5°. si peccaverit Anima, et audierit vocem iurantis, testisque fuerit, quod ipse vidit, aut conscius est, nisi indicaverit, portabit iniquitatem suam.

Pro responsione 1°. notandum, quod haec est differentia inter denunciationem, et accusationem, quia in denunciatione attenditur emendatio fratris, in accusatione attenditur punitio criminis, poenae autem praesentis vitae non per se expe-

tamen, quia non est hic vltimum retributionis tempus, sed in quantum sunt medicinales, scilicet conferentes, vel ad emendationem personę peccantis, vel ad bonum reipublicę, cuius quies procuratur per punitionem peccantium; quorum primum intenditur in denunciatione; secundum autem proprie pertinet ad accusationem; et ideo si crimen fuerit tale, quod vergat in detrimentũ Reipublicę, tenetur homo ad accusationem, dum modo sufficienter possit probare ea, quę se Iure pertinent ad officium accusatoris, et hoc est quum peccatum alicuius vergit in multitudinis corruptelam, corporalem, seu spiritualem; si autem non fuerit tale peccatum, quod in multitudinem redundet, vel etiam si sufficientem probationem adhibere non possit, non tenetur quis interponere iu-ridicam accusationem, quia nullus tenetur ad illud, quod non potest debito modo perficere; ex dictis infertur, quod accusatio de qua prędictus textus mentionem facit, non fuit Iuridica accusatio, sed fraternę, ac charitativę correctionis denunciatio.

2.° notandum, quod super illo verbo crimine pessimo dicunt aliqui, quod accusavit solum Ruben de hoc, quod dormierat cum Bala ancilla Rachel, et uxorem Jacob, vt habetur Gen. 35; scriptura tamen loquitur, ac si accusaret omnes eo modo loquendi, quo factum vnius de communitate aliqua imponitur aliis de eadem communitate; et tali modo loquendi vtitur scriptura Mathei 26, vbi de vnguento effuso super caput Christi dicitur: indignati sunt discipuli dicentes, vt quid perdit io hec, et tamen solus Judas Scarioth de hoc murmuravit, vt habetur Joannis 12; sed hoc non est verisimile, quia in eodem cap.° 37. dicitur, quod quum alii fratres vellent Joseph occidere solus Ruben conabatur eum liberare de manibus eorum, et patri suo reddere; vnde alii dicunt, quod accusavit eos de coitu cum bestiis, quod dicitur peccatum bestiale, sed hoc est turpe, et nepharium dicere de Patriarchis, maxime, quia ad dictas inventiones nemo cogitur, nisi propter verbum crimine pessimo, quod in nostra translatione

invenitur, et in Hębræo non sic habetur, sed hęc est litera Hebraica secundum Nicolaum; et retulit patri rixam eorum pessimam; et hoc concordat cum illis sacrę historię verbis, quę paulo ante dixit: et erat Ioseph cum filiis Balę, et Zelphę uxorum patris sui; hi enim, quia filii ancillarum despiciebantur, tanquam servi à filiis Lię cum quibus magis conversabatur Ioseph, ut textus insinuat, et ideo ultra Dei timorem, qui in eo præceteris vigebat magis eorum iniuriam sentiebat, et talis discordia, atque contentio vocatur crimen pessimum à translatione nostra, quia sicut fraterna charitas est quid optimum, ita è contra odium fraternum quid pessimum.

Sed Burgensis linguæ Hebraicę non imperitus dicit, quod in Hębræo non ponitur in hoc loco dictio significans crimen pessimum, aut rixam, sed detractionem, nam eadem dictio ponitur hic, et Num. 13. ubi dicitur: detraxerunt terræ, quod esset mala; unde videtur, quod Ioseph accusavit fratres apud patrem, seu denunciavit patri

rixas, seu mutuas detractiones, et discordias fratrum suorum, et hoc ex fraterna charitate, ut pater sua auctoritate, et doctrina eos corrigeret, quia ipse junior erat, et forte jam eos monuerat, et nihil profecerat.

Et per hęc patet responsio ad argumenta in contrarium. Ad primum dicendum, quod jura loquuntur de accusatione juridica, textus accipit accusationem pro denunciatione, in quo casu minores ętate, et auctoritate, et etiam merito possunt charitativa correctione, etiam in maiores fungi, quanto magis, quia Joseph erat maiori merito fratribus suis, quod potest conijci ex textu, quum dicit: Israel autem diligebat Joseph super omnes filios, eo quod in senectute genuisset eum, quo loco Hębraica litera habet: eo quod filius senectutis esset sibi; quod exponens translatio caldea, sic dicit: Israel autem diligebat Joseph, eo quod esset filius sapiens sibi; unde caldea translatio videtur intellexisse senectutem, id est sapientiam, et morum compositionem, et charitatem,

ac zelum in conscientia sacrum, quem ab ineunte ætate prætexebat, juxta illud Sapien. 4: cani sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata; et hæc causa simul cum illa, quia videbat in illo lucere spiritum Domini, et eximiam indolem, et singularis gratiæ, et corporis elegantiam, quibus senex demulcebatur, augebant patris amorem, ut eum præceteris diligeret, quia satis ei constabat Dei munere esse, quod talem in senectute genuisset, non enim sola hæc causa sufficeret, quum Beniamin fuerit maiore senectute genitus, et Isachar, ac Zabulon non multum in ætate eum præcesserunt.

Ad 2um. dicendum, quod revelare secretum in malum personæ est contra fidelitatem, non autem si reveletur propter bonum commune, quod tanquam melius, ac divinius præferendum est bono privato, et ideo contra bonum commune nullum secretum licet recipere, et maxime si vergit in detrimentum spirituale, quod ceteris bonis præponderat juxta illud Domini . . . . quid prodest

homini si totum mundum lucretur, animæ vero sui detrimentum patiatur; nec tamen omnino erat secretum, quod fratribus omnibus, et servis, et ancillis, et forte aliis contubernalibus erat exploratum; unde in talibus non habet locum illud Matth. 18: si peccaverit in te frater tuus.

Ad 3um. dicendum, quod non omnia gesta sunt per sacram scripturam relata, unde non valet argumentum: non dicit scriptura: ergo non fuit nisi apud ritas. unde aut secreta admonitio præcessit, licet non sit scripta, aut non præcessit, quia non erat necessaria, quia apud patrem, non apud Ecclesiæ Prælatum agebatur causa, aut forte non fuit expediens, quia lucrum fratris non expectabatur, maxime quia iunior erat Joseph, et ex invidia odio habitus, et ideirco ad persuadendum minus idoneus.

QVÆSTIO.

Super versu: Respondit Joseph somnium Regis unum est, quæ facturus est Deus ostendit Pharaoni &c.

Gen. 41: quaeritur utrum liceat conijcere
aut interpretari somnia.

Et videtur, quod liceat. Primo nam interpretari
instructionem Divinam non est illicitum; sed in
somnijs homines instruuntur a Deo; dicitur
enim Job 33: per somnium in visione noctur-
na, quando irruit sopor super homines, et dor-
miunt in lectulo tunc aperit, scilicet Deus, aures
virorum, et erudiens eos, instruit disciplina: ergo
conijcere, aut interpretari somnia non est illicitum.

2° gesta sanctorum non sunt estimanda
illicita, imo sunt exemplum, et instructio nos-
tra; sed sancti viri leguntur somnia conjecisse,
et interpretatos esse, sicut Joseph somnia pin-
cernae, et magistri pistorum Pharaonis, ut legitur
Gen. 41, et Daniel interpretatus est somnium Re-
gis Babilonis, ut habetur Dan. 2. et 4: ergo
interpretatio somniorum non est illicita.

3° illud, quod communiter homines
experiuntur irrationabile est negare; sed omnes
experiuntur somnia habere aliquam signifi-

cationem futurorum: ergo vanum est negare talem interpretationem, et licitum ea uti, nam fama non est omnino vana, quam plurimi populi decantant &c. Ethic.

Sed contra est, quod habetur Deut. 18: non inveniatur in te, qui observet somnia.

Pro responsione 1º notandum est, quod causæ rerū sunt latentes, et effectus earum magis noti, et ideirco ducunt in cognitionē causarum, sicut signa naturaliter eas repræsentantia; videmus enim, quod fumus exterius prorumpens est effectus ignis intra caminum latentis, et ducit in cognitionem eius, sicut signum ipsum naturaliter repræsentans; contingit enim aliquando, quod una causa producit duos effectus ordinate tamen scilicet unum post aliū, sicut in febricitāte vigoratio naturæ est causa digestionis urinæ primo, et consequenter post ea sanitatis, et tunc primus effectus non solum est signum vigorationis naturæ, sed etiam sanitatis futuræ; quando igitur una, et eadem est causa

somni, et alterius effectus consequentis, tunc illud somnium est signum naturaliter represen-tans effectum futurum, et ideo per tale somniū quis potest licite prenosticari de effectu futuro, sicut Medicus licite prenosticatur per conditionē urinę sanitatem, vel mortem futuram. Unde

2.° est notandum, quę sit causa somniorū, et an possint esse causę futurorum eventuum, vel per ea futuri eventus possint cognosci; causa autem somniorū quandoque est interior; quan-doque exterior; Interior autem somniorum cau-sa est duplex; una scilicet Animalis in quantum scilicet ea occurrunt hominis fantasię in dormi-endo circa quę eius cogitatio, et affectio fuit immo-rata in vigilando, et talis causa somniorum non est causa futurorum eventuum; unde hu-iusmodi somnia per accidens se habent ad futuros eventus, et si quandoque simul concurrant, erit casuale; et quia talis causa non est causa alicuius effectus ulterius sequentis non potest quis prenosticari de futuris per talia somniā;

et quia somnia, ut pluximũ hoc pacto contingunt; ideo dicitur Ecclesiastes 4: ubi multa sunt somnia, ibi pluximę sunt vanitates; et apud Catonẽ habetur: somnia ne cures, et nam mens humana, quod optat, dum vigilat somnio cernit ipsum; quandoque vera causa intrinsica somniorum est corporalis, nam ex interiori dispositione corporis formatur in somniis aliquis motus in fantasia conveniens tali dispositioni, sicut homini in quo habundant frigidi humores, occurrit in somniis, quod sit in aquas vel in nive, quia fantasmata formantur conformia tali dispositioni; quapropter dicit Phus. in li. de somno, et vigilia, quod Medici dicunt valde esse attendendum ad somnia Infirmorũ; et Albertus ibidem dicit, quod quidam somniavit, quod pix nigra fundebatur super pectus suum, et sequenti die evomuit coleram nigrã in magna quantitate, et ideo de talibus somniis potest prognosticari quis de futura sanitate, vel infirmitate ipsius somniantis.

Causa autem exterior somniorum potest esse duplex, scilicet una corporalis, alia spiritualis; corporalis quidem in quantum imaginatio dormientis immutatur, vel ab aere continenti, vel ex impressione coelestis corporis, ut sic dormienti aliquę fantasię appareant conformes Coelestium dispositionū, sicut enim per eorum influentiam producuntur formę diversę in materia corporali, ut plantarū, et mineraliū, et huiusmodi, ita et per eorū influentiam in virtute fantastica, quę est organica causantur formę, sive fantasmata conformia dispositioni coelesti ad causandum effectum aliquem futurū, et per consequens per talia somnia potest quis de futuris pręnosticari; sed animadverte, quod dictę causę somniorum, scilicet dispositiones corporis somniantis, et influentię corporis coelestis, et aeris continentis magis habent effectum in virtute fantastica dormientis, quam vigilantis, quia in vigiliis propter occupationes circa exteriora

non percipiuntur, imo magis effectus eorum impediuntur, quia motus maiores expellunt minores.

Causa autem spiritualis exterior somniorum est duplex, scilicet una bona, scilicet Deus per se, vel per ministerium Angelorum immittens alicui imaginarias dispositiones ad significandã aliqua futura, vel ad revelandum ei aliquid secundũ illud Num. 12: si quis fuerit inter vos Propheta Domini in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum; et repraesentatio futurorum fit dupliciter. Uno modo sic, quod uni soli fit imaginaria visio, et alteri datur intellectus talis visionis, sicut contigit in negotio Pharaonis, et pincernæ, ac magistri pistorũ ministrorum eius, qui habuerunt solam imaginariam visionem, sed Joseph habuit de his cognitionẽ intellectivam, et ideo ipse habuit in hoc donum Prophetiæ, non autem illi; quia illustratio intellectus requiritur ad Prophetiã iuxta illud Dan. 10: intelligentia opus est in visione. Aliquando autẽ eidem fit imaginaria visio, et cognitio intellectiva eiusdem visionis, sicut

Danieli factum est Dan. 10; et hoc etiam pertinet ad Prophetiam. Alia est causa somniorum spiritualis exterior mala, scilicet quando a dæmonibus immittuntur visiones aliquæ imaginariæ in dormiendo, et talibus utuntur artes magicæ sicut dicitur 4 Phisic. de illis, qui in sardis dormiebant, et in historia Britonũ de his, qui Idolis sacrificabãt.

Et per hæc patet responsio ad argumta. Ad primum dicendum, quod procedit de somniis, quæ immittũtur a Deo per se, vel mediantibus Angelis ad significationẽ alicuius futuri; unde de talibus potest aliquid futurum certitudinaliter quis coniicere, aut interpretari, quum illustratur a Deo ad talia cognoscendum, et licet tali talia exponere, et prædicere.

Ad 2um vero per idem dicendum est, nam somnia, quæ in sacra scriptura narrantur interpretata a Deo, et sanctis Angelis suis narrantur immissa, et impleta ad aliquas utilitates, et ideo talibus attendere non fuit superstitiosũ, aut illicitũ, sicut solet esse coniicere somnia a demonibus immissa, ut dictum est.

Ad 3um dicendum, quod somnia, quę procedunt ex causa naturali intrinseca, sive extrinseca quantum talis virtus se potest extendere, possunt esse signa alicuius eventus futuri in quantum causantur ex dispositione somniantis, vel ex impressione corporis Coelestis, vel aeris continentis; et de talibus quę via naturali procedunt, potest haberi aliqua certitudo, nisi coniiciens excedat vires, aut limites virtutis naturę plus asserendo, quam rei natura patiatur, quia tales effectus futuri designati per somnium possunt impediri, sicut sanitas ęgrotantis prænosticata per urinam aliquando impeditur, et quia talia prænostica sępe sunt vera ex eorum experientia, et aliquorum somniorum per Dęmones immissorum orta est opinio, et fama, ut mulierculę et homines leves somniis absque discrimine attendant, quia tamen fama malum, ut dicit Virgilius, et facta, atque infecta canit, ideo non semper, aut omnino vera, nec omnino vana, ut dicit Aristoteles, quia ut plurimum oritur ex aliquo vero, aut verisimili, licet aliqua inania, aut

superstitiam immiceat, ut dictum est; nec tamen excusat multitudo opinantium à superstitione, vel illicito, unde illud Exod. 23: non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio, plurimorum acquiesces sententiæ, ut à vero declines. Hæc ex S.to Thoma 22. q. 95. a. 6. non nullis additis.

QVÆSTIO.

Supervenit: omnem pecuniam congregavit scilicet Joseph pro venditione frumenti, et intulit eam in ærarium Regis Gen. 47, ubi Glossa dicit congregavit non per exactionem, sed per venditionem bladi iustam, quia tantum valet res, quantum potest vendi, et ideo illud, quod Joseph emerat pro parvo pretio tempore fertilitatis, poterat revendere eisdem personis, et multo fortius aliis pro maiori pretio, maxime, quia nullum compulerat ad vendendum sibi bladum nomine Regis.

Hic potest quæri utrum liceat negociando carius vendere aliquid, quam emptum est.

Et videtur, quod non. Primo, quia Chrisostomus super Mathæum c.º 21. dicit: quicumque rem comparat, ut integram, et immutatam vendendo lucretur, ille est mercator, qui de Templo Dei eiicitur; et idem dicit Cassiodorus super illud Psalmi: quoniam non cognovi literaturam, vel negociationē secundū aliam literam quid inquit est aliud negociatio, nisi vilius comparare, et carius velle distrahere; et subdit: negociatores tales Dominus eiecit de Templo; sed nullus eiicitur de Templo, nisi propter aliquod peccatū: ergo talis negociatio est peccatum.

2.º Contra Iustitiam est quod quis carius vendat, vel vilius emat, quam valeat; sed ille, qui negociando rem carius vendit, quā emerit, necesse est, quod vel vilius emerit, quam valeat, vel carius vendat: ergo hoc sine peccato fieri non potest.

3.º Hieronimus dicit: negociatorem clericū ex inope divitem ex ignobili gloriosum, quasi quamdā pestem fuge; non autem negociatio clerico interdicenda esse videretur, nisi propter peccatū: ergo negociando aliquid vilius emere, et carius vendere est peccatum.

4.º licet vendere rem plusquam valeat: ergo licet vendere plusquam fuit emptum; consequentia est nota per locum a maiori ad minori; antecedens patet, nam iustum in comutationibus humanae vitae secundum leges civiles determinatur; sed secundum eas licitum est emptori, et venditori, ut se invicem decipiant, ut patet in lege in causis ff. de minoribus, quod quidem fit in quantum venditor plus vendit rem, quam valeat, emptor autem minus emit, quam valeat, et sic apparet licitum, quod quis vendat rem plusquam valeat, et a fortiori plusquam emerit.

5.º quia illud, quod est omnibus commune est naturale secundum doctrinam Arist. 1.º de coelo. Sed sicut Augustinus refert 13 de Trinitate dictum cuiusdam Mimi fuit ab omnibus pro vero habitum, scilicet vili vultis emere, et caro vendere, cui etiam consonat, quod dicitur Prov. 20: malum est, malum est dicit omnis emptor, et quum recesserit, gloriatur: ergo licitum est aliquid carius vendere, quam emptum fuerit.

6.º non videtur esse illicitum si ex conventione

agatur id quod fieri debet ex debito honestatis; sed secundum Philosophum 8. Ethic. in amicitia utili recompensatio fieri debet secundum utilitatem, quam consecutus est ille, qui beneficium suscepit, quae quidem excedit valorem rei datae, sicut contingit quum aliquis multum re aliqua indiget, vel ad periculum evitandum, vel ad aliquod commodum consequendum: ergo licet in contractu emptionis, et venditionis aliquid dare pro maiori pretio, quam fuit emptum.

In contrarium est, quod dicitur Matthaei 7. omnia quaecumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis; sed nullus vult sibi rem vendi plusquam empta fuerit: ergo nemo debet alteri vendere carius, quam emit.

Item Augustinus super illud Psal: quoniam non cognovi literaturam, ubi alia litera habet negociationem, dicit: negociator avidus acquirendi pro damno blasfemat, pro pretiis rerum mentitur, et peierat; sed haec vitia hominis sunt non artis, quae sine his vitiis agi potest: ergo negociari, quod est ad lucrum, scilicet vilius emendo, et carius venden-

dam licitum est.

Confirmatur per gestum Patriarchę Joseph in fronte quęstionis positum.

Pro declaratione huius materię 1.º notandum, quod ad negociatores pertinet comutationibus rerum insistere, vt autem Phus in 1.º Polit. dicit duplex est rerum comutatio; vna quidem quasi naturalis, et necessaria per quam scilicet fit comutatio rei ad rem, vel rerum, et denariorum propter necessitatem Vitę; et talis comutatio non pertinet proprie ad negociatores, sed magis ad economicos, et politicos, qui habent providere domui, vel civitati de rebus necessariis ad vitam. Alia vero species comutationis est, vel denariorum ad denarios, vel quarumcumque rerum ad denarios non propter res necessarias ad vitam, sed propter lucrum quęrendum; et talis quidem negociatio videtur proprie ad negociatores pertinere secundum Phum; prima autem comutatio est procul dubio laudabilis, quia deservit naturali necessitati; secunda autem iuste vituperatur, quia quantum est de se deservit cupiditati lucri,

quę terminum nescit, sed in infinitũ tendit, et ideo negociatio secundum se considerata quamdam turpitudinem habet in quãtum non importat de sui ratione finem honestum, vel necessariũ; lucrum tamẽ, quod est negociationis finis, et si in sui ratione non importet aliquid honestũ, vel neccessariũ, nihil tamẽ importat de sui ratione viciosum, vel virtuti contrarium; vnde nihil prohibet lucrũ ordinari ad aliquem finem neccessariũ, vel etiam honestũ, et sic negociatio reddetur licita, sicut quum aliquis lucrũ moderatum, quod negociando quęritur, ordinat ad domus suę sustentationẽ, vel etiã ad subveniendum indigentibus, vel etiã quum aliquis negociationi intendit propter publicã vtilitatẽ, ne scilicet res neccessarię ad vitam Patrię desint, et lucrũ expetit, non quasi finẽ, sed quasi stipendium laboris. Hęc S.tus Thom. 2.2. q. 77. a. 4.º

2.º notandum quod fraudem adhibere ad hoc, quod aliquid plus iusto pretio vendatur omnino peccatũ est, in quantũ aliquis decipit proximũ

indamnũ ipsius; vnde Tullius in lib. de Officiis dicit:
tollendum est igitur in rebus contrahendis om-
ne mendacium, non licitatorem venditor, nec qui
contra se licitetur, emptor apponet; et videtur Tullius hic
licitatorẽ pro extimatore, vel apreciatore fraudulento
accipere; abiecta igitur de medio fraude, possumus loqui
dupliciter de emptione, et venditione, scilicet vno
modo secũdum se, et secundum hoc emptio, et ven-
ditio videtur esse introducta pro communi vtilitate
vtriusque, dum scilicet vnus indiget re alterius, et
ẽ converso, sicut patet per Phum. in 1º. Polit. quod autẽ
pro communi vtilitate inductũ est, non debet esse
magis in gravamẽ vnius, quam alterius, et ideo
debet secũdum ęqualitatẽ rei inter eos contractus
instituι. Quantitas autẽ rei, quę in vsum
hominis venit, mensuratur secundũ pretium
datum, ad quod est inventũ numisma, vt ha-
betur 5º. ethic. et ideo si vel pretiũ excedat quan-
titatẽ valoris rei, vel ẽ converso res excedat pretium,
tolletur Iustitię ęqualitas, vnde carius vendere,
aut vilius emere rem, quam valeat, est secũdum se

iniustũ, et illicitũ. Alio modo possumus loqui de
emptione, et venditione secundum quod per accidens
cedit in vtilitatẽ vnius, et detrimentum alterius, pu-
ta quando quis multum indiget habere rem aliquã,
et alius læditur, si ea careat, et in tali casu præ-
tium erit iustum, vt non solũ respiciatur ad rem,
quæ venditur, sed ad dãnum, quod vẽditor ex ven-
ditione incurrit, et sic licite poterit aliquid vendi plus
quã valeat secundum se, quamvis non vendatur plus
quam valeat habenti; si vero aliquis multũ iuvatur
ex re alterius, quam accipit, ille vero, qui vendidit
non damnificatur carendo re illa, non debet eã
supervendere, quia vtilitas, quæ alteri accrescit, non
est ex venditione, sed ex conditione ementis; nullus
autem debet vendere alteri, quod non est suum,
licet possit ei vendere damnum, quod patitur; ille
tamen, qui ex re alterius accepta multũ iuvatur,
potest, propria sponte aliquid vendenti supererogare,
quæ res pertinet ad eius directionẽ.

3º notandum secundum dicta Scoti in 4. dist.
15. nonnullis additis, et subtractis, quod res tanti

vendi potest quanti emptorẽ invenit, et ẽ contra tanti emi potest quanti venditorẽ invenit, si qua-tuor concurrant, scilicet scientia, libertas, pru-dentia, facultas donandi ex parte contrahentis; primum igitur est scientia, scilicet, quod nulla sit ignorantia ex parte alterius; sed quilibet eorum ag-noscat rem, et eius qualitatem, et valorem; facit Glossa penultima in lege mortis causa capi ff. de donationi-bus causa mortis; secundum est libertas volunta-tis, scilicet quod non faciat ex tali necessitate, quę excludat rationem voluntarii, quomodo autem sciri possit, quod non fiat voluntarie, dicitur, si talis res pertinet ad necessitatẽ vitę, sicut sunt granum, me-dicinę, vestes, domus, et huiusmodi sine quibus nemo vivere potest; talia enim non possunt vendi ad libitũ, sed iustum pretium debet taxari per habentem po-testatẽ statuendi, et propter communem utilitatẽ statuendo non proprię utilitati, aut inani glorię serviendo, et ęqualitatis moderationẽ servando, ita ut non inęqualiter onera multitudinis superveniant; nam lex, vel taxatio, quę dictas conditiones non continet,

non est lex, quia iusta non est, ut dicit Augustinus in li. de libero arbitrio. Hg S.tus Thom. 1.2. q. 96. a. 4. attenditur etiam quod non sit libera voluntas quando quis vendit, vel emit tali pretio propter evitandum sibi notabile, aut enorme damnum, nam quando quis nisi venderet, vel emeret tali pretio scit se incursurum gravem iacturam, puta amissionem bonorum, aut notabilis partis eorum cente talis necessitas, sicut timor, qui potest cadere in constantem virum, excludit libertatem voluntatis secundum notata in c.o quum locum de spons. et in c.o Abbas, quod metus causa, secus in lesione metu, est enim contra charitatem addere afflictionem afflicto; tertium quod requiritur est, quod sit prudens contrahens, quia notabilis levitas contrahentis vitiat factum; quartum requiritur, quod vendens minus debito, vel emens plus debito, possit donare, arg.u. m Capitul.i 2.i de donationibus; si vero haec 4.or non concurrant, tunc non liceret emere, vel vendere, nisi iusto pretio, et sciens, qui notabiliter plus vendit, vel emit, peccat mortaliter, et tenetur ad restitutionem alteri in aequalitate pretii, quod debet alterari secundum

communem stimationē, vt dicit lex pretia ff. ad le. falcidiā. et notat Glos. in c° hoc Ius 10. q. 2. et eā sequuntur Doctores.

Quo modo autē. talis stimatio debeat fieri quando non est notū pretium talis rei, dic quod pensatis raritate laboribus, et periculis Iudicio boni mercatoris determinabitur, quia in re mobili, cuius pretiū non constat, alia regula non potest dari; si vero res sit immobilis fiet stimatio secundū fructus, quos annuatim prestat, et hoc vult Glosa, et Bartolus in le. 2ª C. de rescindenda venditione, quem communiter sequuntur Doctores, sed hanc stimationē intellige diversā secundum diversitatē locorū, et temporū, et hoc est hodie verū communiter in omnibus rebus; et quod dicitur tantū valet res, quantū vendi potest debet intelligi verum non habito respectu ad affectionē singularium personarū, sed communiū, vt in dicta lege pretia ff. ad le. falcidiam; si tamen affectio stimantis esset recta, et rationabilis bene valeret.

Sed si queras quomodo fieri debet stimatio

rei immobilis secundum fructus, dicendum, quod valor rei esset computandus secundũ fructus, quos reddit in 25 annis; sed si est res Ecclesiæ debita in 35 annis, et de hoc ultimo est textus in auctentica de Ecclesiast. titulis §. si autem annale; sed hodie credo nil certũ haberi, sed fieri debere talem stimationẽ pro consuetudine, et diversitate temporum, et locorũ, et secundũ quod in usũ hominũ veniunt; unde Stus. Thomas 2.2æ. q. 77. a. 2. ad 3um. dicit, quod sicut Augustinus dicit 11 Civit. Dei, pretiũ rerũ venaliũ non consideratur secundum gradum naturæ, quum quandoque pluris vendatur unus equus, quam unus servus, sed consideratur secundum quod res in usũ hominis veniunt, et ideo eodẽ artic. ad 2um. argtum. dicit, quod mensuras rerum venaliũ necesse est in diversis locis esse diversas propter diversitatẽ copiæ, et inopiæ rerũ, quia ubi res magis habundant, consueverũt esse maiores mensuræ; in unoquoque tamen loco ad Rectores civitatis pertinet determinare, quæ sint iustæ mensuræ rerũ venalium pensatis conditionibus locorũ, et rerũ, unde tales

mensuram publica auctoritate, vel consuetudine institutam praetexere non licet. Ex dictis satis superque patet quando, et quomodo liceat sine peccato pluris vendere, quam emptum sit.

Et per haec liquido patet responsio ad argta. in contrarium. Ad 1um. respondet S. Thom. in dicta q. ar. 4. quod verbum Chrisostomi est intelligendum de negociatione secundum quod vltimum finem in lucro constituit, quod praecipue videtur quando aliquis rem non immutatam carius vendit; si enim rem in melius mutatam carius vendat, videtur praemium sui laboris accipere, quamvis, et ipsum lucrum possit licite intendi, non sicut vltimus finis, sed propter alium finem necessarium, et honestum, vt in 1o. notabili dictum est.

Ad 2um. dicendum, quod non quicumque carius vendit aliquid, quam emerit, negociatur, sed solum, qui ad hoc emit, vt carius vendat; si autem emit rem, non vt vendat, sed vt teneat, et postmodum propter aliquam causam eam vendere velit, non est negociatio, quamvis carius vendat, potest enim

hoc licite facere, vel quia in aliquo rem melioravit, vel quia pretium rei est mutatum secundum diversitatem loci, vel temporis, vel propter periculum cui se exponit transferendo rem de loco ad locum, vel eam ferri faciendo, et secundum hoc nec emptio, nec venditio est iniusta.

Ad 3um dicendum, quod clerici non solum debent abstinere ab his, quae sunt secundum se mala, sed etiam ab his, quae habent speciem mali, quod quidem in negociatione contingit; tum propter hoc, quod est ordinata ad lucrum terrenum, cuius clerici debent esse contemptores; tum etiam propter frequentia negotiorum vitia, quia difficulter liberatur negociator a peccatis labiorum, ut dicitur Eccl. 26. Est et alia causa scilicet, quia negociatio nimis implicat animum saecularibus curis, et per consequens ab spiritualibus revocat; unde Apostolus 2. Thim. 2. nemo militans Christo implicat se negotiis saecularibus; licet tamen clericis uti prima commutationis specie, quae ordinatur ad necessitatem vitae emendo, vel vendendo.

Ad 1um. dicendũ, quod lex humana Populo datur in quo sunt multi à virtute alieni; non enim datur solis virtute prędictis, et ideo lex humana non potuit prohibere quicquid est contra virtutẽ, sed ei sufficit, quod prohibeat ea, quę destruunt hominũ convictum; alia vero habeat, quasi licita, non quod ea approbet, sed quod ea non puniat; sic ergo habet quasi licitũ pęnam non inducere si absque fraude venditor rem suam supervendat, aut emptor vilius emat, nisi sit nimius excessus, quia tunc etiam lex humana cogit ad restituendũ, puta si aliquis sit deceptus vltra dimidiam Iusti pretii quantitatẽ; sed lex divina nihil impunitũ relinquit, quod sit contrariũ virtuti; vnde secundum divinã legem illicitũ reputatur si in emptione, et venditione non servetur ęqualitas Iustitię; vnde Glossa in §. hoc Ius 10. q. 2. dicit quod si offerat plus quam valet, tunc tantũ Iustũ pretium recipiet, licet lex dicat, quod contrahentes se possunt invicem fallere ff. de minoribus in causis; sed ecclesia in suis contractibus non debet dolum facere, vt in c.o pertuas

extra de donationibus, icirco tenetur ille qui plus habet recompensare ei, qui damnificatus est, si sit notabile damnum, quod ideo dico, quia Iustum pretium, quandoque non est punctualiter determinatū, sed potius consistit in quadā stimatione, ita quod modica additio, vel minutio non videtur tollere ęqualitatē Iustitię; non enim requiritur ad rationem virtutis, quod attingat rectę rationis mediū in indivisibili, sicut stoici putabāt, sed sufficit prope mediū esse, vt dicitur 2. ethic. et sic in proposito.

Ad 2um. dicendum, quod sicut Augustinus ibidem dicit Mimus ille, vel se ipsū intuendo, vel alios experiendo vili velle emere, et caro vendere omnibus id credidit esse commune, sed quoniam re vera vitium est, potest quisque adipisci huiusmodi Iustitiam, qua huic vitio resistat, et vincat, et ponit exemplum de quodam, qui modicum pretium pro quodam libro esse ignorantia postulanti Iustū pretiū dedit, et de multis probis, et Iustis, qui tempore caristię,

et largitiones faciunt; unde patet quod illud commune de riderium non est naturæ, sed vitii, et ideo commune est multis, quia ut plurimum homines per latam vitiorum viam incedunt, ut Dominus dixit.

Ad 6um dicendum quod in Justitia commutativa consideratur principaliter æqualitas rei, sed in amicitia utili consideratur æqualitas utilitatis, et ideo in amicitia utili recompensatio fieri debet secundum utilitatẽ perceptã; in emptione vero secundum æqualitatẽ rei pensatis circumstantiis sæpe dictis locorum, et temporum, et dignitatis rerum, ut communi utilitati, et hominum usibus conducunt juxta sententiam Augustini Lib. 83. q. 11. difinientis Justitiam, quod est habitus animi communi utilitate servata suam cuique tribuens dignitatẽ; unde merito excusatur Joseph, licet omnem pecuniam in ærarium Regis congregaverit, quia non per exactiones, sed per annonæ venditionẽ Justã, quia tanti valuit annona tempore sterilitatis, quanti emit, et tanti vendit, quanti valuit tempore

sterilitatū, maxime, quia neminem compulit auctoritate, et potentia Regia, ut tempore habundantiæ sibi annonā venderet, et divina quadam prudentia contrā extremis necessitatibus consuluit, et non parva clementia in egiptios usus est, restituendo eis agros, et præbendo semina, ut sererent, reservata quinta parte Regi; hodie enim in multis terris, ubi non est notabilis fertilitas traditur terra colenda, et seminanda, aliquando pro quarta, aliquando pro tertia, aliquando pro dimidia parte fructuum; sed sufficit potissimū ad excusandū Joseph diversitas temporis, quæ sicut diversitas loci magnam in rero valore rerū facit differentiā.

QVÆSTIO.

Super versu: non auferetur sceptrū de Juda, et dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentiū Gn. 49: potest-ne verè hæc auctoritas intelligi de Christo Jesu vero Messia.

Et videtur quod non. Primo quia in fronte cap.

dicit Jacob: congregamini, ut annunciem, quę

ventura sunt vobis in diebus novissimis, quia

dicit vobis non videtur intelligendum de Christo,

qui longe post Patriarchas venit, et quia dicit

in diebus novissimis, etiam non videtur de

Christo intelligendũ, non enim videtur eius

adventus fuisse in novissimis diebus; tum

quia iam mille quingentos octo annos pręcessit,

tum etiam, quia nescitur, quando Mundi cur-

sus finietur.

2.º nam ubi nos habemus, donec veniat,

qui mittendus est, in hębreo habetur donec

veniat silo, quę dictio in hębreo aliquando est

nomen propriũ loci, aliquando nomen appella-

tivum, et significat missionẽ, prout est nomẽ

propriũ loci, videtʳ. posse intelligi de Saul, qui fuit

de tribu Beniamin, quia 1. Reg. 9. dicitur, quod

fuit electus in Regẽ, et inunctus in silo, ubi

erat tabernaculũ Domini, et archa, et per

consequens unctio Regum, et sic sceptrum,

quod accipitur pro quodã dominio, et primatus

quod ea tenus fuerat in tribu Iuda fuit trans-
latũ ad tribum Beniamin.

3.° Videtur quod impleta est dicta prophetia
in Hierobo am Rege, qui fuit de tribu Ephraim,
quia sub eo sunt sublatæ 10 tribus à Regno Iuda,
et adhæserunt ei, quando Roboan die constituto
dedit Populo durũ responsũ; vnde videtur exponendũ
donec veniat Silo, idest donec veniat Hieroboã
in tali Loco, qui dicitur Sila coronandus.

4.° accipiendo illam dictionem Silo, vt
significat missionẽ videtur posse intelligi de
Nabuchodonosor quando venit contra Hieru-
salem, et occidit Sedechiam Regem, et sic deffe-
cit Regnũ Iuda; vnde videtur exponenda lite-
ra, non auferetur sceptrum de Iuda donec veniat,
qui mittendus est, idest Nabuchodonosor, qui prop-
ter peccata populi Iudaici missus fuit à Deo ad des-
truendam terram, et ad auferendum Regẽ de stir-
pe Iuda, et addunt, quod id quod sequitur erit ei aggre-
gatio gentium, id est ipsi Nabuchodonosor, quia prop-
ter dilatationẽ sui imperii aggregatæ sunt gentes

sub eius dominio.

In contrarium est catholica, et fidelis expositio, scilicet, quod intelligitur dicta Prophetia de Christo Iesu vero Messia, qui quando illud signum de ablatione sceptri, et Ducatus erat futurum, ipse autem mittendus tunc adventare, et apparere debebat, et quoniam vt Aristoteles ait omnia vero consonant, ad hunc sensum concurrunt ipsa veritas, et textus circumstantiæ, quæ eum illuminant, vt dicit Augustinus, et factum ipsum, quod in re, vt erat prophetatum evenit, et caldea translatio, quam Iudei vocant Thargum, quæ testibus Nicholao, et Burgensi adeo authentica est apud Iudeos, vt nemo doctorum suorum ausus fuerit ei contradicere, quinimo quando textus expositio hebraica est obscura, recurrunt ad illam pro explanatione, quippe in illa sic habetur non auferetur sceptrum de Iuda &c.a donec veniat Messias

Pro responsione est notandum 1.° quod tria habuit ille Populus singularia, et magnæ dignitatis, scilicet Regiam auctoritatem, Sacerdotale

dignitatem cum omnibus, quæ eam concernunt, et Propheticã claritatem, quæ omnia defectura eis erant in adventu Messiæ, sicut adveniẽte Sole obtunduntur omnia luminaria, et hoc erat futurum in signum, quod tunc Christus veniebat tanquam Rex summus, et sacerdos excelsus, et Propheta magnus, et finis, ac consumatio priscæ legis, ac omnium figurarũ eius, omnia enim contingebant illis in figura, et nihil ad perfectũ adduxit lex; sed finis, et perfectio legis fuit Christus, unde lex, et Prophetæ usque ad Ioannem, et translato sacerdotio transivit lex.

2.º notandum, quod primũ signum revelatũ Iacob, et per eũ in morte sua promulgatũ fuit extinctio, et cessatio Regiæ potestatis de tribu Iuda Patriarcha dicente: non auffeaetur &c.ª et infra: et ipse erit expectatio gentiũ non solum Iudeorum; sed sceptrũ Regni omnisque Ducatus ablata sunt ã Iuda tempore adventus Christi, ut tam experientiæ, quam chronicæ docent: ergo in Christo impletũ est signũ; nec obstat illud inane, quod dicunt

aliqui eorũ se habere Regẽ ultra montes Cas-
pios, vel ultra fluviũ lapidũ, quia dato, quod hoc
confictũ mendaciũ sic esset, non esset in eis Rex
de tribu Iuda, sed de aliis 10 tribubus; constat
enim tam per Josephũ, quam per omnes alios
historicos aucthenticos, quod totę tribus Iuda,
et Beniamin inter Romanos fuerũt dispersę,
et longe ante alię 10 ad partes asianas sunt de-
ductę, prętereà fluvius lapidũ nusquã est, quũ
de eo nemo historicus, nemo cosmographus, qui
de omnibus, vel minimis mirabilibus, ac no-
tabilibus Mundi rebus conscripserũt ullam
unquã fecerit mentionẽ; unde fabula illa, quod
currunt lapides sex diebus, et 7mo die quiescũt,
et Iudei ne sabbatũ violent exire ad Hierosolimi-
tanas partes nolunt, ne Deum ad iram provocẽt
duo cecitatis, et obdurationis fingentiũ indicia prę-
seferunt. Unum quod ã Deo sunt derelicti divini-
tus, ut fabulas impossibiles uti gentiles quõdã
credant. Secundum, ut fluvium lapidũ, quem in suis
cordibus semper gestant in Provinciis, quas proximus

ignorant esse aversant, nimirum quum crimina, vt Augustinus contra Faustū ait interdum criminibus vindicentur, et suplicia peccantium non sunt tormenta, sed vitiorū incrementa, quod maxime in obstinatis Iudeis impletum est, quia non cognoverunt tempus visitationis suę, erant enim mala opera eorum, et quia singulis sabbatis, imo singulis horis in Deum creatorem, et Redemptorem suum latrant petentes rursus, vt mittat, quem iam misit, et quia demendacio, et non impletione promissi eum arguentes detestantur, vnde nimirum crescente in eis blasfemia crescit cecitas mentis, et cordis duritia, atque vtriusque interitus, dicente Propheta: qui elogant se ā te peribunt.

3º notandum quod litera, quę sequitur potest literaliter bifhariam exponi; primo modo secundū Nicolaū sic, postquam Iacob predixit dignitatem Regiā futurā in tribu Iuda cepit predicere conditionē terrę quam in sortē erat accepturus, quę sors fuit valde fertilis in vino, et lacte, et hoc est, quod dicitur ligans ad vineā pullū suum, et ad vitem

asinam suam, designans per hoc, quod in uno stipite vitis poterat onerari de uvis una asina, vel pullus, unde in Hebraeo habetur, et ad palmitem filium asinae suae; et idem significat, quod subditur: lavabit in vino stolam suam, ac si dicatur tanta erit vini habundantia ibi quod possint lavare cum eo suos pannos, et est iperbolica locutio; et ad idem facit, quod sequitur: pulchiores sunt oculi eius vino, in Hebraeo habetur: rubicundiores vino oculi eius, quia potatio vini habundans, et maxime quando est vinum bonum apparet in oculis scintillantibus citius, quam in aliis partibus; sequitur et dentes eius lacte candidiores, per quod designatur habundantia lactis futura in sorte Iudae, quia albedo lactis apparet in dentibus comedentium ipsum. Hactenus ille; sed non mihi minus placet, ut literalis expositio catholicorum, quam ipse dicit misticam pro eorum intellectu.

4°. notandum, quod Iacob prophetando hoc in loco de filiis suis saepe loquitur Metaphorice seu parabolice, sicut sacra scriptura, et maxime Prophetae loqui consueverunt, qui modus loquendi

communiter ponitur a nostris Doctoribus sub sensu literali ex hoc quod res significatæ per voces vlterius aliud significant, quod autem hic circa Iudam metaphorice loquatur satis videtur ex hoc, quod dixerat catulus Leonis &c.a quod communiter exponitur de Dauid, qui non fuit catulus Leonis, nisi metaphorice, et similiter quum sequitur ligans &c.a debet censeri locutio Methaphorica præsertim, quum aliæ similitudines, quæ hic ponuntur, sint omnino conformes aliis similitudinibus in sacra scriptura contentis, vbi tractatur de simili materia; pro quo intellectu considerandum est, quod vinea in sacra scriptura accipitur ad literam pro congregatione eorum, qui sunt sub Fide, vnde Esa. 5. dicitur: vinea Domini Sabbaoth domus Israel est; similiter Christus se vocat vitem Ioa. 15. ego sum vitis vera &c; similiter Discipulos vocat palmites, vt patet ibidem; per asinam vero significat Christus Populum Iudeorum, et per pullum Populum Gentilium, vt habetur ex eius gestis Mathei 21, et Zachariæ 9. fuerat prophetatum; per hoc autem, quod

dicitur lavabit in vino stolã suã &c. etiã me-
thaphorice significatur ad literã Passio Christi,
de qua Isa. 63: quare ergo rubrũ est vestimẽ-
tũ tuum? quæ omnia ad literã intelliguntur
de Christo, et eius Passione. Contexamus ergo literæ
expositionẽ sic: donec veniat, qui mittendus est,
id est Christus, cui erit congregatio, seu expecta-
tio gentiũ.

Sequitur declaratio coniunctionis harũ
gentiũ quum dicit ligans, scilicet ipse Christus,
id est coniungens ad vineã Apostolorũ, et discipulo-
rũ suorũ, qui fuerũt de Iudeis, seu filiis Israeli;
unde Augustinus sup. Ps.° 72. exponens illum versũ
Psalmi: Afferte domino filios arietũ sic ait: qui
inde arietes? Petrus, Ioannes, Iacobus, Andreas,
Bartholomeus, et ceteri Apostoli, inde et ipse 1.°
Saulus, postea Paulus; et sup. Psalmo 78 idem
Augustinus dicit ipsi ex illis sunt filii Promissi-
onis, ipsi deputantur in semine, ipsi pertinent
ad hereditatem Dei, ~~et~~ ex eis fuit Ioseph homo
iustus, et Virgo Maria, quæ peperit Christum,

Ioannes Baptista amicus sponsi, et parentes eius Zacharias, et Helisabeth, Simeon senex, et Anna vidua, qui Christum non loquente sensu corporis audierunt, sed adhuc infantem non loquentē spiritu cognoverunt, et beati Apostoli, et ille Nathanael, in quo dolus non erat, et alius Ioseph qui et ipse expectabat Regnū Dei, et tanta illa multitudo, quę præcedebat, et sequebatur Iumentū eius dicens: Benedictus, qui venit in nomine Domini in qua erat, et congregatio puerorum in quibus dixit īpletum: ex ore infantium, et lactentiū perfecisti laudem, et illi post eius Resurrectionē quorū die vno tria millia, et alio quinque millia baptizati sunt in Animam vnam, et cor vnum conflati charitatis igne, quorū nemo dicebat aliquid propriū, sed erant illis omnia communia, et sancti Diachoni, quorum Stephanus ante Apostolos martirio est coronatus, et totę ecclesię Iudeę, quę in Christo erant, quibus Paulus facie erat ignotus, notus autē sentētia famosissima, sed notior Christi famosissima gratia, et ipse secundū pręmissam de se Prophetiā, lupus

rapax mane rapiens et ad vesperam dividens escas;
id est, prius rapiens persecutor ad mortem, postea
parcens prædicator ad vitam, et illi quingenti fratres,
quibus, ut refert Apostolus post Resurrectionem appa-
ruit, et magna turba sacerdotum, et alii innumeri,
qui usque in hanc diem Christo Domino adhæserunt;
unde in eis cœpit vineam Christi, scilicet ecclesiam,
ligans inquam, et coniungens ei pullum suum, id est,
Populum Gentilem, cui nondum fuerat onus legis im-
positum, quem ligavit, et univit ad vineam dictam vin-
culo Fidei, et dilectionis, et ad vitem, scilicet Christum,
qui dixit: ego sum vitis vera, asinam suam, scili-
cet sinagogam tardigradam, et pondere legis oppres-
sam eo quia etiam in fine omnes reliquiæ conver-
tentur ad Christum Gratia, et Apostolo ad Ro. 11.
testibus; unde huic Prophetiæ Iacob correspondit,
quod Dominus in die ramis palmarum gessit, quando
veniens ad Passionem Hierusalem intrans super
utrumque sedit, et ideo Iacob subdit: lavabit in
vino stolam suam, id est carnem suam, vel etiam
ecclesiam, et in sanguine uvæ, id est, Passionis suæ

in carne, quę solā in torculari calcata est, et corporeus, ac diffusus sanguis in remissionem peccatorū, palliū suum, id est Populū suum, qui scilicet ei per Fidem, et dilectionē adhęrebit, quo-quidem quodam modo, quasi pallio Christus indu-itur Iuxta illud Isaię 49: vivo ego dicit Dominus; quia his omnibus velut ornamento vestieris.

Sequitur pulchriores sunt oculi eius vino, ubi adhuc Jacob prophetat de successoribus Christi post eius Passionē scilicet de Apostolis, et aliis, qui fuere oculi eius, quia Apostoli, et evangelistę, et alii lumen veræ fidei, et doctrinę dederunt Ecclesię, vino id est, legis austeritate, nam lex vetus dicitur vinū propter austeritatē pręceptorū Iudicialiū, et gravi-tatē cerimonialiū, ut oculum pro oculo, dentem pro dente &a. et sic oculi Christi sunt pulchriores vino, quia lex Christi, quā promulgabant eius oculi, sci-licet Apostoli, et alii in omnibus mitior fuit, ut patet per evangelia Math. 5°. et alibi; unde de ea dicit Dominus: Iugū enim meum suave est, et onus meum leve. Item clarius continet, et docet ea,

quę ad salutem pertinent, quam lex vetus, quę in figuris, et enigmate ea tradidit; et sequitur: et dentes eius 2ª. id est Doctores, et Prędicatores Christi, et Fidei eius, qui docendo, et prędicando Scripturam quodammodo terunt, et frangunt exponendo multipliciter, et sic homines in Christum verum cibum convertunt; lacte candidiores, id est, doctrina legis, quę lacti comparatur, quia carnalem illum Populum uti parvulum lacte alebat, nondum solidum cibum verbi Christi mandere valentem; simile dicit Apostolus 1ª. Cor. 3: fratres non potui loqui vobis, quasi spiritualibus, sed tanquam carnalibus, et ideo tanquam parvulis in Christo lac potum dedi vobis, non escam; candidiores, inquam, lacte, quia Evangelica pręcepta, quę docent, et prędicant celebriora sunt, quam legis mandata, et quia spiritualem sensum legis veteris clausum enucleant, et declarant. En quam pulchre, et quam concinne omnia vero consonant.

Superest igitur respondere ad argta. in contrarium. Ad 1um. dicendum, quod loquitur Patriarcha

filiis suis in eorũ personis, et in persona eorũ, qui ab eis erant descensuri; ita enim convenit loqui Sacra Scriptura; quod autẽ sequitur in diebus novissimis, partim exponitur, id est, postquam filii vestri fuerint reversi ad terram promissam, partim exponitur de tempore adventus Christi, quia aliqua de his, quę tunc futura erant, prędixit eis; quę tempora dicuntur novissima non quod ultimis cito erant cessatura, sed quia post tempus Christi non est aliud tempus successurũ, ideo 1ª. Joan. 2. dicitur: novissima hora est, et Apocal. 10: Juravit per viventẽ in saecula saeculorum, quia tempus amplius non erit, idest, non succedet alia lex, sicut tempus novę legis successit tempori veteris, quam rem, et nostri hostes confirmant; nam Magister Moises Gerundensis in sua Glosa dicit: novissimi dies sunt dies Messię, quoniã Jacob significabat illa tempora in verbis suis, quum dixit donec veniat Sylo, et ipsi congregabuntur Populi &ª. Secundum enim communẽ opinionẽ novissimi dies, dies

Aeterni sunt. Haec ille.

Ad 2um. dicendum, quod illa expositio est prorsus invalida, quia contrariatur textui, nam ante electionē Saulis archa Dei iam erat sublata ex Silo, et reposita in Chariathiarim, vt patet 1º. R. 7. praeterea post Saul immediate imo ipso adhuc vivente, et regnante, fuit David invnctus per Samuelē, qui David fuit primus Rex de tribu Iuda, et extunc successerūt Reges de illa tribu; quod autē sceptrum dicatur aufferri de tribu Iuda ideo quia tunc incepit esse in propinqua dispositione ad gradum perfectū, nec verum videtur, nec verisimile.

Ad 3um. dicendum quod illa expositio aperte est contra textū, quia congregatio illa non fuit in Sylo, sed in Sichem, vt patet 3. Reg. 12; nec tunc fuit ablatum Regnū a Domo Iuda, sed permansit vsque ad captivitatē Babilonicam per successionē hereditariam, et illi soli dicebantur proprie Reges, quia per invnctionē in Reges instituebantur, quia templum, et archa Domini, et illa quae ad invnctionē requirebantur, remanserūt

in Hierusalem, quæ erat Metropolis in Regno Iudæ; denique non fuit ablatum à Regno Iuda sceptrũ, sed 10 tribubus.

Ad 4um. dicendũ quod illa expositio confutatur per translationẽ caldeã, quæ apud Iudeos est irrefragabilis auctoritatis, per quã etiam mille litem diximũt, siquidem illa ubi nos habemus donec veniat, qui mittendus est, plane habet, donec veniat Messias; Nabuchodonosor autẽ, vel aliquis prædictorũ nunquam in scripturis vocatus est Messias, sed solus Christus, qui promissus erat in legẽ, et Prophetiis, et in quo tanquam in vero Messia omnia prænunciata in Sacra Scriptura opere gesta constant.

QVÆSTIO.

Super versu: appositus que est ad Populũ suum Gñ. 49. ubi Glossa dicit, id est, ad Limbum Sanctorum Patrum; quæritur utrũ sit bona expositio.

Et videtur, quod non. Primo, quia Abraam, et Isaac, qui erant in Limbo tam pauci fuere, quod

non potuerunt dici Populus, unde melius videtur exponendū ad Populū suum, id est, ad Angelos, sicut Magister in Historia Scolastica exponit, et ponitur in Glossa interlineali, cui concordat Glosa Strabi in margine posita.

2°. Augustinus super Gn. dicit, an forte est ille Populus non solū hominū sanctorū, sed etiam Angelorū Populus civitatis illius de qua dicitur Heb. 13: accessistis ad montem, et ad civitatē Dei Hierusalem, et ad millos Angelorum exultantium; ex quibus verbis videtur Augustinus idem sentire.

3° quia in Limbo Patrum non excipiebantur, nisi omnino purgati; sed non est verisimile, quod Patriarchæ aliqua saltē venialia purganda non haberent, quum Joannes dicat 1. Joa: si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est, et Augustinus de Civit. Dei dicit, non enim qualiumcumque virorum, sed maxime piorum, atque sanctorū vox illa est, si dixerimus,

quod peccatum non habemus &c. et subdit, nunc autem in hac vita satis bene vivitur sine crimine, sine peccato autem, qui se vivere existimat, non id agit, ut peccatum non habeat, sed ut peccati veniam non accipiat; ex quibus videtur, quod potius sit exponendus textus ad populum suum, id est, ad Purgatorium, quam ad Limbum.

Sed contra est, quia Angeli sancti sunt in Beatitudine, unde nemo potest dici appositus ad eos, nisi quando transfertur ad Gloriam, quod non contigit Jacob, nec alicui homini ante apertionem Januæ Coelestis per Passionẽ Christi.

Item non videtur verisimile quod tales amici Dei, quibus Deus adeo benivolum, ac familiarẽ se frequenter præbuit, et tot tribulationes in hac saeculo peregrinantes, et soli Deo viventes passi sunt, aut descendentes ad Purgatorium pergerent, aut ibi longo detinerentur tempore; unde non videtur ad populum in Purgatorio existentẽ apponi, superest igitur, ut exponatur ad populum suum, id est, ad pios Patres in

Limbo existentes, et Christi adventũ expectantes; et hæc expositio Nicholai magis mihi placet.

Pro responsione notandum, quod Scriptura loquens de morte quorundam Iustorum, qui ante Christi Passionẽ decesserunt, frequenter dicit: appositus est ad Patres suos, seu ad Populum suum; aliquando dicit: obdormivit cum Patribus suis, vt de David 3. Reg. 2 et de aliis, quæ idem sonant, scilicet quod talis fuit adiunctus ad pios, qui in Dei gratia decesserunt, vel ad patres vita huius Mundi functos, et in statu alio permanentes; sed post Christi Passionẽ, vt pote satisfacta offerrire, ac proinde Cœli Janua aperta consuevit dicere Scriptura de Iustis: obdormivit in Domino, vt de protomartire Stephano patet Actuum 7.° et in aliis sacris legendis sanctorũ, quæ res aperte insinuat statu eorũ differentiam, nam primi quantumcumque sancti non statim obdormiebant, id est, quiescebãt in Domino, id est, in Divina fruitione, et æterna Beatitudine, et idcirco apponebantur in Limbo expectantibus redimi per Christum; sed alii qui post

Christum pro Christo sunt passi quam primũ ei coniungebantur, et ideo dicuntur obdormire in Domino, id est in Christo actualiter quiescere; unde Apocalipsi 14: beati mortui, qui in Domino moriuntur.

Et per hęc patet solutio ad argumenta. Ad primum dicendum, quod expositio magistri historiarũ, et Strabi non potest stare, nam Angeli sancti sunt in Beatitudine, unde nemo potest dici apponi ad eos, nisi quando ad gloriam transfertur, quod non fuit de Jacob, nec de aliquo alio ante apertionem Januę Coelestis per Christi Passionẽ; unde ipse Jacob dixit Gn. 37: descendam ad filium meum, lugens in Infernum. Nec valet ratio, quę eos impulit ad sic exponendũ, nam in Limbo non solum erant ante mortem Jacob Abraam, et Ysaac, sed omnes Justi, qui mortui fuerant ab Adam, qui poenituit, quia sic meruit veniã consecutus educi de delicto suo, ut dicitur Sap. 10 usque ad Jacob, qui fuerunt multi, sicut Abel, Seth, et non pauci de filiis, et posteris eius, et Enoch, Noe, Melchisedech, Heber, qui fuere

Religiosi, et Iusti; et quia Sacra Historia de solis illis habet rationem, qui ob aliquam caussam ad Historiā pertinent nulli dubium, quod multi viri, et mulieres de quibus in sacris literis nulla fit mentio in Limbo erant excepti; merito igitur exi-tentes in Limbo Populus dici potuit, maxime quum secundum leges decem homines faciant Populum, ut dicit Glosa cap. 1°. de electione, et Abbas ibi, facit textus in cā. unic 10. q. 3.

Nec obstat ratio Burgensis, quum dicit, quia licet illi Iusti decessissent in gratia tamen, quia verisimile est, quod haberent aliquas venialia pur-ganda nondum tempore Iacob pervenerāt ad Limbū, sed in Purgatorio erant detenti, et ideo non fuit Popu-lus in Limbo, cui apponeretur; sed hęc ratio non videtur valere; tum quia nimis durū, et pene im-piū videtur sentire, quod mille, aut saltem centū annis, quis tantorū patrum remanserit in Pur-gatorio, antequam ad Limbū, et Patrū dulce con-tuberniū transferretur; tum, quia etiam si alicui forte contingit, retardari non est verisi-

mile, quod adeo multis contingeret, vt Populi nomen, ac multitudinem impediret; tum etiam quia quum hæc ratio nulla auctoritate, aut ratione fulciatur eadem facilitate contemnitur, qua approbatur.

Ad 2um. dicendum quod Augustinus in dicto loco non loquitur assertive, sed inquisitive, vt sæpe facit, quod patet ex suo modo loquendi, ait enim videndum quomodo dicant Scripturæ, quæ assidue dicunt de mortuis, et appositus est ad Patres suos, vel appositus est ad Populũ suum &c.ª ecce enim de Jacob dicitur, iam quidem mortuo, sed non dum sepulto, et ad quem Populũ apponatur non in promptu habetur, ex illo enim Populus prior noscitur, qui dictus est Populus Israel, qui vero cum præcesserunt iam pauci Justi nominantur, vt eos Populũ nominare certemus, nam si dictum esset: appositus est ad patres suos, nulla quæstio fieret, an forte est non solum hominũ sanctorũ, sed etiam Angelorũ populus civitatis illius, de qua dicitur ad Hæbreos 13: accessistis

ad montem, et ad civitatem Dei Hierusalem,
et ad millia Angelorū exultantium, huic Populo
apponuntur, qui post hanc vitam placentes Deo
fiunt; tunc enim dicuntur apponi, quando iam
non remanet solicitudo tentationū, et periculum
peccatorū, quod intuens Scriptura ait: ante mortē
ne laudes hominem quemquam. Hec Aug.^us Ex quibus satis
superque constat non recte sic locutum. Adde quod
non recte accipitur hic Populus pro exercitu An-
gelorū; tum quia habitatio Angelorū non fuit
in Limbo, quamvis aliquando ipsū frequenta-
rent pro Patrū consolatione, ut dicit Glosa inter-
linealis, et sic Angeli visitantes potius apponeren-
tur ad Patres, quam Patres ad eos, nam ut dictum
est ad Angelos nemo apponitur, nisi qui transfer-
tur ad Gloriam; praeterea Angeli, qui Patres in
Limbo visitabant potius potuerunt dici Hospites
et Advenę quo ad Limbum quam incolę; unde ad
eos translati non potuerunt dici eis appositi, quia
in Limbo tales Angeli visitantes non habebant
civitatē manentem.

Nec valet quod additur, quod talem visitationem Angelorum videtur insinuare Glosa interlinealis, quum non dicit ad Populum suum, sed ad societatem Angelorum, sed ad frequentiam Angelorum, quod magis videtur innuere frequentiam visitationis, quam consortium; nam frequentia apud Latinos non dicit frequentem visitationem, sed multitudinem, et numerositatem personarum ad aliquod negocium concurrentium; unde dictus est frequens senatus, frequens conventus. Nec etiam valet, quod addit, scilicet quod qui post hanc vitam placentes Deo fiunt dicuntur Angeli aequalis in quantum iam in eis cessat solicitudo tentationum, et periculum peccatorum, et sunt impeccabiles, sicut Angeli, licet adhuc statum Gloriae non attingant; nam de quolibet in gratia decedente possunt haec omnia verificari, et etiam quo ad impeccabilitatem talis posset dici Daemonibus aequalis.

Et per haec quae dicta sunt patet responsum ad 3um. nam licet concedamus, quod aliqui Patrum ad Purgatorium transierunt, non tamen tamdiu

ibidem permanserunt.

EXODUS

QUAESTIO

Super textu: cumque circumspexisset, scilicet Moises huc, atque illuc, et nullum adesse vidisset percussum egiptium abscondit in sabulo Exodi 2º: potest quaeri, utrum iudicium per usurpationem sit perversum.

Et videtur quod non. Primo quia Iustitia est rectitudo quaedam in agendis; sed nihil deperit veritati a quocumque dicatur imo a quocumque est accipienda: ergo etiam nihil deperit Iustitiae a quocumque determinetur Iustum, quod pertinet ad rationem Iudicii.

2º. peccata punire ad Iudicium pertinet; sed aliqui leguntur peccata punisse laudabiliter, qui tamen auctoritatem non habebant super illa, qui puniebantur, sicut patet de Moise in textu proposito, et de Finees filio Eleazari, qui

Zambri filium Salumi interfecit, ut habetur Numeri 25 ubi divinitus laudatur, et in Psalmo dicitur, quod reputatum est ei ad Iustitiam.

3.º potestas spiritualis distinguitur à temporali; sed quandoque Praelati habentes dominium saeculare intromittunt se de his, quae pertinent ad saecularem potestatem: ergo usurpatum Iudicium est licitum.

4.º quia sicut ad recte Iudicandum requiritur auctoritas, ita etiam et Iustitia Iudicantis, et scientia; sed non dicitur Iudicium esse iniustum, si quis non habens habitum Iustitiae Iudicet, vel non habens scientiam Iuris: ergo etiam Iudicium usurpatum, quod fit per defectum auctoritatis semper erit iniustum.

Sed contra est quod dicitur Ro 14: tu quis es, qui Iudicas alienum servum.

Pro responsione ad dubium 1.º notandum, quod Iudicium in tantum est licitum in quantum est Iustitiae actus; Ad hoc autem quod Iudicium sit actus Iustitiae tria requiruntur; primum quidem

quod procedat ex inclinatione Iustitiæ; secundum quod procedat ex auctoritate Presidentis; 3um quod proferatur secundum rectam rationem pruden-tiæ; quodcumque autem horũ defuerit Iudicium erit vitiosum, et illicitum; uno quidem modo quando est contra rectitudinem Iustitiæ, et sic dicitur Iudiciũ perversum, vel iniustum; alio modo quando homo Iudicat in his in quibus non habet auctori-tatem, et sic dicitur Iudicium usurpatum; tertio modo quando deest certitudo rationis, puta, quum ali-quis de his Iudicat, quæ sunt dubia, vel occulta prop-ter aliquas leves coniecturas, et sic dicitur Iudiciũ suspiciosum, vel temerarium.

2.° notandum quod quum Iudicium sit ferendum secundum leges scriptas illæ, qui Iudicium fert quodammodo legis dictum inter-pretatur aplicando ipsum ad particulare negociũ; quum autem eiusdem auctoritatis sit legem in-terpretari, et legem condere, sicut lex non potest condi, nisi publica auctoritate, ita nec Iudicium potest ferri, nisi publica auctoritate, quæ quidem

se extendit ad eos, qui communitati subduntur; et ideo sicut iniustum esset, ut quis constringeret alium ad legem servandam, quae non esset publica auctoritate sancita, ita etiam est iniustum si aliquis compellat aliquem ferre Iudicium, quod publica auctoritate non fertur. ex quo patet, quod Iudicium non habentis auctoritatē, quod est per usurpationē, est perversum.

Ad argumenta in contrarium. Ad 1um. dicendum, quod pronunciatio veritatis non importat compulsionem ad hoc, quod suscipiatur; sed liberū est unicuique eam recipere, vel non recipere prout vult; sed Iudicium importat quandam impulsionē, et ideo iniustum est, quod aliquis Iudicetur ab eo, qui publicam auctoritatem non habet.

Ad 2um. dicendum, quod Moises videtur egiptium occidisse, quasi ex inspiratione auctoritatem adeptus, ut videtur per hoc quod dicitur Actuum 7°. quod percusso egiptio aestimabat Moises intelligere fratres suos, quoniam Dominus per ipsius manū daret salutē Israel. Vel potest dici, quod Moises

Occidit Egiptium defendendo eum, qui Iniuriam

patiebatur cum moderamine inculpatæ tutelæ;

Vnde Ambrosius dicit in li. de officiis, quod qui non

repellit Iniuriam à socio quum potest, tam est in

Vitio, quam ille, qui facit, et inducit exemplum

de Moise; alii excusant eum dicentes, quod occi-

dit Egiptium non solum pro persecutione Hebrei,

sed etiam pro adulterio, quem fraudulenter cum vxore

persecuti commiserat; dicunt enim Hebrei, quod ille

persecutus fuit maritus Salomith, quæ erat valde

pulchra, et ideo Egiptius fecerat surgere maritum

suum occupans eum in laboribus, et eo occupato,

et absente, rediit ad eius vxorem, quæ credens esse

maritum suum, excepit eũ, qui maritus cogni-

ta postea veritate rixabatur cum Egiptio, et

eapropter Egiptius persequebatur eum, et vehemen-

ter angebat.

Sed melius videtur dicendum secundũ

Augustinum in quæst.^bus^ Ca.^i^ quod sicut terra

ante vtilia semina herbarum inutiliũ fertilitate lau-

datur, sic illud Moisi factum viciosum quidem

fuit, sed magnæ fertilitatis signum gerebat, in
quantum scilicet erat signum virtutis eius, quod
erat Populum liberaturus; sed elegantius, et copiosius
dicit idem 22 contra Faustum, Animæ inquit vir-
tutis capaces, ut fertiles, promittunt sæpe vitia, quibus
hæc ipsum indicent, cui scilicet potissimum sint
virtuti accomodatæ, si fuerint præceptis excultæ, sic
enim, et agricolæ, quam terram viderint, quamvis
inutiles tamen ingentes herbas progignere frumen-
tis aptam esse pronunciant, et ubi filicem aspexe-
rint, licet eradicandam sciant, validis vitibus habilem
intelligunt, et quem montem oleastris silvescere
aspexerint, oleis esse utilem cultura accedente
non dubitant; sic et ille animi motus quo Moyses
peregrinum fratrem a cive improbo iniuriam per-
petientem non observato ordine potestatis multum
esse non pertulit, non virtutum fructibus inutilis
erat, sed adhuc incultus viciosa quidem, sed magnæ
fertilitatis signa fundebat.

Ad 3um. dicendum, quod potestas sæcularis
subditur spirituali, sicut corpus Animæ, et ideo

non est usurpatum Iudicium, si spiritualis Prelatus se intromittat de temporalibus, quantũ ad ea in quibus subditur ei saecularis potestas, vel quę ei a saeculari potestate relinquuntur.

Ad 4um. dicendum, quod habitus scientię, et Iustitię sunt perfectiones singularis personę, et ideo per eorum deffectum non dicitur usurpatũ Iudiciũ, sicut per deffectum publicę auctoritatis, ex qua Iudicium vim coactivam habet. Hęc pauca addidi ex S. Thom. 2.2. q. 60. a. 6.

QVÆSTIO.

Super verba: si dixerint mihi, quod est nomen eius, quid dicam eis? potest quęri utrum fuerit prudens, et lic.ta dicta petitio.

Et videtur, quod non. Primo quia aut nomen Dei erat notum Moisi ante huiusmodi revelationẽ, aut non, si erat: ergo superflue quęrebat de eius idem scire, si autem non, quare quęrebat hoc in persona filiorũ Israel, et non potius in persona sua dicens: fac mihi notum nomen tuum; Si autem dicatur quod Dei nomen erat ei notum

ante huiusmodi revelationem, non tamen erat notum filiis Israel, unde quaerebat a Deo, ut posset eis indicare; contra hoc obicitur.

2.º quia si iam ipse sciebat, sine eo quod a Deo scire poterat eis indicare; si autem ipsi antea nesciebant non magis crederent Moisi notificanti, quum nescirent hoc, quod diceret esse Dei nomen.

3.º quia aut filii Israel in egipto existentes antequam ad eos mitteretur Moises, aut erant fideles, scilicet habentes Fidem unius veri Dei, aut non habebant Fidem de Deo vero; non est dicendum, filios Israel non habuisse Fidem de Deo vero, quia tunc non fuisset Populus Dei, nec de eis dixisset Deus: vidi afflictionem Populi mei in egipto; nullus enim reputatur Dei populus, vel de Populo Dei, si sit extra veram Fidem; si autem erant fideles, id est veram Fidem habentes de vero Deo, non requirebatur alia nominatio Dei, siquidem sufficiebat, quod Moises dixisset eis: ille quem vos creditis, esse Deum, misit me ad vos, praesertim quum insuper declarasset eis: Deus Abraam &c.ª sicut fuerat dictum Moisi

in prima allocutione; omnes enim exant

de ritu circumcisionis, quæ fuerat data Abraæ

in signaculū Fidei Gn. 17, quod patet Exi. 4. ubi

propter incircumcisionē filii Moisis, voluit Deus

Moisem interficere.

In contrarium est auctoritas scripturæ, quæ

respondendo approbat, et non condemnat petitionem Mo-

sis.

Pro responsione ad dubium notandum, quod

hic sunt duo modi dicendi, et ambo præsuponunt

eamdē conclusionē scilicet, quod urbane, et prudenter

ac licite Moises dominū super nomine suo in-

terrogavit.

Primus modus est, quod petiit non pro

se, sed pro filiis Israel, non inquam pro se, quia

satis erat ei factum, quum Deus in quem credebat,

et cuius fidem à Patribus hauserat, qui et eum

se Deum patrum suorum dicebat eum mittebat;

unde non videri debuit ei necessarium aliquid

ultra pro se petere, verū quoniam verisimile

erat, quod filii Israel, vel aliqui eorum id peterent

providere, ut vir prudens Deum consuluit.

Secundus modus dicendi est Magistri Moisi in libro de directione perplexorum, qui videt in opere Dominum Burgensis, et videtur altior, et operosior; unde considerandum, quod ex his, quæ dixerat Dominus Moisi super sua missione videntur oriri duo, quæ ab ipso Moise merito erant inquirenda; quorum primum est quod licet Dominus expresse dixisset Moisi, quod descenderat, ut liberaret Populum Israel de manibus Ægiptiorum, ad quod volebat mittere Moisem ad Pharaonem, ut educeret Populum; non tamen eidem declaravit utrum hoc volebat facere per aliquam viam occultam, ut puta inclinando cor Pharaonis, et suorum ad dimittendum Populum, seu per aliquam plagam occultam, quæ etiam secundũ cursum naturalem fieri possunt, sicut fecit in negocio Saræ uxoris Abrae Gen. 12.; similiter in cã. 20. dicitur de Abimelech, quod etiam ipsam Saram dimisit propter revelationem Divinam, quã habuit in somniis; similiter et Laban dimisit Jacob cum gregibus suis propter revelationem

Divinam eidem factam in somniis, quod haud dubie potuisset etiam contingere in hoc casu per Dei voluntatem, cui nemo potest resistere; aut forte Deus voluit Populū educere cum signis, et prodigiis supra communem naturæ cursum manifeste factis, prout in opere res se habuit, et hoc pertinebat ad Moisem scire, quia forte si Deus primo modo voluisset educere Populū, Moises reputasset se aptum ad hoc, quia hoc fieret sine contentione, et contradictione, prout in prædictis gestis patet, secus autem si secundo modo, quia tunc requirebantur magnæ instantiæ, et controversiæ, sicut in effectu contigit, ad quod non reputabat Moises se dignū, ut iam dixerat.

Similiter hæc inquisitio pertinebat ad eū ex parte filiorum Israelis, eo quod forte facilius, et suavius venirent ad credendum divinis pronosticis, et mandatis per internam inspirationem, seu motionem divinam, quam per miracula, vel persuasionē Moisis; unde hanc ob rem petebat Moises nomen Domini sub quo debebat ista filiis Israel

nunciare; nomina enim Divina imponuntur
Deo communiter secundum operationem, quæ ab
eo procedunt, sicut quam dicitur Dominus vir pug-
nator omnipotens nomen illi, Exo. 15. et Esa. 55.
et erit Dominus nominatus in signum æternũ;
et sic ex hoc, quod sibi revelaretur nomen divinũ,
sub quo ista liberatio debebat fieri, Moises fieret
certior de hoc quæsito; et nota quod in dicta interro-
gatione non exclusit Moises modum Beatæ Virgi-
ni interrogantis: quomodo fiet istud, non enim
dubitat de efficacia divinæ voluntatis, sed solum
quærebat modum, dicens: quomodo &c.a

Secundũ quod ex dictis Domini oriebatur
inquirendum ipsi Moisi est, quia Dominus dixerat
ei, quod ipse, et Populus immolarent Deo super
montem, unde volebat Moises scire nomen divinũ
sub quo debebat fieri talis immolatio; hoc enim
nomen (Deus vere intellectum licet non sit com-
municabile alicui creaturæ secundum rem, est
tamen communicabile secundum participationẽ,
ut dicantur Dii, qui participant aliquod divinum

per similitudinem iuxta illud Psalmi 81: ego dixi Dii estis &c.ª similiter est communicabile secundũ opinionem, unde super illud ad Galat. 4: his qui natura non sunt Dii, serviebatis, dicit Glosa, non sunt Dii natura, sed secundum opinionẽ hominũ; et quia sacrificare, seu immolare est actus soli Deo debitus, unde Exo.ⁱ 22: qui immolat diis occidetur, nisi soli Domino, iccirco Moises, quaerebat aliquod proprium nomen Divinum, quod esset omnibus modis incommunicabile, ut sic ille Populus, qui erat pronus ad Idolatriam secundum quam leviter vocabant creaturam nomine Dei, ut patet Exo.ⁱ 32: quando de vitulo dixerunt: hi sũt Dii tui Israel, ut in hac immolatione, seu sacrificio non deviaret a via recta.

Qua quidem expositione apparet responsio ad argumenta. Ad primum dicendum, quod nomen Divinum, quod Moises quaerebat, nec erat notum Moisi, nec aliis filiis Israel, sed Moises quaerebat tale nomen in persona filiorum Israel, et non in propria persona ex quadam humilitate,

et reverentia, videtur enim quodammodo temerarium, seu presumptuarium, præsertim viro tam humili dicere Deo: quod est nomen tuum; nomenq Moises erat ignarus, quod Jacob petenti nomen Angeli fuit quasi increpative responsum: quare quæris nomen meum, quod est mirabile Gen. 32; et ideo Moises petebat in persona Populi, cui mittebatur, de quo præsumebatur, quod saltem aliqui eorū hoc peterent.

Ad 2um. dicendum, quod Moises non petebat cognitionē hujus nominis, ut per hoc filii Israelis crederent ei, sed hoc quærebat propter rationes supradictas in corpore quæstionis.

Ad 3um. dicendum, quod licet filii Israelis et ā fortiori Moises haberet Fidem de Deo vero, qui est Deus Abraam &a. non tamen sufficiebat hæc notitia, seu cognitio ad reddendum certiorem Moisem de aliis dictis in corp. quæstionis.

QVÆSTIO.

Super versu: ego sum, qui sum Ex. 3: potest quæri Vtrum hoc nomē,

quiest sit maxime propriū nomen Dei.

Et videtur, quod non. Primo quia hoc nomen Deus est nomen incommunicabile iuxta illud Sapientiæ 14: incommunicabile nomen, lignis, et lapidibus imposuerunt; sed hoc nomen, qui est, non est nomen icommunicabile: ergo hoc nomen, qui est non est maxime propriū nomen Dei.

2.° nam Dionisius dicit 3.° cā. de di. no. quod boni nominatio est manifestativa omnium Dei processionū; sed hoc maxime Deo convenit, quod sit universale rerum principiū: ergo hoc nomē bonum est maxime proprium Dei, et non hoc nomen, qui est.

3.° omne nomen divinum videtur importare relationē ad creaturas, quum Deus non cognoscatur ā nobis, nisi per creaturas Ro. 1; sed hoc nomen, qui est, nullam importat habitudinē ad creaturas: ergo hoc nomen, qui est, non est maxime propriū nomen Dei.

Sed contra est textus in fronte quæstionis positus Ex. 3. nam petenti Moisi ā Deo nomē

sum, respondit Deus: Ego sum, qui sum, sic dices filiis Israel, qui est, misit me ad vos.

Pro responsione ad quæstionem primo notandum, quod nomina Dei assignantur communiter decem; Primum est Hel, sive El, quod Græce dicitur Theos, id est, providens, vel Deus, vel Eschiros, id est, fortis; Secundum est Heloi; Tertium est Heloe, quæ duo Græce dicuntur Theophobus, et Latine Timor; Quartum est Sabbaoth, id est, exercituum, vel virtutum coelestium, vel Angelorum; Quintum est Elyon, id est, altus, vel excelsus; Sextum est Ehie, id est, qui erit, vel qui est; septimum est Adonay, id est Dominus; octavum est Ia, id est vita, vel Dominus, vel spiritus, et ponitur in fine huius dictionis Alleluia; Nonum est Saday, id est omnipotens; Decimum est nomen quattuor literarum, quæ sunt in Hebreo Ioth, He, Vau, Heth, quæ interpretantur, Ioth, id est, principium, He, et, Vau, id est est, Heth, id est vita, scilicet Christus Deus noster, qui se ipsum vocavit principium Joannis 8, et

vitam Joannis 14. Vel dictę quatuor literę sonāt, principium vitę Passionis istę; ponebatur enim dictum nomen quatuor literarum in fronte summi Sacerdotis pro ornamento, unde sonabat, quod per Passionem eius, quā ille sacerdos ita vestitus figurabat, erat recuperanda vita per Adam perdita, et hoc nomen quatuor literarum dicitur Grece Tetragrāmaton, a Tetra quod est quatuor, et Gramaton, quod est genitivus pluralis huius dictionis To gramma tu grammatis in singulari, quod pro litera accipitur, et in genitivo plurali significat literarū, unde totum nomen Tetragramāton Grece, dicit in Latino quatuor literarum, quę dictę sunt.

2° est notandum, quod est non parva differentia inter nostram translationem, scilicet Beati Hieronimi, et literam Hebreā, nam nostra translatio dicit: ego sum, qui sum, sic dices filiis Israel, qui est, misit me ad vos, et hanc translationem communiter sequuntur omnes Doctores nostri asserentes, quod

hoc nomen, qui est, est maxime proprium Dei, et hoc sentiunt Hieronimus ad Marcellam de 10 Dei nominibus, et Augustinus 5.° de Trinitate, et S. Thomas 1. parte q. 13. a. 11; sed Hebraica veritas habet: dixit Dominus ad Moisem: ego ero, qui ero, sic dices filiis Israel, qui erit, misit me ad vos; et quod talis sit sensus literæ Hebraicæ omnes conveniunt, quia hæc dictio Chie, quæ in crebris Sacræ scripturæ locis invenitur semper, significat futurum tempus modi indicativi; sed quum transferre sensum ex sensu sit officium optimi interpretis, ut ipse Hieronimus docet in tractatu de optimo genere interpretandi, et in casu in quo sumus in idem redit sensus huius nominis, qui est, et qui erit, non debet quispiam moveri, quasi vocat magnam differentiam, aut difficultatem, utterque enim modus dicendi exprimit esse Dei, ut necessarium, æternum, et immutabile, nam sine distinctione, et differentia ex parte Dei, dicitur vere de Deo, verbum præteriti temporis, et præsentis, et futuri, quia

omnes differentiæ temporis Æternitati immutabili, et indivisibili coexistunt, et ad presentialitatis eius expressionem adhibentur, et ad hunc finem Divus Hieronimus in sua translatione secutus sensũ, posuit presens per quod Æternitas certius, ac clarius exprimitur, et Hebrea veritas futurum, quasi significans Æternitatem per futurum nunquam defuturum.

Vnde divissimus Joannes volens exprimere Æternam, et necessariam divini verbi generationem utitur verbo preterito dicens: in principio erat Verbum, quasi dicat ab Æterno fuit; et in Apocalipsi utitur omnibus differentiis temporis dicens: qui est, et qui erat, et qui venturus est, secus est in creaturis, et mutabilibus in quibus nihil est, nisi presens; de quibus intelligitur ratio Hieronimi, et Augustini dicentium, quæ erunt non dum sunt, qui modus loquendi non habet locum in Deo, imo secundum veram, et propriã rationẽ, nec

præsens tempus propriè de Deo dicitur, ut per hoc pateat Dei æternitas perseuerari, nam sicut futurum nondum est, ita præsens aliquando non fuit, et cito non erit, quæ ad Diuina non pertinent, vnde æternitas immutabilis fluxui temporis, et omnibus eius differentiis coexistit, dicit enim Augustinus esse verissime competit Deo, quia immutabilis est, et illa quæ sunt mutabilia perfecte non dicuntur esse; si igitur futurum in Deo distingueretur à præsenti vere mutabilis esset, ex opposito enim prædicati infertur oppositum subiecti, quia Deus est immutabilis, ideo in Deo non differt præsens à futuro, et ita merito iungitur præsens nostræ translationis futuro Hebraicæ veritatis. Eamdem sententiam habet Augustinus 11 civ. Dei c.° 21 dicens: Deus futura præterita præsentia comprehendit, quamvis præterita iam non sint, futura nondum sunt, si igitur in Dei scientia illæ differentiæ temporum non distinguuntur, nec in eius essentia, et modus essendi, quum Dei scientia sit eius essentia, et èconverso; ex quibus constat idem importari hoc in loco per est, et erit, vnde secundum hunc

modum dicendi, qui mihi placet.

3° notandum secundum S. Thom. 1ª p. q. 13. a. 11 in corp. q. hoc nomen, qui est, vel qui est, quod secundum dictum pro eodem accipio, est Deo maxime proprium triplici ratione, primo propter suii significationem, non enim significat formam aliquã, sed ipsum esse, unde quum esse Dei sit ipsa eius essentia, et hoc nulli alii conveniat, manifestũ est, quod inter alia nomina hoc maxime proprie nominat Deum, unumquodque enim denominatur ã propria forma.

2° propter eius universalitatẽ, omnia, enim, alia nomina, vel sunt minus communia, vel si convertantur cum ipso, tamen addunt aliqua supra ipsum secundum rationem, unde quodammodo informant, et determinant ipsum, intellectus autem noster non potest ipsam Dei essentiam cognoscere in statu viæ secundum quod in se est, sed quemcumque modum determinet circa id, quod intelligitur, deficit ã modo, quo Deus in se est, et ideo quanto aliqua nomina sunt minus determinata,

et magis communia, et absoluta, tanto magis proprie dicuntur à nobis de Deo, unde et Damascenus dicit, quod principalius omnibus quę de Deo dicuntur nominibus est, qui est, totum enim in se ipso comprehendens, velut quoddam pelagus substantię infinitum, et indeterminatum est, quolibet enim alio nomine determinatur aliquis modus substantię rei, sed hoc nomen, qui est, nullum modum essendi determinat, se indeterminate se habet ad omnes, et ideo nominat ipsum substantię pelagus infinitum.

3º. vero ex eius consignificatione, significat enim esse in presenti, et hoc maxime proprie de Deo dicitur, cuius esse non novit pręteritum, vel futurum, ut dicit Augustinus 5º. de Trinitate. Dominus autem Burgensis cui dicta sententia minus placet, exponit, ero, qui ero, id est ero cum eis, qui ero tecum, nam paulo ante dixerat Moisi, ego ero tecum, quasi dicat ego dixi tibi, quod ero tecu in hac liberatione, similiter dico, quod ero cum eis, et quia utrumque erat super eodem facto, idcirco tantum semel concludit, qui erit misit

me ad vos, quasi dicat non debetis quaerere, sed sufficiat vobis, quod ens vobiscum.

Ad argumenta in contrarium dicendum ad primum, quod hoc nomen, qui est, est proprium Deo, quam nomen Deus, quantum ad id a quo imponitur, scilicet ab esse, et quantum ad modum significandi, et consignificandi, ut dictum est, sed quantum ad id ad quod imponitur nomen ad significandum est magis proprium hoc nomen Deus, quod imponitur ad significandum naturam divinã, et adhuc magis proprium est nomen, quod Latine dicitur 4 literarum, et Graece Tetragrammaton, quod est impositum ad significandum ipsam Dei substantiam incommunicabilem, et ut sic liceat loqui singularem.

Ad 2um. dicendum, quod hoc nomen bonum est principale nomen Dei inquantum est causa non tamen simpliciter, nam esse absolute prae intelligitur causae.

Ad 3um. dicendum, quod non est necessariũ, quod omnia nomina divina importent habi-

tionem ad creaturas, sed sufficit, quod imponantur ab aliquibus perfectionibus procedentibus à Deo in creaturas inter quas prima est ipsum esse, ut dicit Auctor in principio libri de causis, à quo sumitur hoc nomen, qui est.

QUAESTIO.

Super versu: dixitque iterum Deus ad Moysem: hoc dices filiis Israel Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraam, et Deus Isaac, et Deus Iacob, misit me ad vos, hoc nomen mihi est in aeternum, et hoc memoriale meum in generatione, et generationem Ex. 3. ubi nostra translatio dicit Dominus Deus, in Hebrea litera ponitur nomen quatuor literarũ, quod Graece dicitur Tetragrammaton, et quia in textu sequitur: hoc nomen mihi est in aeternũ et caetera potest quaeri.

Utrum nomen quatuor literarum, quod Graece dicitur Tetragrammaton sit Deo plus quam

maxime proprium.

Et videtur quod non. Primo quia ut dicitur 1.° Ethic. transeuntem quidem in ydem recidit sermo, unde trahunt commune dictum, scilicet quod per excellentiam dicitur uni soli convenit; sed superiore questione dictũ est, quod qui est, est Deo maxime proprium: ergo hoc non convenit nomini 4 literarum.

2.° quia nomen quam maxime proprium alicuius nulli alii communicatur; sed hoc nomẽ Tetragrammaton, seu quatuor literarum cõmunicatur creaturæ, ut patet Ex.° 17. ubi de altari edificato ã Moise dicitur, vocavit nomen eius, Dominus exaltatio mea, ubi dicitur Dominus est in litera nomen 4 literarum: ergo cõmunicatur Altari, et per consequens non est quam maxime Deo proprium, quandoquidem creaturæ communicatur.

3.° quia omnes auctores, qui de nomine 4 literarũ loquuntur, asserũt Deo maxime convenire, quia significat mere Dei substantiam, sed hoc non constat, quia Dionisius 1. c.° div. nom. dicit omniũ

Sanctorum Theologorum nimnum invenies ad beatae Thearchiae processus manifestative, et laudative Dei nominationes dividentem; et est sensus, quod nomina, quae in divinam laudem sacri Doctores assumunt secundum processus ipsius Dei distinguuntur; sed quod significat processum alicuius rei, nihil significat ad eius essentiam pertinens: ergo nomina dicta de Deo non dicuntur de ipso substantialiter, et sic nomen 4 literarum non significat singularem eius substantiam.

Sed contra est communis opinio, quae confirmatur auctoritate Augustini 7.° de Trin. dicentis, Deo hoc est esse quod fortem esse, vel sapientem esse, et si quid de illa simplicitate dixeris, quo eius substantia significatur; sed communi omnium consensu nomen 4 literarum simplicius, et singularius significat Dei essentiam, et substantiam, quam cetera nomina: ergo est Deo maxime proprium.

Pro responsione, et dilucidatione huius materiae primo est notandum, quod dictae quatuor literae, quae in praecedenti quaestione expressae sunt,

tanquam dictiones, ut Ioth, He, Vau, Heth, si

exprimantur simpliciter scribuntur I. H. V. H.

et nomen 4 literarum, vel Tetragrammaton apud

Hebreos scribitur sic Ihuh, quod nomen sicut scrip-

tum est, ut refert Magister Moises in libro de di-

rectione perplexorum non pronunciatur ab Hebreis

prout litera iacet, sed loco illius ubicumque in Sacra

Scriptura ponitur, proferunt legentes, Adonai, quod

est aliud nomen divinum compositum ex 4 literis,

quarum prima est, A, secunda, D, tertia, N, quar-

ta, I, et sic hoc nomen scribitur apud eos, Adni, que

quidem quatuor literę sic in Hebreo sillabicantur,

quod propria nominis ex eis compositi pronunciatio

est Adonai, quod quidem nomen interpretatur Do-

minus, dicit enim Augustinus contra Faustum:

Adonai verbum Hebreum est, et interpretatur Do-

minus, eo modo quo solus Deus dicitur Dominus

sicut latria, quod verbum Grecum est, et interpre-

tatur servitus non quecumque, sed illa, qua tantum

Deo servitur, et Amen interpretatur verum, non

ubicumque, et quomodocumque, sed mistica religione

Adonai igitur significat Dominũ, vt soli Deo convenit, cum additione mei, vel nostri, vel nostrum; nomen autem 4 literarum non est transferibile in aliud nomen, sicut Adonai, et alia nomina divina, et ideo translatores tam caldei, quam Græci, et Latini, atque Arabici loco illius posuerunt, dominũ, quæ est expositio nominis Adonai, non nominis Tetragrammaton, vel quatuor literarum.

2.° notandum, quod dictum nomen 4 literarum, seu Tetragrammaton est quam maxime proprium Dei, quia vt dictum est quæstione præcedenti hoc nomen, qui est, est maxime proprium propter rationes ibidem expressas; sed nomen quatuor literarum maxime exprimit divinum esse, et essentiam, nihil aliud cõnotando, aut limitando, quod maxime competit divinæ essentiæ, et esse divino; forma etiam in qua ponitur secundum grãmaticam Hebraicam considerata, nec est proprie concreta, nec abstracta, nec aliquod tempus in sui significatione includit, quum sit nomen proprie propriũ, ad cuius rei maiorem evidentiam nota, quod, vt dicit

Magister Moises loquens de divinis nominibus, quæ in veteri testamento continentur aliqua nomina dicuntur de Deo per respectum ad creaturas, ut Creator, Dominus, et similia; alia autem dicuntur de Deo per modum qualitatum circa divinam essentiam, ut Sapiens, Bonus, Omnipotẽs, et similia; et alia per modum quantitatum, ut Immensus, incircumscriptus, et per modum aliarum proprietatum, licet transeant in divinam substantiam quantum ad rem significatam; sed nomen Domini quatuor literarum significat divinam essentiam puram, et nudam, prout in se existit, et ut quidam dixit cum intrinsecis proprietatibus circumscripto omni alio, et ideo est nomen incommunicabile soli Deo appropriatum, quia significat veritatem Divinæ essentiæ in se; et licet hoc nomen fuit Patriarchis indicatum, ut patet Gen. 15, ubi Dominus apparens Abraæ dixit ei: ego sum Dominus, qui eduxi te de Ur Chaldæorũ, ubi in Hebræo habetur loco huius nominis Dominus nomen 4 literarum, tamẽ clarius, et perfec-

tius fuit Moisi monstratum, quia non solum quoad vocem, sed quoad vocis significatum, scilicet Dei essentiam, quam vidit, ut tenet Augustinus 12 super Gen. ad litt. in lib. de videndo Deum ad Paulinam, quod etiam apparet, per id quod habetur Num. 12 de Moise palam, et non per enigmata, et figuras videt Deum, et de tali manifestatione potest intelligi illud Ex. 6: et nomen meum Adonai non indicavi eis, ubi dicitur Adonai ponitur nomen 4 literarum, seu Tetragrammaton, quod nomen tante est reputationis, et sanctitatis apud Hebreos, ut dicant, quod non debet nominari, nisi a summo sacerdote, et solum in benedictionibus fiendis in Templo, unde translatores, et alii loco illius pronunciant Adonai, sicut si apud nos hoc nomen Deus propter sui sanctitatem non liceret nominare, et loco illius ubicumque inveniretur scriptum pronunciaretur hoc nomen Dominus.

3.º notandum, quod tametsi de predicto nomine 4. literarum dictum sit a Deo: hoc nomen mihi est in eternum, quia tamen in eternum in sacra

Scriptura maxime in testamento veteri non intelligitur pro semper, id est sine fine, sed pro longo tempore, ut in dicta Dei sententia, et multis aliis sacræ Scripturæ locis apparet, iccirco successit ei nomen Iesu clarissimum, et propriissimum, quod etiam est 4 literarum, quod clare patet si dicitur Iesu; sed si dicatur Iesus etiam liquido constat, quum litera S. bis accipiatur, de quo gloriosissimo, ac suavissimo nomine Iesu, intelligitur illud ad Philipenses 2. donavit illi nomen, quod est super omne nomen, nam super nomen 4 literarum, quod est maxime proprium inter antiqua Dei nomina, ut dictum est, hoc nomen Iesus non solum dicit veram Deitatem, cuius solius est salus, ut dicit Psalm.[us] Domini est salus, et iterum gratiam, et Gloriam dabit Dominus, quibus solis constat salvatio; sed addit instrumentum, ac medium, et opus nostræ salutis, scilicet humanitatem, ita ut significet perfectam Deitatem, et Humanitatem in una, eademque persona per quam salvati, et liberati sumus;

Unde Matthæi 1.° dixit Angelus ad Joseph: et vocabit nomen eius Jesum, ipse enim salvum faciet Populum suum &c.ª et quia illud nomen 4 literarum erat ante absconditum eo quod non legebatur à Populo propter Populi imperfectionem, nomen vero secundum, scilicet Jesus, quod est memoriale primi nominis propalandum erat omnibus tempore Christi, sicut et ipse Deus, qui in se est invisibilis, per Incarnationem fuit visibiliter cognitus, ideo ille evangelicus Propheta Isaias cap.° 52. loquens de adventu Christi dicit: propterea cognoscet Populus meus nomen meum in die illa, quia ego, qui loquebar in die illa, ecce ego adsum, cuius sensus est, scilicet propter hoc Populus meus cognoscet nomen divinum antea sibi absconditum, et hoc in die illa, scilicet tempore Christi, cuius rationẽ reddit dicens: quia ipse Deus, qui loquebatur prius in Prophetis de quo dicit: quia ego, qui loquebar, principaliter, præsentialiter, ac visibiliter assistere et, de quo dicit: ecce adsum; et quia notitia utriusque nominis prædicti erat maxime

desiderabilis Iustis adventum Christi expectantibus, ideo in persona talium Isaias 26 ca. dicit: Domine sustinuimus te, nomen tuum, et memoriale tuum in desiderio Animę, quasi dicat: desideravimus notitiam, non solum nominis tui, scilicet primi nobis aliqualiter ignoti, sed etiam memorialis tui, scilicet memoriale primi nominis, quod est nomen Iesus, quodquidem desideriū Christus adimplens dicit Ioannis 17: Pater manifestavi nomē tuum; sed nota, quod nomen Iesus dicitur ab Apostolo nomen super omne nomen, quia Christus homo nominatus Deus, quod licet ei fuerit donatum ab instanti suę conceptionis secundum rem; tamen quia Incarnatio fuit facta in supposito divino non tamen secundum manifestationem, sed post eius Passionem, Resurrectionem, Ascensionem, et Spiritus Sancti missionem, et alia divinę Virtutis opera declarata fuit eius Divinitas, tunc dicitur nomen Deitatis sibi datum vel donatum, eo modo loquendi, quo res fieri dicitur, quando innotescit.

Adde quod nomen, quod imponitur ad significandum rem aliquam, tanto est altius, quanto res significata per illud est altior, et sic nomen Jesu, quia divinitatem cum humanitate significat est altius, et excellentius ideo de eo Psalmista dicit: Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum: ergo hoc nomen, ut Deus diceretur, et esset, dedit illi scilicet Christo Pater tanquam vero Deo, quod potest bipharium exponi; unomodo secundum Ambrosium, ut donaverit ei Pater hoc nomen in quantum est Filius Dei, et hoc ab æterno per generationem æternam; quæ donatio nihil est aliud, quam æterna eius generatio Joa. 5. sicut Pater habet vitam in se metipso, sic dedit et Filio vitam habere in se metipso; alio modo secundum Augustinum de Christo homine, et sic Pater dedit illi homini nomen, ut Deus esset non per naturam, quia alia est natura Dei, et alia hominis, sed ut esset Deus per gratiam non adoptionis, sed unionis, ut scilicet simul esset Deus, et Homo, Ro. 1. prædestinatus est Filius Dei in virtute &c. ille sci-

licet de quo præmiserat, quod factum est ex semine

David secundum carnem, et hoc est quod Petrus

voluit dicere Actuum 4: nec enim aliud nomen est

sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos

salvos fieri, id est, res signata per nomen salva-

toris non est data alteri homini, soli enim Chris-

to datum est quod sit Deus, et Homo; ex quibus aper-

tissime constat, quod nomen Iesu aliquid sin-

gulare, et plus quam maxime proprium impor-

tat, quam qui est, et quam nomen 4 literarum,

quod Græce Tetragrammaton dicitur, quia id, quod

illa, et aliquid plus significat, vt copiose exposi-

tum est.

Ad 1um. ergo argumentorum in contra-

rium dicendum quod illud, quod per excellenciam

in supremo gradu dicitur vni soli convenit, scilicet

Christo Iesu cui se vero convenit nomen, quod

est super omne nomen, vt dictum est in texto no-

tabili eo quod Iesus significat substantiam Dei

Omnipotentē salvare, et Christi humanitatem

per quam salvavit, nomen Dei quatuor literarū

solam puram substantiam divinam significat, sicut qui est, cetera vero aliquam perfectionē. Unde gradus sunt proprietatis in nominibus Dei, ut quędam dicantur propria sicut Adonai, Saddai, Deus &c. quędam propriora, sicut nomen Tetragrammaton, id est quatuor literarū immdictarum, et nomen, qui est, et quoddam nomen est proprissimum, ut Jesus, unde de his ultimis tribus possumus dicere, quod singulum est maxime proprium, sicut de confessoribus singulis cantat ecclesia non est inventus similis illi, non adimendo alicui in ——— ——— suam excellenciam.

Ad 2um. dicendum, quod nomen Domini quatuor literarum attributum est altari in illo loco, non quia nomen Domini conveniat altari, sed denominatū est Altare ab opere ipsius Domini, qui solus in sua omnipotentia exaltavit populum Israel, et Amalech depressit, et ideo interatur subditur: quia manus solius Domini, id est, potestas Thronicius, et bellum exit contra Amalech.

Ad 3um. dicendum, quod in significatione nominum, quandoque est aliud illud, a quo aliquid imponitur ad significandum, et aliud est illud ad quod significandum imponitur, sicut lapis imponitur ab hoc, quod ledit pedem, sed significat quandam speciem corporum, alioquin omne ledens pedem esset lapis, sic igitur est dicendum, quod Divina nomina imponuntur a processibus Divinitatis, sicut enim secundum diversos processus perfectionum creaturæ Deum repræsentant, licet imperfecte, ita intellectus noster secundum unumquemque processum Deum cognoscit, et nominat, sed tamen non imponit ad significandum ipsos processus, ut quum dicitur Deus est vivens sit sensus a Deo procedit vita, sed ponitur ad significandum ipsum rerum principium, ut in eo præexistit vita, licet eminentiori modo, quam intelligi potest, aut significetur; sed hoc est intelligendum de nominibus, quæ ab hominibus imponuntur, secus autem de his, quæ Divinitus imponuntur, quale est nomen Δ Literarum, quod non fuit impositum

à Deo ab aliquo processu perfectionis in nos, sed ab ipsa mera substantia Dei, quam unice, et praecise importat, et significat, fuit à Deo cognoscente clare, et adequate impositum, et de talibus non loquitur Dionisius in sua sententia, ut liquido patet, sed solum de nominibus impositis per homines ab effectibus, et eodem modo excluditur nomen Jesus, quia Divinitus fuit impositum.

Ad 4um argumentum, quod fuit factum in contrarium dicendum, quod licet sit verum, quod nomen 4 literarum simplicius, et singularius significat Dei substantiam, ut ostensum est, tamen hoc intelligitur de nominibus Deo impositis, aut ab hominibus, aut à Deo ante tempus gratiae; adveniente autem tempore gratiae impositum est Divinitus Christo nomen Jesus, quod exprimitur Salvator ab eo à quo imponitur, ut patet Math. i V. sed significat ipsam Dei substantiam, quae sola fit salus, ut dicitur in Psalmo, et in hoc equiparatur nomini quatuor literarum, et addit instrumentum

salvandi, scilicet Christi humanitatem, et ideo non ab re nomen Iesus, ut quam maxime proprium nomen in supremo gradu Deo tribuitur, de eo enim dicit Apostolus: per quem salvati, et liberati sumus, et iterum in quo est Salus, Vita, et Resurrectio nostra.

QVÆSTIO.

Circa versum: proiecerunt que singuli, scilicet malephici virgas suas, quæ versæ sūt in dracones Cap.^{7.} potest quæri. Utrum virtute Dæmonum, quam Magi utuntur potuit fieri conversio virgarum in serpentes, vel Dracones; vel generalius, utrum Dæmones operentur ad miracula facienda.

Et videtur quod possint. Primo, quia dicitur Mathæi 24: surgent Pseudo Christi, et Pseudo Prophetæ et dabunt signa magna, et prodigia; sed hæc non operabuntur, nisi per virtutem Dæmonū: ergo Dæmones operantur ad miracula facienda.

2.º subito sanare infirmum miraculum est, sicut miraculum fuisse dicitur, quod Christus

socerum Petri sanavit Luc. 4; hoc autem dæmones possunt facere; nam Medicinæ infirmo adhibitæ sanitatem accelerant, possunt autem dæmones agilitate suæ naturæ medicinas efficaces ad sanandũ quas optime calent adhibere, et sic subito sanare: ergo et possunt miracula facere.

3°. facere mutos loqui est miraculum, maius autem miraculum videtur esse, quod cani loquantur, vel cantet, quod simon Magus faciebat virtute dæmonis, ut legitur: ergo dæmon potest miracula facere.

4°. Valerius Maximus narrat, quod fortunæ simulacrum, quod Romæ via Latina erat, non semel, sed bis, his verbis locutum est: Rite me matronæ vidistis, Riteque dedicastis, quod autem loquantur lapides est maius miraculum, quam quod muti loquantur, quod tamen est miraculorum: ergo videtur, quod dæmones miracula facere possunt.

5°. in historiis Romanorum legitur, quod quædam virgo vestalis insignum suæ pudicitiæ vas perforatum aquæ plenum ex Tiberi portavit, quod fieri nequivit, nisi per hoc quod aqua aliqua non

naturali virtute, refluxeret, continebatur, quod miraculum fuit in divisione Jordanis, et aquarũ maris statione; sed illud virginis vestalis non potuit fieri nisi virtute dęmoniaca: ergo dęmones possunt facere miracula.

6.° multo difficilius est hominem transformari in aliquod Animal brutum, quam aquam transformari in vinum; sed aquam transformari in vinum est miraculum, ut patet Jo. 2: ergo multo fortius transformari hominem in aliquod anĩal brutum; sed dęmonis virtute homines transformantur in bruta; narrat enim Varro socios Diomedis Troia revertentes in aves fuisse conversos, quę longo post tempore circa templũ Diomedis volabant, narrat etiam, quod Circes maga famosissimas socios Ulixis mutavit in bestias, et quod Archades quodam stagno transito convertebantur in lupos: ergo dęmones possũt miracula facere.

7.° adversitates Job dęmone agente procuratę sunt, quod patet ex hoc, quod Dominus dedit ei

potestatem in omnia, quæ erant Job; sed eiusmodi adversitates non sine miraculo contigerunt, ut patet de igne ē cœlo descenderate, et de verso domum ad interitionem filiorum eius evertente: ergo dæmones miracula facere possunt.

8.° quod Moises virgam in ~~[illegible]~~ serpentē mutavit, miraculum fecit; sed hoc similiter fecerunt Magi Pharaonis virtute dæmonum per incantationes egiptiacas, et archana quædam, ut in textu allegato cap. 7. habetur: ergo dæmones miracula facere possunt.

9.° operatio miraculorū magis remota est ā virtute humana, quam ā virtute Angelica; sed per malos homines interdum miracula fiunt, unde ex persona reproborum dicitur Mathæi 7: nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus: ergo per dæmones vera miracula fieri possunt.

10.° Augustinus dicit in lib. 83. quæstionū, quod Magi faciunt miracula per privatos contractus, Boni Christiani per publicam

Iustitiam, mali Christiani per signa publicæ Iustitiæ; sed Magi per hoc quod exaudiuntur à dæmonibus unde in eodem libro dicit Augustinus, quod magicis artibus fiunt plerumque similia illis miraculis, quæ fiunt per servos Dei.

11°. virtus superior non subditur ordini inferioris causæ; sed natura corporalis est inferior Angelo: ergo Angelus potest operari præter ordinem corporalium agentium, quod est miracula facere.

In contrarium: tempore Antichristi dæmon habebit maximam virtutem ad operandum, quia ut dicitur Apocal. 20: opportet illum solvi in modico tempore, quod intelligitur tempus Antichristi; sed tunc non operabitur vera miracula, quod patet per illud 2. Thess. 2. quod adventus antichristi erit in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus: ergo dæmones vera miracula facere non possunt.

Secundo argumentum, quod se habet ad opposita, efficaciam non habet, si ergo vera mira-

cula possunt fieri à Dæmonibus ad falsitatem persuadendam non erunt efficacia ad veritatem Fidei confirmandam, quod est inconveniens, et contra illud Mathæi vltimo: Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis. confirmatur auctoritate Psalmi dicentis de Deo: qui facit mirabilia magna solus.

Pro responsione p.o notandum, quod miraculi nomen à mirando est sumptum; ad admirationem autem duo concurrunt, vt potest accipi ex verbis Philosophi in principio Metaphisicæ; quorum primum est, quod causa illius, de quo admiramur, sit oculta; secundum est, quod in eo de quo miramur, appareat aliquid per quod videatur contrarium eius de quo miramur debere esse, sicut aliquis posset mirari, si videret ferrum ascendere ad calamitam ignorans calamitæ virtutem; hoc autem potest contingere dupliciter; vno modo secundum se; alio modo, quo ad nos, quo ad nos quidem, quando causa effectus, quem miramur non est oculta simpliciter, sed oculta huic,

vel illi, nec in re, quam miratur est dispositio

repugnans effectui, de quo miratur secundum

rei veritatem, sed solum secundum opinionem

admirantis, et ex hoc contingit, quod illud, quod est

uni mirum, vel admirabile non est mirum, vel

admirabile alteri, sicut sciens virtutem calamitę

per doctrinam, vel experimentum, non miratur prę-

dictum effectum, ignorans autem miratur; secundũ

se autem aliquid est mirum, vel admirabile cuius

causa simpliciter est occulta, et quando in re est

secundũ naturam contrariá dispositio effectui,

qui apparet, ista non solum possunt dici mira in

actu, vel mira in potentia, sed etiam miracula,

quasi habentia in se admirationis causam; causa

autem occultissima, et remotissima ã nostris

sensibus est divina, quę in rebus omnibus secre-

tissime operatur, et ideo illa quę sola virtute

divina fiunt in rebus illis, in quibus est natu-

ralis ordo ad contrariũ effectum, vel ad contrariũ

modum faciendi, dicuntur propriè miracula, ea

vero, quę natura facit nobis, vel alicui nostrum

occulta, vel etiam, quę Deus facit, nec aliter ex natura sunt fieri nisi à Deo, miracula dici non possunt, sed solum mira, vel mirabilia; et ideo in diffinitione miraculi in libro de vtilitate credendi quum dicitur, quod est arduum, et insolitum supra facultatem naturę, et pręter spem admirantis proveniens ponitur aliquid, et quod excedit naturę ordinem in hoc quod dicit supra facultatem naturę, cui ex parte rei mirabilis, respondet, quod dicitur arduum, et ponitur etiam aliquid, quod excedit nostram cognitionem in hoc quod dicitur pręter spem admirantis apparens, cui ex parte rei mirabilis respondet, quod dicitur insolitum.

2.º notandum, quod sicut Angeli boni per gratiam possunt aliquid vltra naturalem virtutem, ita Angeli mali minus possunt ex Divina Providentia ea reprimente, quam possunt secundum suam naturalem virtutem, quia vt Augustinus dicit 3. Trin. quędam quę Angeli mali possunt facere, si permitterentur, ideo facere non possunt, quia non permittuntur, vnde secundum hoc ligari di-

cuntur, quod impediuntur ab illis agendis ad quem eorum naturalis virtus se extendere posset, solvi autem, quum permittuntur agere divino Iudicio, quæ secundum naturam agere possunt, quædam vero non possunt etiam si permittantur, quia naturæ modus à Deo eis præstitus hoc non permittit; ad huiusmodi autem, quæ sunt supra facultatem naturæ ipsorum eis à Deo nulla datur potestas, quia quum operatio miraculorum sit quoddam divinum testimonium indicativum divinæ virtutis, et veritatis, si dæmonibus quorū tota voluntas est ad malum, daretur aliqua potestas faciendi miracula, Deus contesteret testis falsitatis eorum, quæ res non decet divinam Bonitatem, unde ea tantum interdum opera faciunt, quæ miracula hominibus videntur, quando permittuntur à Deo ad quæ eorum naturalis virtus se posset extendere, tales enim effectus naturali virtute solum possunt producere per modum artis, ad quos inveniuntur virtutes aliquæ naturales in corporibus, quæ eis ad motum localem obediunt,

ut sic ea possint ad aliquem effectum celeriter
applicare, huiusmodi autem virtutibus vere
transmutationes corporum fieri possunt, sicut
secundum naturalem cursum rerum videmus
unum ex alio generari, possunt nihilominus ali-
qua mutatione corporali facta quaedam, quae non
sunt in rerum natura in imaginatione apparere
per commotionem organi fantasiae secundum diver-
sitatem spirituum, et humorum ad quod etiam ali-
qua corpora exteriora efficaciam habent, ut eis
aliquo modo adhibitis videatur esse aliquid alterius
formae, quam sit, sicut patet in freneticis, et men-
te captis; Possunt ergo Daemones mirabiliter nobis
operari dupliciter; uno modo per veram corporum
transmutationem; alio modo per quamdam sen-
suum illusionem ex aliqua immutatione ima-
ginationis, neutra tamen operatio est miraculosa,
sed est per modum artis applicando activa passi-
vis, vel varie per fantasmata movendo fantasiam,
et ideo simpliciter dicitur quod per Daemones
vera miracula fieri non possunt. Descendendo autem

magis ad propositum.

3°. notandum est, quod virtute dæmonum non potuerunt converti virgæ in dracones secundum veritatem, cuius ratio est, quia in compositis ex materia, et forma, materia non fit per se, nec forma, sed totum compositum, et ideo totum transmutatur in totum, ut ex toto aere fit ignis, quando aer convertitur in ignem, ut dicitur in libro de generatione, effectus autem assimilatur agenti, et in ipso præexistit saltem virtualiter, et ideo compositum ex materia, et forma naturali non potest produci, nisi ab agente composito ex materia, et forma, vel nisi habeat totum compositum in virtute sua; Angelus autē est forma simplex non habens materiam partē sui; nec etiam habet eam in virtute sua, sed solus Deus potest eam producere, et ideo in virtute dæmonis non potest aliquod compositum ex materia, et forma produci, licet in eo remanserint naturalia integra; conversio autem virgæ in serpentem includit compositum ex materia,

et forma naturali productione; quidam
autem dixerunt, quod eiusmodi conversio fuit
facta secundum apparentiam, quia licet materia
Corporalis non subiiciatur virtuti Angelicę
quantum ad transmutationem prędictam, subii-
citur tamen ei quantum ad motum localem, vt
communiter conceditur, et ideo dicunt, quod Dęmo-
nes propria virtute potuerunt virgas a Magis
proiectas per motum localem imperceptibilem,
sensui humano subtrahere, et loco earum ser-
pentes aliunde apportata, vel ibidem generata
non virtute Dęmonis, sed agentis naturalis ap-
plicando actiua passiuis semina apponere, vt
dictum est. Sicut aliqui Mimi per subtilitatē
manuum per localem motum aliqua sic trans-
mutant, quod — ab hominibus pręsentibus non
percipiuntur, et multo fortius Dęmones, quorū
subtilitas, et celeritas in motu locali est maior,
quasi incomparabiliter possunt hęc, et mul-
to maiora. Item ponunt alium modum, nam
quia absentibus sensibilibus remanent tan-

tas mata, et imaginationes in fantasia, vt
(dicitur 2.º de Anima, inde est, quod ex motu lo-
cali formarum sensibilium remanentium
in virtute fantastica cum humoribus in quibus
sunt, vt in subiecto apparent aliqua, quę non sunt;
Vnde dicit Phus. Lo. de somno, et vigilia, quod des-
cendente pluximo sanguine ad primum sensi-
tivum simul descendunt formę imaginatę, et
sic videntur aliqua, quę non sunt, sicut accidit
somniantibus; quomodo possunt Dęmones commo-
vere humores interiorum, et exteriorum sensuũ,
et sic possunt ad organa sensuum aliquas for-
mas reducere, ac si venirent ab extra non solum
in dormientibus, sed etiam in vigilantibus, et
sic videntur eis esse aliqua extra, quę non
sunt, et hoc modo poterant facere, quod viderentur
virgę conversę in Dracones, et tamen de hoc ni-
hil esset extra secundum veritatem.

2.º notandum, quod licet verum sit, quod
Dęmones sua naturali virtute non potuerunt
vertere virgas in Dracones, vt dictum est, tamẽ

dicti duo modi expositi in secundo notabili licet
possent sustentari, minus tamen videntur con-
venire literę, quę dicit: proiecerunt que singuli vir-
gas suas, quę versę sunt in dracones, unde videtur,
quod nec aliunde fuerunt apportati, nec fantasiis
assistentium illuserunt, unde videtur dicendum,
quod dęmones Deo permittente subito talia se-
minalia rerum adhibuerunt per quę virgę sine
multis transmutationibus, et sine temporis mora
perceptibili verterentur in dracones, et hoc non
virtute naturali Dęmonum, sed talium semina-
lium rerum, a quibus talis conversio, sicut
ab agente proprio causatur, fit tamen hoc a Dę-
monibus applicative, et ministerialiter tantum,
sicut applicatis lignis igni generatur ignis in
materia lignorum, quę generatio fit ab igne, si-
cut ab agente proprio, et ab homine applicante
ligna, sicut a ministro. **Nec** valet instantia,
quod licet ex virgis possent generari serpentes
per agentia naturalia, hoc tamen esset per mul-
tas transmutationes, et longo tempore; sed illic

fuit subita mutatio, nam S. Thom. 1. p. q. 110. a. 4.

ad 2um. hoc solvit dicens, quod non omnis virtus

naturæ creatæ est nobis nota, et ideo quum aliquid

fit præter ordinem naturæ creatæ nobis notæ, sicut

in hoc loco modo prædicto miraculum posset dici

non simpliciter, quum non sit contra ordinem totius

naturæ creatæ nobis notæ; sed quoad nos, qui hu-

iusmodi virtutes in elementis Mundi latentes ig-

noramus; et hoc dictum sentire Augustinus

in Glossa Exo. 7. dicens, quod Dæmones dum per

incantationes eorum malephici aliquid efficere

conantur, discurrunt per Mundum, et subito eorū

semina, de quibus hoc agitur, afferunt, et sic

ex illis permittente Deo novas rerum species

producunt.

Et secundum hunc tertium modum, qui

videtur probabilior, respondebimus ad argumen-

ta in contrarium. Ad primum igitur dicendum,

quod signa, et prodigia dicuntur aliqua, quæ vir-

tute naturali fieri possunt, hominibus tamen

sunt mira, vel fiunt per sensuum illusionem,

ut in 1.º notabili dictum est.

Ad 2um. dicendum, quod nihil prohibet Dæmonum arte velocius aliquem posse sanari, quam per naturam si sibi relinquatur, quia hoc etiam videmus per artem hominum fieri, non tamen videtur, quod possit subito sanari licet aliquos alios effectus possit facere, quasi subito, quia medicinæ corpori humano exhibitæ operantur ad sanitatem, quasi instrumenta; natura autem est, sicut agens principale, unde oportet talia adhiberi, quæ possint à natura moveri, et si plura adhiberentur, non conferrent ad sanitatem, sed magis impedirent, unde etiam illæ infirmitates ad quarũ sanitatem naturæ virtus nullo modo potest, operatione Dæmonum sanari non possunt, secus autem est de illis effectibus, qui ab exteriori agente pendent, sicut à causa principali; sciendum tamen est, quod etiam si subito Dæmones sanitatem perficerent, non ideo esset miraculum, ex quo id agerent, si agerent, mediante naturali virtute.

Ad 3um. dicendum, quod locutio canum, et alia eiusmodi, quę Simon Magus faciebat, potuerunt fieri per illusionem, et non per effectus veritatem, si tamen per effectus veritatem hoc fieret, nullum sequitur inconveniens, quia dęmon non dabat cani virtutem loquendi, sicut datur mutis per miraculū; sed ipsemet per aliquem motum localem sonum formabat literatę, et articulatę vocis similitudinē, et modum habentem, per quem etiam modum, et Asina Balaam intelligitur locuta, tamen Angelo bono operante.

Et similiter dicendum ad 4um. de locutione Simulachri Fortunę, hoc enim factum fuit, si fuit dęmone per motum aeris sonum formante similem humanę locutioni.

Ad 5um. dicendum, quod nihil prohibet verum Deum in comendationem castitatis aliquid ostentum fecisse per bonos Angelos suos, et sic continendo aquam in vase perforato, si factum est, contingit, quia si qua bona in gentibus fuerunt, ā Deo fuerunt, si autem per dęmones

factum est, nec hoc repugnat prædicti, nam quiescere, et moveri localiter ab eodem principio secundũ genus sunt; quia per quam naturam aliquid movetur ad locum, quiescit in loco, unde sicut Dæmones possunt movere corpora localiter, ita et possunt ã motu retinere; nec tamen est miraculum sicut quando fit Divinitus, quia hoc secundum naturalem virtutem Dæmonis contingit ad huiusmodi effectum determinatum.

Ad 6.um dicendum, quod illæ transformationes de quibus Varro loquitur, non fuerunt secundum veritatem, sed secundũ apparentiam per operationem Dæmonis fantastico hominis per aliquam corporalẽ speciem immutato, sicut dicit Augustinus 18 de civit. Dei.

Ad 7.um dicendum, quod per aliquem motum aeris Dæmones, Deo permittente, possũt aliquas tentationes concitare, quum etiam per ventorum motum tales effectus, et per terræ motum fieri videamus, per quem modũ fuerunt adversitates Iob operantibus Dæ-

nominibus procurat.

Ad 2um. dicendum, quod de operatione Magorum Pharaonis duplex opinio in Glossa tangitur, una est, quod non fuerit vera conversio virgarũ in serpentes, sed id fuit secundum apparentiam tantum per aliquam præstigiosam illusionem; Augustinus autem in Glossa ibidem posita dicit, quod fuit conversio vera virgarum in serpentes, quod ex hoc verisimiliter probat, quia Scriptura eodem vocabulo nominavit virgas Magorum, et virgam Moisi, quã constat vere in serpentem esse conversam, quod autem operatione dæmonum virgæ in serpentes sunt conversæ, non fuit miraculum, hoc enim dæmones fecerũt per aliquã semina collecta, quæ habebant vim putrefaciendi virgas, et in serpentes convertendi; sed quod Moises fecit miraculũ, fuit, quia divina virtute absque omni naturalis virtutis operatione hoc effectum est.

Ad 3um. dicendum, quod homines, qui sunt mali vita, quandoque sunt anunciatores veritatis, quoniam Deus in testimonium veritatis

per ea annunciatę miracula facit, quod de Dęmonibus dici non potest.

Ad 10.um dicendum, quod miracula simpliciter loquendo, ut in 1.o notabili dictum est, dicuntur quum aliqua fiunt pręter ordinem naturę creatę, sed quia non omnis virtus naturę creatę est nota nobis, ideo quum aliquid fit pręter ordinem naturę creatę nobis notę per virtutem creatam nobis ignotam est miraculum quo ad nos; sic igitur quum Dęmones aliquid faciunt sua virtute naturali, dicuntur miracula non simpliciter, sed quo ad nos, et hoc modo Magi per Dęmones miracula faciunt, et dicuntur fieri per privatos contractus, quia quęlibet virtus creaturę in universo se habet, ut virtus alicuius privatę personę in civitate, unde quum Magus aliquid facit. per pactum initum cum Dęmone, hoc fit, quasi per quendam privatum contractum; sed Iustitia Divina est in toto universo, sicut lex publica in civitate, et ideo boni Christiani in quantum per Iustitiam Divinam miracula faciunt, dicuntur

ea facere per publicam Iustitiam; mali autem Chri-
stiani per signa publicæ Iustitiæ, sicut invocando
nomen Christi, vel exhibendo aliqua sacramenta.

Ad 4um. dicendum, quod licet Angeli possint
aliquid facere præter ordinem naturæ corporalis,
non tamen possunt aliquid facere præter ordinem
totius creaturæ, quod exigitur ad rationem mira-
culi, ut dictum est.

Ad primum argumentũ in contrarium
potest dici, quod tempore Antichristi diaboli
potestas solvenda dicitur, in quantum multa
tunc fieri permittentur, quæ modo fieri non per-
mittuntur, unde multa tunc fient ad seductionẽ
eorum, qui hoc meruerunt non acquiescendo ve-
ritati, fient autem quædam præstigiose in quibus
nec erit verus effectus, nec vera miracula, fient
etiam quædam per veram corporum immuta-
tionem in quibus si erũt veri effectus, non tamen
vera miracula, quiã erunt per causas naturales operata,
quæ etiam signa mendacia dicuntur, quan-
tum ad effectum, et quantũ ad intentionem

facientis, qui per huiusmodi mirabilia opera inducit homines ad credendum mendacium.

Ad 2um in contrarium dicendum, quod secundum Augustinum in libro 83. qq.m quando Magi faciunt talia, qualia sancti, diverso fine, et diverso iure faciunt, Magi enim faciunt quaerentes gloriam propriam, sancti vero quaerentes gloriam Dei; similiter Magi id faciunt per quaedam privata commercia cum Daemonibus, sancti vero publica administratione, et iussu Dei, cui cuncta creatura subiecta est. Item ut Augustinus in libro de utilitate credendi prope finem dicit, quae fiunt per Daemones faciunt admirationẽ, quae vero per sanctos magnam gratiam, et benivolentiam, atque utilitatem conciliant, et sic constat, quid interest inter miracula Dei, ac suorum, et miracula Daemonum, et malorum, illa enim ad Dei gloriam, et Ecclesiae utilitatem fiunt, haec ad Daemonum, et suorum membrorum gloriam, et Ecclesiae nocumenta fiunt, illa sunt vera, haec falsa, illa magna, haec parva, illa perfecta, haec imperfecta,

illa ad gratiam, atque vtilitatem, hęc ad perniciem, ac deceptionem inducunt, illa miracula, id est, admiratione plena, vel mirabilia magna, hęc mira, seu mirabilia parva, quia quo ad aliqua, et non simpliciter dicuntur miracula, et ideo illa solus Deus facere, aut faciendi potestatem, quibus vult cõmunicare potest. Hęc pro parte ex Sato Thom. in quęstionibus disputatis de poa q. 6. de miraculis ar. 5.

QVÆSTIO.

Super verbu: idcirco autem posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam, et narretur nomen meum in omni terra Cap. 9. et super verbu: sed ego indurabo cor eius Cap. 7. et aliis similibus maxime Ro. 9: potest quęri, vtrum Deus aliquem hominem reprobet.

Et videtur quod non. Primo, quia nullus reprobat eum, quem diligit; sed Deus omnia diligit secundum illud Sapient. 11: diligis omnia, quę sunt, et

nihil odisti eorum, quę fecisti: ergo Deus nullũ hominem reprobat.

2.º si Deus aliquem hominem reprobat oportet, quod sic se habeat reprobatio ad reprobatos, sicut prędestinatio ad prędestinatos; sed prędestinatio est causa salutis prędestinatorum: ergo reprobatio erit causa perditionis reproborũ; sed hoc est falsum, dicitur enim Oseę 13: ex te perditio tua Israel, tantummodo ex me auxilium tuum, non ergo Deus aliquem reprobat.

3.º nemini debet imputari, quod vitare non potest; sed si Deus aliquem reprobat, non potest vitare quin ipse peccat, dicitur enim Eccles. 7.º considera opus Dei, quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit: ergo non esset hominibus imputandum, quod peccant, hoc autem est falsũ: non ergo Deus aliquem reprobat.

4.º quia quem Deus reprobat, induxat, ne molliatur, et gratię cedat; sed duritia cordis ad culpam pertinere videtur secundum illud Eccli. 3: cor durum male habebit in novissimo: si ergo Deus

induxat, sequitur, quod sit actor culpę. Contra quod dicitur Jacobi 1°. Deus intentator malorũ est.

5.° induratio ipsa non videtur divinę voluntati posse attribui, quum sit scriptũ 1. Thesaloni. 4: hęc est voluntas Dei, sanctificatio vestra; et 1. Thim. 2: qui vult omnes homines salvos fieri.

6.° ad Justitiã in distributionibus pertinet, ut ęqualiter ęqualibus distribuatur; sed omnes homines remota differentia meritorũ sunt ęquales, si ergo absque consideratione meritorũ Deus inęqualiter distribuit unum eligens et alium reprobans, videtur, quod sit in eo iniquitas, quod est contra illud Deuteron. 32: Deus fidelis, et absque ulla iniquitate, et in Psalmo: Justus es Domine, et rectum Judiciũ tuum.

In contrarium est textus Malachię: Jacob dilexi, esau autem odio habui; et Ro. 9. dicit Apostolus: non volentis, nec currentis,

sed misericentis est Dei; dicit enim Scriptura Pharaoni, quia in hoc ipsum excitavi te, vt ostendam in te virtutem meam, et vt annuncietur nomen meum in vniversa terra: ergo cuius vult, miseretur, et quem vult, indurat.

Pro declaratione huius dubii, quod per arduum est. Primo notandum, quod nemini debet esse dubium, quod Deus aliquos reprobat; quia praedestinatio est pars Providentię, et ad Providentiam pertinet permittere aliquem deffectum in rebus, quę Providentię subduntur, vt ex omnibus bonis, et malis consistat vniversitati admirabilis pulchritudo, vt Augustinus dicit in Enchiridion, et vt sint multa bona, quę sine malis non forent, vnde quum per divinam Providentiam homines ordinentur in vitam ęternam, pertinet etiam ad divinam Providentiam, vt permittat aliquos ab isto fine defficere, quod vocatur reprobare, vnde sicut praedestinatio est pars Providentię respectu illorum, qui divinitus ordinantur in ęternam salutem,

ita reprobatio est pars Providentiæ, respectu illorum, qui ab hoc fine excidunt, vnde reprobatio non nominat tantum præscientiam, sed addit aliquid secundum rationem, sicut et Providentia; sicut enim prædestinatio includit voluntatẽ conferendi gratiam, et gloriam, ita reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, et inferendi damnationis pœnam pro culpa.

2.º notandum, quod dicta quæstio pertractatur ab Apostolo ad Ro. 9. vbi ait, dicit enim Scriptura Pharaoni, vbi ostendit, quod non est iniquitas apud Deum, quantum ad reprobationem malorum, et primo adicit auctoritatem, secundo infert conclusionem, quum dicit: ergo cui vult, miseretur, et quem vult, indurat; quod autem non sit iniquitas apud Deum reprobando ab æterno malos per dictum Dei allegatum Ex.º 9: in hoc ipso excitavi te, vel servavi te secundum aliam literam, vt ostendam in te virtutem meam, vbi nostra litera sic habet, iccirco posui te, vt os-

tendam in te fortitudinem meam, et enarre-
tur nomen meum in omni terra, vbi pri-
mo est considerandum, quid facit Deus erga re-
probos, quum nominatur quum dicit: in hoc ipso
seruaui te, id est, dignus eras mori propter mala,
quæ feceras, vt patet Exo. 1. nam qui talia agunt
digni sunt morte Ro. 1. sed tamen non statim
tibi mortem intuli, sed seruaui te in vita eo fine, qui
sequitur, vt scilicet ostendam &c. in quo etiam sensu
potest legi excitaui te, id est, quum apud me pro tuis
meritis mortuus esses concessi tibi vitam, quasi
te excitarem, in quo apparet, quod Deus iniquita-
tem reprobis non facit, quum ipse ex suis meritis
essent digni statim consumi, sed hoc ipsum, quod
eos seruat in vita procedit ex sua nimia bonitate;
Hieremi. 10: corripe me Domine verum tamen
in Iuditio, et non in furore tuo, ne furore ad
nihilum redigas me. Alio modo potest intelligi
excitaui te, scilicet in peccatum, vt dicerimus fecit,
quod quidem non est intelligendum hoc modo, quod
Deus in homine causet malitiam, sed est intelli-

gendum permittere, quia scilicet ex iusto suo iudicio permittit aliquos ruere in peccatum propter praecedentes iniquitates, sicut Ro. V°. dicitur: tradidit eos Deus in reprobum sensum; et Psalmus: appone iniquitatem super iniquitatem eorum; et Augustinus contra Faustum: crimina interdum criminibus vindicantur, et supplicia peccantium non sunt tormenta, sed vitiorum incrementa.

3° notandum, quod aliquid amplius videtur mihi in hoc esse intelligendum, quia videlicet instinctu quodam interiori moventur homines a Deo ad bonum, et ad malum; unde Augustinus dicit in libro de gratia, et libero arbitrio, quod Deus operatur in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum, unde et Deus dicitur saepius suscitare aliquos ad bonum secundum illud Dan. 13: suscitavit Deus spiritum pueri iunioris; dicitur etiam suscitare aliquos ad malum faciendum secundum illud Eza 13: sus-

citabo Medos, qui sagittis parvulos interficiant, aliter tamen ad bona, et aliter ad mala, nam ad bona inclinat hominum voluntates directe, et per se tanquam auctor bonorum, ad malum autem dicitur inclinare, vel suscitare homines occasionaliter in quantum scilicet Deus homini aliquid proponit, vel interius, vel exterius, quod quantum est de se est inductivum ad bonum; sed homo ex sua malitia perverse utitur ad malum, Ro. 2: ignoras, ô homo, quod Deus ad pœnitentiam te adducit secundum autem duritiam tuam, et cor impenitens thesaurizas tibi iram in die iræ; et Job 24: dedit ei Deus locum pœnitentiæ, et ille abutitur eo in superbiis, et similiter Deus quantum est de se interius instigat hominem ad bonū puta Regem ad defferendum Iura Regni sui, vel ad puniendum rebelles, sed tali instinctu bono malus homo abutitur secundum sui cordis malitiam, quod patet Esa. 10 ubi dicitur de Assur: ad gentem fallacem mittam eum contra Populum furoris mei, mandabo illi, ut auferat spolia &c.a; et post se-

quatur ipse autem non sic arbitrabitur, et cor eius non ita extimabit, sed ad conterendum erit cor eius, et hoc modo circa Pharaonem accidit, qui quum à Deo excitaretur ad Regni sui tutellam, abusus est hac excitatione in crudelitatem.

2º. notandum quo fine ista Deus partim faciat, et partim permittat, vnde considerandū est, quod Deus operatur in creaturis ad suam manifestationem secundum illud Ro. 1: invisibilia Dei per ea, quę facta sunt à creatura Mundi intellecta conspiciuntur, vnde dicta excitatio in hoc ipsum ordinatur, et quantum ad praesentes, vt ostendam in te virtutem meam Exo. 14: viderunt filii Israel manum magnā, quam exercuerat Dominus contra Ægiptios, et quantum ad absentes, vt annuncietur nomen meū in vniversa terra, Psalm: annunciate inter gentes gloriam eius, sic igitur patet quod quantum ad hoc non est iniquitas apud Deum, quia vtitur creaturis suis secundum merita eius ad gloriam suam, et in hoc eodem sensu potest exponi, si dicatur

posuit te, id est, ordinavi malitiam tuam, Deus enim malitiam ordinat, sed non causat, unde quum dicitur, ut ostendam &c.ª ly Ut accipiendũ est consecutive, et non causaliter, quia actus humani culpabiles, et privativi in quantum hujusmodi licet possint esse occasio actus positivi à Deo intenti, non tamen possunt esse causæ, sed permittuntur, et ordinantur à Deo ad fines suos, et sic dicitur Deus aliquem reprobare.-

Ex quo patet responsio ad argumenta in contrarium. Ad 1um. respondet S. Thomas 1a. q. 23. a. 3. quod Deus omnes homines diligit, et etiam omnes creaturas, in quantum omnibus vult aliquod bonum, non tamen quodcumque bonum vult omnibus, in quantum igitur quibusdam non vult hoc bonum, quod est vita æterna dicitur eos reprobare, vel odio habere.

Ad 2um. dicendum, quod aliter se habet reprobatio in causando, quam prædestinatio, nam prædestinatio est causa, et ejus quod ex-

peccatur in futura vita in prædestinatis, scilicet Gloriæ, et eius, quod percipitur in præsenti, scilicet gratiæ; reprobatio vero non est causa eius, quod est in præsenti, scilicet culpæ, sed est causa derelictionis à Deo, est tamen causa eius, quod redditur in futuro, scilicet pene æternæ; culpa tamen provenit ex libero arbitrio eius, qui reprobatur, et à gratia deseritur, et secundum hoc verificatur dictum Prophetæ Oseæ: perditio tua Israel &ª.

Ad 3um. dicendum, quod reprobatio Dei non subtrahit aliquid de potentia reprobati, unde quum dicitur, quod reprobatus non potest gratiam adipisci, non est hoc intelligendum secundum impossibilitatem absolutam, sed condicionatam, sicut dicimus, quod prædestinatum necesse est salvari secundum necessitatem condicionatam, quæ non tollit libertatem arbitrii, quod solent dicere in sensu composito, non in sensu diviso, unde licet aliquis reprobatus à Deo non possit gratiam adipisci, tamen, quod in hoc peccatum, vel

in illud labatur, ex eius libero arbitrio contingit, unde et merito sibi imputatur in culpa.

Ad 4um dicendum, quod Deus non dicitur indurare aliquos directe, quasi in eis causet malitiam; sed indirecte in quantum scilicet ex his, quę facit in homine intus, vel extra homo sumit occasionē peccati, et hoc ipse Deus permittit, unde non dicitur indurare, quasi immittendo malitiam, sed non apponendo gratiam.

Ad 5um dicendum, quod tam misericordia, quam Iustitia dispositionem voluntatis important, unde sicut miseratio attribuitur divinę voluntati, ita et id, quod est Iustitię, sic ergo intelligendum est, cui vult, miseretur, scilicet per suam misericordiam, et quem vult, indurat per suam Iustitiam; quia illi, quos indurat, hoc merentur, scilicet, ut indurentur ab ipso, ut Ro. 1. dicitur: quem enim vult, indurat, idest Iustè ei non communicat gratiam, et sic intelligitur illud Isaię 63: indurasti cor nostrum, ne timeremus te; et Eccī. 33: ex ipsis benedixit, et exaltavit, et ex ipsis maledixit, et hu-

miliarit; nec obstat, quod dicit Apostolus, quod
Deus vult omnes homines salvos fieri, nam secun-
dum Damascenum, et Doctores communiter hoc in-
telligitur antecedenter, quod non est simpliciter
velle, sed secundum quid; non autem intelligitur
consequenter, quod est simpliciter velle, volun-
tas enim antecedens respicit naturam, et consequens
naturā cum gratia, et merita.

Ad 6tum. dicendum, quod Origenes volens sol-
vere illam objectionem, incidit in errorem, posuit
enim in suo Periarchon 1°. libro de principiis, quia
est sup. Genesim: Deum ab initio solum creaturas
spirituales condidisse, et omnes quidem æquales,
ne ex earū inæqualitate posset secundum rationē
prædictam in 6to. argto. ascribi Deo iniquitas, sed
dicit, quod postea subsecuta est creaturarum diver-
sitas ex diversitate meritorum, nam illarum
creaturarum spiritualium; quædam per amorem
conversæ sunt ad Deum plus, vel minus, et secundū
hoc distincti fuerunt ordines Angelorum; quædā
vero aversæ sunt ā Deo plus, vel minus, et secundū

hoc alligatæ sunt corporibus nobilibus, vel ignobilibus; quædam quidem cælestibus corporibus, quædam autem corporibus Dæmonum; quædam autem corporibus hominum, et secundum hoc Ratio condendi, et distinguendi creaturas corporeas est peccatum spiritualis creaturæ, sed hæc positio est contra id, quod dicitur Gen. I. vidit Deus cuncta, quæ fecerat, et erant valde bona, per quod datur intelligi, quod causa producendi creaturas corporales est bonitas; ut dicit Augustinus II de Civitate Dei; et ideo dicto errore rejecto ad argumentũ dicendũ est, quod Iustitia distributiva locum habet in his, quæ dantur ex debito, puta si aliqui meruerunt mercedem, ut plus laborantibus major merces donetur, non autem habet locum in his, quæ sponte, et misericorditer aliquis dat, puta si quis duos pauperes in via inveniens det uni, quod potest, vel disponit in eleemosinã dare, non est iniquus, sed misericors, similiter si quis duobus eũ, que offendentibus uni dimittat offensam, et non alteri, uni est misericors, et alteri Iustus neutri vautẽ iniquus;

siquidem quum omnes homines propter peccatum

primi parentis damnationi nascantur obnoxii,

quos Deus per suam gratiam liberat, sola mise-

ricordia liberat, et sic quibusdam est misericors,

quos liberat, quibusdam autem iustus, quos non

liberat, neutris autem iniquus.

Sed ad maiorem huius rei explicationem

nota, quod dicit S.tus 1.a q. 23. a. 5. Secundū quod ex

ipsa bonitate divina potest sumi ratio prędesti-

nationis aliquorū, et reprobationis aliorum,

sic enim Deus dicitur omnia propter suam boni-

tatem fecisse, ut in rebus divina bonitas repre-

sentetur, necesse est autem quod divina bonitas,

quę in se est una, et simplex, multiformiter

repręsentetur in rebus, propter hoc, quod

res creatę ad simplicitatē divinā attingere non

possunt, et inde est, quod ad perfectionem univer-

si requiruntur diversi gradus rerū, quarum

quędam altum, quędam infimū locum teneant

in universo, et ut multiformitas graduum con-

servetur in rebus, Deus permittit aliqua mala fieri,

ne multa bona impediantur; sic igitur consi-
deremus totum genus humanum, sicut totam
rerum vniversitatem, voluit igitur Deus in ho-
minibus quantum ad aliquos, quos prędestinat, suā
representare bonitatem per modum misericordię
parcendo, et quantum ad aliquos, quos reprobat per
modum Iustitię puniendo, et hęc est Ratio quare
Deus quosdam eligit, et quosdam reprobat, et
hanc causam assignat Apostolus ad Ro. 9. dicens;
Volens Deus ostendere iram, et vindictam Ius-
titię, et notam facere Potentiam suam, sustinuit,
idest permisit in multa patientia vasa irę apta
in interitum, vt ostenderet divitias Glorię suę
in vasa misericordię, quę pręparavit in Gloriam; et
2 Thim. 2. dicit: in magna domo non solum
sunt vasa aurea, et argentea, sed etiam lignea,
et fictilia, et quędam quidem in honorem, quędā
vero in contumeliam; sed quare hos eligit in
Gloriam, illos autem reprobavit, non habet ra-
tionem, nisi Divinam voluntatem; vnde et
Augustinus dicit sup. Ioan: quare hunc trahat,

et illum non trahat, noli velle diiudicare, si non vis errare, sicut etiam in rebus naturalibus potest assignari ratio, quum prima materia sit uniformis in se quare una pars eius est sub forma ignis, et alia sub forma terre a Deo in principio condita, et est ratio ut sic sit diversitas specierum in rebus naturalibus, sed quare hec pars materie est sub ista forma, et illa sub alia, dependet ex simplici Divina voluntate, sicut ex simplici voluntate artificis dependet, quod hic lapis est in hac parte parietis, et ille in illa, quamvis ratio artis habeat, quod aliqui sint in hac, et aliqui in illa, nec tamen propter hoc est iniquitas apud Deum si inequalia non inequalibus preparat, hoc enim esset contra Iustitie rationem, si predestinationis effectus ex debito redderetur, et non daretur ex gratia; in his enim, que ex gratia dantur, potest quis pro libitu suo dare cui vult plus, vel minus dum modo nulli subtrahat debitum, id est absque preiudicio Iustitie, et hoc est, quod dicit paterfamilias Mathei 20: tolle, quod

tuum est, et vade, an non licet mihi, quod volo facere, an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum.

QVÆSTIO

Super versu: et non sinet percussorem ingredi domos vestras, et lędere Ex.i 12. potest quęri utrum percussiones egiptiacę fuerint factę à Deo, mediantibus bonis, aut mediantibus malis Angelis.

Et videtur, quod mediatibus bonis. Primo, quia eadem ratio videtur de plagis egiptiis illatis, et de plaga subversionis Sodomorum, et Gomorreorum; sed hęc fuit mediante bono Angelo, quod probatur, quia ille Angelus, qui evertit Sodomam, fuit socius boni Angeli, qui liberavit Loth Gen. 19. fuit etiam unus de Angelis sanctis, qui apparuerunt Abrae Gen. 18. unde et Hebrei tenent, quod fuit Gabriel, qui interpretatur fortitudo Dei.

2.o quia boni Angeli sunt administratores Divinę Providentię, et Iustitię, ut patet

Heb. 1° omnes enim sunt administratorii spi-
ritus missi in ministerium propter eos, qui here-
ditatem capiunt salutis; sed in egiptiacis plagis
intendebatur salus populi Dei: ergo earum exe-
cutor fuit bonus Angelus.

3.a Angeli boni ex zelo divinę Iustitię per-
cutiunt malos homines, sicut mali Angeli ex
permissione Dei flagellant bonos, vt patet per
multa exempla sacrę scripturę: ergo mediantibus
bonis Angelis fuit facta egipti flagellatio.

In contrarium sufficit textus proposi-
tus in fronte quęstionis Ex.° 12. vbi de Deo di-
citur, et non sinet percussorem ingredi domos
vestras, et lędere, per quę verba videtur litera
innuere, quod Angelus percussor libenter intrasset,
et percussisset Hębreos, si fuisset permissus à
Deo, et sic videtur, quod fuerit malus Angelus.

Responsio. Dicendum quod nemini debet
esse dubium de Dei potentia in similibus,
quod per vtrosque Angelos, scilicet bonos, et
malos, et etiam sine eis poterat omnes

eiusmodi flagellationes facere; sed quæ per quos fiant ex circumstantiis literæ, quæ per maxime illustrat sententiam conijcere possumus; quod si aliquando Scripturæ auctoritas aut circumstantia defuerit, fiat ratio ipsa veritas sine qua nec humana valet auctoritas.
Igitur quoniam tam boni, quam mali Angeli sunt ministri Iustitiæ Dei, aliquando per bonos Angelos boni, et mali homines flagellantur, sicut patet de Saule Prim. Re. 16. qui iam erat malus, de quo dicitur: spiritus Domini recessit à Saul, et exagitabat eum Spiritus nequam. Item Paulus Apostolus beatissimus à malo Angelo flagellatus est, vt patet 2. Cor. 12. datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Sathanæ, qui me colaphizet; similiter legimus boni, et mali à bono Angelo flagellati; de bonis videtur exemplum 2. Re. 24. de Angelo percutiente Populum, qui tamen Populus erat innocens, quum ibi dicatur, isti, qui oves sunt, quid fecerunt; quod autem iste Angelus esset bonus

patet ex hoc, quod David ædificavit altare in loco Apparitionis illius Angeli, quod non fecisset, si fuisset malus Angelus; quod etiam boni Angeli malos homines Dei iussu percutiant ex subversione Sodomorum patet, et ex exercitu Sennacherib ab Angelo bono, ut videtur percusso 4. Reg. 19. et 2. Paral. 32. Sed de percussione ægipti dicendū videtur salvo meliori Iudicio, quod fuit facta per malum Angelum, quia hoc videtur magis concordare Sacræ Scripturæ; dicitur enim in Psalmo 77: misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, et iram, et tribulationem immissiones per Angelos malos, et certum est, quod scriptura loquitur ibi de percussione ægiptiorum, ut patet per literam præcedentem, et subsequentē.

Ad argumenta vero in contrarium in promptu est responsio ex dictis; nam ad primum dicendū, quod licet utraque percussio ab utroque, id est, à bono, et malo Angelo esse potuit, tamen sacra Scriptura insinuat

magis fuisse bonũ Angelũ, qui Sodomitas punivit, et malum, qui in egiptias plagas immisit, ut in responsione patuit.

Ad 2um dicendũ, quod bene potuerunt infligi plagę egiptiis per bonũ Angelũ, sed quia Psalmista expresse dicit, quod factę sunt eiusmodi immissiones per Angelos malos, ideo ita tenendum est; et per hoc patet responsio ad 3um.

QUÆSTIO.

Super versu: reddet Animam pro Anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore Exo: 21: potest quęri, utrum Iustum sit idem simpliciter, quod contrapassum.

Se Copio esta Quest.n ex Quinterno Pretermissorum.

Et videtur, quod sit idem. Primo quia Iudicium Divinum est simpliciter Iustum; sed hęc est forma Divini Iudicii, ut secundum quod aliquis fecit, patiatur iuxta illud Mathei 7: in quo

iudicio iudicaveritis, iudicabimini, et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis: ergo Iustum est simpliciter idem quod contrapassum.

2.° in utraque Iustitiæ specie datur aliquid alicui secundum quamdam æqualitatem in respectu quidem ad dignitatem personæ in Iustitia distributiva, quæ quidem personæ dignitas maxime videtur attendi secundum opera, quibus aliqui communitati serviunt, in respectu autem ad rem in qua quis damnificatus est in Iustitia comutativa, secundum autem utramque æqualitatem aliquis contrapatitur secundum quod fecit: ergo videtur, quod Iustum simpliciter sit idem, quod contrapassum.

3.° maxime videtur, quod non oportet aliquem contrapati secundum quod fecit propter differentiam voluntarii, et involuntarii; qui enim involuntarie fecit iniuriam, minus punitur; sed voluntarium, et involuntarium, quæ accipiuntur ex parte nostra non diversificant

medium Iustitiæ, quod est medium rei, et non quo ad nos: ergo Iustum simpliciter videtur esse idem, quod contrapassum.

In contrarium est, quod Phūs in 5.° Ethic. probat, non quodlibet Iustum esse contrapassū.

Pro declaratione huius dubii, et totius materiæ 1.° notandum quod secundum Aristotelē 5.° Ethic. duplex est species Iustitiæ; una scilicet, quæ est directiva in distributionibus; alia in cōmutationibus, nam Iustitia particularis ordinatur ad aliquam privatam personam, quæ comparatur ad communitatē, sicut pars ad totum; potest autem ad aliquam partem duplex ordo attendi; unus quidem partis ad partē, cui similis est ordo unius privatæ personæ ad aliam, et hunc ordinem dirigit cōmutativa Iustitia, quæ consistit in his, quæ mutuo sūt inter duas personas ad invicem, alius ordo attēditur totius ad partes, et huic ordini assimilatur ordo eius, quod est commune ad singulas personas, quemquidem ordinem dirigit

Iustitia distributiva, quæ est distributiva communium secundum proportionalitatem.

2.º nota, quod in Iustitia distributiva accipitur medium secundum geometricam proportionalitatem, in comutativa vero secundum arithmetricam, nam in Iustitia distributiva datur aliquid alicui privatæ personæ in quantum id quod est totius est debitum parti, quod quidem tanto est maius, quanto ipsa res maiorem principalitatē habet intoto, et ideo in Iustitia distributiva tanto plus de bonis communibus datur alicui, quanto illa persona habet maiorem principalitatem in comunitate, quæ quidem principalitas in aristocratia communitate attenditur secundū virtutem, in Olicratia secundum divitias, in Democratia secundum libertatem, et in aliis aliter, et ideo in Iustitia distributiva non accipitur mediū secundum æqualitatē rei ad rem, sed secundum proportionem rerū ad personas, ut scilicet sicut una persona excedit

aliam, ita etiam res, quæ datur uni persona excedit rem, quæ datur alii, et ideo dicit Philus. quod tale medium est secundum geometricam proportionalitatem in qua attenditur æquale, non secundum quantitatem, sed secundum proportionem, sicut si dicamus, quod sicut se habent sex ad quatuor, ita se habent tria ad duo, quia utrobique est proportio sexquialtera in qua maius habet totum minus, et mediam partem eius, non autem est æqualis excessus secundum quantitatem, quia sex excedunt quatuor in duobus, tria vero excedunt duo in uno; sed in commutationibus redditur aliquid alicui singulari personæ propter rem eius, quæ accepta est, ut maxime patet in emptione, et venditione in quibus V°. invenitur ratio commutationis, et ideo oportet adequare rem rei, ut quantum hic plus habet, quam suum sit de eo quod est alterius tantumdem restituat ei cuius est, et sic fit æqualitas secundum arithmeticam medietatem, quæ attenditur

secundum parem quantitatis excessum, sicut quinque est mediū inter sex, et quatuor, in unitate enim excedit, et exceditur, si ergo ā principio uterque habeat quinque, et unus eorū accepit unum de eo, quod est alterius, unus scilicet accipiens habebit sex, et alii relin. quentur quatuor, erit ergo Iustitia, si uter. que reducatur ad medium, ut accipiatur unū ab eo, qui habet sex, et detur ei, qui habet quatuor, sic enim uterque habebit quinque, quod est medium. His sic præmissis.

3.º notandum, quod non quodlibet Iustū est contrapassum, ut Aristoteles dicit 5.º ethic. nam contrapassum importat æqualē recompensationē passionis ad actionē præcedentem, quodquidem propriissime intelligitur in passionibus iniuriosis, quibus aliquis personam proximi lædit, putas si percutit, quod percutiatur, et tale Iustū dicitur pena talionis, et est propria materia legis præpositæ Ex.i 21, ubi pena damno correspondet, dicente lege: reddet Animam

pro Animad.ª; et quia etiam auferre rem alterius est quoddam iniustum facere, ideo secundario dicitur etiam in his contrapassum, prout scilicet aliquis, qui damnum intulit, in re sua etiam ipse damnificatur; et hoc etiam iustum damnum continetur in lege Exo.ⁱ 22: si quis furatus fuerit bovem, aut ovem, et occiderit, vel vendiderit, quinque boves pro uno bove restituet, et quatuor oves pro una ove. Tertio vero transfertur nomen contrapassum ad voluntarias commutationes in quibus utrisque est actio, et passio; sed voluntarium diminuit de ratione passionis; in omnibus autem his debet fieri secundum rationem Iustitiæ commutativæ recompensatio secundum æqualitatem, ut scilicet passio recompensata sit æqualis actioni, non autem semper esset æqualis, si idem specie aliquis pateretur, quod fecit, nam primo quidem, quum aliquis iniuriose lædit alterius personam maiorem, maior est actio, quam passio eiusdem speciei, quam ipse pateretur,

et ideo ille qui percutit Principem, non solū
repercutitur, sed multo gravius punitur,
similiter etiā, quum quis aliquem involun-
tarium in re sua damnificat maior est
actio, quā esset passio, si sibi sola res illa
aufferretur, quia ipse, qui damnificat aliū
in re sua nihil damnificaretur, et ideo pu-
nitur in hoc, quod multiplicius restituat, quia
etiā non solū damnificavit personā privatā,
sed rempublicam eius tutelę securitatem
infringendo, similiter etiam nec in cōmuta-
tionibus voluntariis esset semper ęqua-
lis passio, si quis daret rem suā, accipiens
rē alterius, quia forte res alterius est multo
maior, quam sua, et ideo oportet secundum
quamdam proportionatā cōmensurationem
adęquare passionē actioni in cōmutationibus
ad quod inventa sūt nummismata, et sic con-
trapassum est cōmutativū iustum; in distri-
butiva autē Iustitia locū non habet, quia
in ea non attenditur ęqualitas, secundum

proportionē rei ad rem, vel passionis ad actionem, vnde ab Aristotele dictum est contrapassū, sed secundū proportionalitatem rerum ad personas.

Ex prædictis patet, quod est duplex species Iustitiæ vna, scilicet commutativa, et alia distributiva, et quomodo accipiendum sit medium in vtraque, et quomodo regula legis reddet Animā pro Anima, oculū pro oculo &ca intelligitur propriissime in passionibus iniuriosis quibus aliquis personā proximi lædit, vt dictū est, et hoc pertinet ad Iustitiā commutativā, non ad distributivam, nisi per similitudinē; quomodo autē intelligatur pœna talionis dicunt Doctores catolici, sicut et leges civiles, quod intelligitur ad literam talem pœnam, aut tale damnū, pœnā inferenti infligendū quale passo intulit, vnde Aristoteles vocavit illud contrapassū, quia tale malū patitur inferens, quale intulit personę proximi; sed quidam Hæbrei, vt Magister Salomon dicunt,

quod eruenti oculũ alterius non est eruendus

oculus, ut videntur sonare verba legis; sed

pretiũ secundũ taxationẽ Judicũ est sibi

imponendũ, et eodem modo dicit intelligendũ

de aliis lęsionibus, sicut, quum quis percus-

sit mulierẽ prægnantẽ, et abortire eam facit,

quia satisfactio refferetur ad petitionẽ mariti,

et arbitriũ Judicũ, ut Exo.i 20 dicitur; Josephus

tamen tenet medium, scilicet quod est eruendus

oculus eruentis, si excoeculatus ab ipso volu-

erit, sed si mavult habere pecuniã, debet

recipere secundũ taxationẽ Judicũ; et sic

habes intellectum pęnę Talionis in lege taxatę.

Ad argumentũ. 1um. in contrarium

dicendum, quod illa forma Divini Judicii atten-

ditur secundũ rationem commutativę Jus-

titię, prout scilicet recompensat prœmia me-

ritis, et suplicia peccatis.

Ad 2um. dicendum, quod si alicui, qui

communitati servivisset retribueretur aliquid

pro servicio impenso, non esset hoc distributivę

Iustitiæ, sed commutativæ; in distributiva enim Iustitia non attenditur æqualitas ciuis, quod quis accipit ad id, quod ipse impendit, sed ad id, quod alius accipit secundum modum vtriusque personæ.

Ad 3um. dicendum, quod quando actio iniuriosa est voluntaria, excedit iniuriã, et sic accipitur, vt maior res; vnde oportet ei maiorem pœnam recompensari, non secundũ differentiã, quo ad nos, sed secundum differentiam rei. Hæc paucis additis S. Tho. 2.2. q. 64.

QVÆSTIO.

Super versu: insontem et iustum non occides, quia aduersor impiũ Ex. 23: potest quæri vtrum in aliquo casu liceat interficere innocentẽ.

Et videtur, quod liceat. Primo, quia timor diuinus non manifestatur per peccatum, quinimo timor Domini expellit peccatũ, vt dicitur Eccl. 1o; sed Abraam commendatus est, quod timuit Dominũ, quia voluit interficere filiũ suum innocentẽ: ergo potest quis innocentem occidere sine peccato.

2º in genere peccatorū, quæ contra proximū

Cōmittuntur tanto maius videtur aliquod esse peccatum, quanto maius nocumentum infertur ei, in quem peccatur; sed occisio plus nocet peccatori quam innocenti, qui de miseria huius vitæ ad coelestem Gloriā transit per mortem, quum ergo liceat in aliquo casu peccatorem occidere, multo magis licebit occidere innocentem, vel iustum.

3º illud, quod fit secundum ordinem Iustitiæ non est peccatum; sed quandoque cogitur aliquis secundum ordinē Iustitiæ occidere innocentem, puta, quum Iudex, qui debet secundum allegata, et probata iudicare, condemnat ad mortē eum, quem scit innocentē convictum per falsos testes, et similiter minister, qui iniuste condēnatum occidit, obediendo Iudici: ergo absque peccato potest quis occidere innocentem.

4º nam multa iura sunt, quæ aperte videntur tenere, quod Iudex non debet iudicare secundū conscientiā, sed secundū allegata et probata, et sic aliquando licebit ei occidere innocentē sine peccato.

In contrarium est textus Sacræ scripturæ in fronte quæstionis positus; accedit etiam auctoritas Augustini, qui in libro de libero arbitrio dicit, quomodo apud divinam Providentiam a peccato liberi sunt, qui pro his rebus, quas contemni oportet humana cæde polluti sunt, quasi dicat nullo modo; et per res contemnendas intelligit Augustinus omnia illa, quæ homines inviti amittere possunt inter quæ est vita corporalis, et multo fortius quæcumque dignitas temporalis, et potestas iudicandi; unde Iob. 2. cuncta, quæ habet homo, dabit pro Anima sua, id est pro corporali vita tuenda, et ideo si Iudex quantumcumque superior non possit invenire viam liberandi innocentem a morte debet prius dignitatem, et officium iudicandi dimittere, quam Iudicium mortis contra insontem ferre, aliter peccatum non evadet.

Pro responsione ad dubium 1º notandum, quod insontem vocat Dominus innocentem; innocentia autem vera dicitur, quæ nec sibi, nec alteri nocet secundum Augustinum in libro de vera

innocentia, unde innocens exit, qui est liber a peccato propter quod in Iudicio impetitur, quasi per falsos testes convincitur dicit S. Thom. 2.2. q. 64. a. 6. ad 3um. quod si Iudex secrete scit eum innocentem, debet diligentius examinare testes, ut inveniat occasionem liberandi innoxium, sicut fecit Daniel, ut habetur Danielis 13, si autem sic non potest eum liberare, debet eum remittere superiori, si autem hoc non potest, quia non habet superiorem, vel eum cogit Iudicare, non peccat secundum allegata, et probata sententiam ferens, quia ipse non occidit innocentem, sed illi qui eum asserunt nocentem, hec sine alia distinctione est determinatio S. Doctoris, cui etiam consentit non parva turba tam Theologorum, quam canonistarum, et concordat huic sententiae textus in cap. Pastoral. de offi. et potest. dele. in eo quod praeterea mandat ibi ordinario, quod exequatur sententiam delegati etiam, si sciat eam esse iniustam; argumentum quod si praeterea consulit, satis videtur, quod cessat peccatum; concordat etiam huic sententiae Glossa

Magnat. in ca. 1.° de officio ordi. in versu canones, ubi allegantur multa Iura tam Pontificia, quam contraria pro hac parte.

2.° nota, quod circa hanc materiam, quae per ardua est sunt aliae opiniones: 1.a Ostiensis, qui dicit, quod si Iudex habet conscientiam firmam, et indubitatam, puta quia clare constat sibi de contrario eius, quod probatum est, quod non debet tunc deponere conscientiam, nec contra eam iudicare, aut pronunciare; sed debet instare, ut exoneretur ab officio iudicandi, quod si efficere non potest debet interpellare superiorem, sed addit, quod si conscientia Iudicis non est indubitata, sed dubia, vel levitans, aut non omnino de veritate certa, tunc debet eam deponere, si potest, sed si non potest debet contra eam iudicare, etiam si conscientia sit erronea; sed haec opinio sibene eam refert Dominus Abbas in ca.° Pastoral. de officio delegati, et si credo non est mendosus, non potest stare.

Pro cuius veritatis intellectu rectiona

quod super quæstione utrum conscientia erronea

liget, quidam distinxerunt dicentes, quod aut

conscientia errat in his, quæ sunt per se mala,

ut homicidium, vel blasfemia, vel in indifferen-

tibus; dicunt igitur, quod si conscientia errat

in his, quæ per se sunt mala, non ligat, id est

non obligat ad peccatum, si non impleatur, vel

si contra eã agatur, sed etiam si errat in indiffe-

rentibus ligat; sed qui hoc dicunt non videntur

intelligere quid sit conscientiã ligare, secundũ

hoc autẽ dicitur ligare conscientiũ, quod aliquis

nisi conscientiã impleat, peccatũ incurreret, non

autem hoc modo, quod implens recte faciat, alias

consilium obligare diceretur, quia ipsum implens

recte agit; quod autem non implens conscientiũ,

peccatum incurrat patet, quia sicut actio cor-

poralis agentis nunquã inducit necessitatẽ

in rem aliã, nisi per contactũ coactionis ip-

sius ad rem, in qua agit, unde nec ad imperio ali-

cuius Regis, vel Domini, ligatur aliquis, nisi

imperiũ attingat ipsum, cui imperatur; attin-

git autem imperium per scientiam, unde nullus
ligatur per præceptum aliquod, nisi mediante sci-
entia illius præcepti, et ideo ille, qui non est capax
notitiæ, non ligatur præcepto, nec aliquis igno-
rans præceptũ Dei, ligatur ad præceptum faciendũ,
nisi quatenus tenetur scire præceptum, si autẽ
non teneatur scire, nec sciat, nullo modo ex præ-
cepto ligatur; quia sicut in corporalibus, non agit
corporale agens, nisi per contactũ, ita in spiri-
tualibus præceptũ non ligat, nisi per scientiam,
et ideo sicut est eadem vis, qua tactus agit, et
qua virtus agentis agit, quum tactus non agat,
nisi ex virtute agentis, et virtus agentis non
nisi mediante actu, ita eadem virtus est, qua præ-
ceptum ligat, et qua conscientia ligat, quum
præceptum non liget, nisi per virtutem scien-
tiæ, nec scientia, nisi per virtutẽ præcepti; unde
quum conscientia nihil aliud sit, quam apli-
catio notitiæ ad actum, constat, quod scientia
ligare dicitur vi præcepti divini, sed conscien-
tia quantumcumque errans dicit, aliquis

esse præceptum Dei modo sit indifferens modo

per se malum, si contrariũ tali conscientia

manente agere disponat, nam quantum in se est,

ex hoc ipso habet voluntatẽ non observandi legẽ

Dei, unde mortaliter peccat, quamvis talis cons-

cientia, quæ est erronea deponi possit, nihilominus

tamen dum manet obligatoria est, quia transgressor ipsius de necessitate peccatum incurrit,

(diversimode tamen recta conscientia, et erronea

ligat, nam recta ligat simpliciter, et per se, erro-

nea vero secundũ quid, et per accidens; dico

autẽ rectã ligare simpliciter, quia ligat ab-

solute, et in omnem eventum, si enim quis

habeat conscientiã de vitando adulterio non

potest deponere sine peccato, quia in hoc ipso

quod eam deponeret, graviter errando peccaret,

ea autem manente non potest prætermitti in

actu sine peccato, unde absolute, et in omnem even-

tum ligat; sed conscientia erronea non ligat

nisi secundum quid, et sub conditione, ille enĩ

cui conscientia dictat, quod teneatur adfirmi-

candum, non est obligatus, ut fornicationem sine peccato dimittere non possit nisi sub hac conditione, si talis conscientia durat; hoc autem conscientia moveri potest, et absque peccato; unde talis conscientia non obligat in omnem eventum, quia si contingat eius depositio non ligat. Ex quibus patet quod non potest quis contra conscientiam etiam erroneam, ea manente, sine peccato iudicare, ut dicebat Ostiensis.

Confirmatur per illud quod dicitur Ro 13: omne quod non est ex fide peccatum est, etiam si bonum sit in se; sed conscientia, quæ prohibet illud, quod in se est bonum, est erronea: ergo talis ligat; unde Origenes super hoc verbo dicit, vult Apostolus, ut nihil dicam, vel cogitem, nihil agam, nisi secundum conscientiam; Glossa etiam super illud Eccl. 7: scit enim conscientia tua, dicit, qua iudice nemo nocens absolvitur; sed præceptum iudicis obligat: ergo conscientiæ dictamen ligat, et sic nemo sine peccato potest agere

contra conscientiam

2° quia observare legalia post tempus gratiæ revelatæ non erat indifferens, sed per se malum; unde dicitur Gal. 5° si circumcidimini Christus vobis nihil proderit; sed tamen conscientia de circumcisione servanda ligabat, unde ibidem dicitur: testificor autem circumcidenti se quoniam debitor est universæ legis faciendæ: ergo erronea conscientia etiam in per se malis ligat.

3° peccatum principaliter in voluntate consistit, quicumque autem vult transgredi præceptum divinum, habet malam voluntatem non servandi legem: ergo peccat, qui autem secundum erroneam conscientiam, sive in his quæ sunt per se mala, sive in quibuscumque credit id, quod est contrarium suæ conscientiæ esse contra legem Dei: ergo si vult facere contra legem Dei peccat, et ita conscientia quantumcumque erronea obligat ad peccatum.

4° quia secundum Damascenum conscientia est lex intellectus nostri; sed facere contra

legem est peccatum: ergo etiam facere contra conscientiam quocumque modo. Sexto aliquis ex precepto ligatur; sed hoc quod conscientia dictat est preceptum: ergo quantumcumque sit erronea conscientia ligat, et sic non licebit agere contra eam sine peccato; nec stabit opinio oppositiensis. Hę sunt doctrinę S. Thomę in multis locis signanter, veritate q. 17. a. 3. et ar.° 4.° nec facit pro oppositiensi cap. pertulas el 2.° quia plano sensu dicit contrarium sic, sed contra conscientiam ad superiores ordines non ascendat, ne forte edificet ad gehennam, licet ex eo quod conscientiā habuerit scrupulosam in difficultatē huiusmodi sit colapsus quam utique non evadet, nisi deponat errorē, ubi aperte dicit Innocentius 3.us quod conscientia etiam errorea, nisi deponatur ligat; nec etiam facit pro eo capitulum literas de resti.e spo. ubi dicitur, quoniam omne, quod non est ex fide peccatum est, et quicquid fit contra conscientiam, edificat ad gehennam, et quę sequuntur.

Sed alii dicunt, quod agens contra cons-

cientiã peccat, si scit, vt privatus; et pro intellec-
tu huius dicunt, quod vnus homo potest habere tri-
plicem scientiam; vnã vt Deus, sicut quum sa-
cerdos habuit aliquid in confessione, vt in ca°. si
sacerdos de offi. ord.; Aliam vt Iudex, scilicet quia
aliquid sibi constat, vt Iudici, scilicet per acta
publica; Tertiam, vt privata persona; dicunt
igitur, quod si Iudex per allegata, et probata sciat
aliquid etiam, si vt Deus, vel vt homo sciat con-
trarium, vel habeat conscientiam contrariam,
debet iudicare, vt Iudex, et non vt Deus, nec vt homo,
quia fungitur officio publico, et sic non iudicat,
vt Deus, aut persona privata, nec debet trepi-
dare timore, vbi non est timor; sed hæc sententia
satis superque paulo ante impugnata est, vnde
absque assertionis, et sententiæ melioris præiudi-
cio videtur mihi tenendum, quod nunquam
Iudex debet iudicare contra conscientiã, et hoc
liquido patet in c°. quum æterni tribunal. de sñia
et re. iudicata. l. 6. in §. si quis autem verbo
contra conscientiam, et in clem.a 1a. § velũ et 2 vbi

in actu iudicandi textus ponderat conscientiam privatam Iudicis; nec obstat quod dicitur Iudicem peccare contineudo a prolatione sententiæ, quando habet conscientiam in contrarium, quia non exequitur officium suum, nam hoc haberet verum quando ex negligentia, vel timore, vel alia humana ratione cessaret, secus quando ex iusta causa differt, nec tenetur obedire superiori contra conscientiā, quia maior est conscientia, quæ obligat sub ratione præcepti, et vi Dei, vt diximus est, et ideo potius est patienter ferenda pœna ā superiore imposita, et perditio vitæ, et per consequens aliorū temporaliū, vt supra dictum est ex sententia Augustini, quam contra conscientiā agendum.

Nec tamen placet, vt aliqui voluerunt, quod Iudex possit absolvere reum contra acta secundū conscientiam, quia hoc esset confundere totum ius positivum, et suscitaret sibi Iudex Iustam materiam scandali, et calumniæ, non enim debet credi Iudici, si dicat se habere conscientiam alicuius facti in præiudicium alterius partis; sed aliqui di-

tinguunt in hoc casu, quia aut Judex habet conscientiam contra Reum, aut pro Reo, si contra Reum non debet aliquo modo eum condemnare secundum conscientiam, sed eum absolvere secundum acta, quia non habet Judicare secundũ conscientiã, quã habet, ut privatus, et absolvendo eum ab accusatione non facit contra conscientiã, quia non pronunciat eum innocentẽ. exemplũ: accusatur Titius de homicidio, testes non probant, sed Judex, ut privatus scit, quod homicidium commisit, in hoc casu non debet eum condemnare, nec pronunciare innocentem contra conscientiã, sed eũ absolvere, et pro hoc membro optime facit capitulum si sacerdos de offi.º ordi; sed si habeat conscientiam pro reo, ut quia probatur commisisse homicidiũ, et Judex scit, quod non commisit, dicunt, quod Judex non potest eũ condemnare, nec causam delegare, nec remittere ad superiorem, si vehementer suspicetur, quod ex tali remissione talis innocens condemnaretur, sed debet supersedere, nisi credat, quod superior

eum damnabit, quo cum debet eum absolvere, sed hoc ultimum verbum non placet, quia ut dictum est esset confidere totum Ius, et scandalum, et calumniam in se concitaret, et ideo recurrendum est ad alia remedia saniora.

Ex dictis satis constat, quod Iudex habens conscientiam de innocentia alicuius, non potest sine peccato eum condemnare, et hoc mihi in maiori parte constituto videtur, licet Iuniori ob auctoritatem tenentium contrarium aliquando aliud visum est. Et pro hac conclusione facit textus Deuteronom. 17. venies ad sacerdotem Levitici generis, et ad Iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui iudicabunt tibi Iudicii veritatem, sed quandoque aliqua proponuntur contra veritatem, sicut quum aliquid per falsos testes probatur: ergo non licet Iudicii Iudicare secundum ea, quæ proponuntur, et probantur contra veritatem, quam ipse novit. Item homo in iudicando debet conformari Divino Iudicio, quantum potest, quia Dei iudicium est, ut dicitur De-

verum. 1°, sed Dei Iudicium est secundum ve-
ritatē Rō. 2. et Isa. 11 prędicitur de Christo,
non secundum visionem oculorum iudicabit,
nec secundum auditum aurium arguet, sed iudi-
cabit in Iustitia pauperes, et arguet in ęquitate
pro mansuetis terrę: ergo Iudex non debet secundū
ea, quę coram ipso probantur sententiā ferre
contra ea, quę ipse novit. Prętereà idcirco in
Iudiciis probationes requiruntur, ut Fides
fiat Iudici de rei veritate, unde in his quę
sunt notoria, non requiritur iudicialis ordo
secundū illud 1.ª Thim. 5: quorundā hominum
peccata manifesta sunt precedentia ad Iudiciū:
si ergo Iudex per se cognoscit veritatē non debet
contra eā sententiā ferre, maximè, quia nomē
conscientię importat applicationem scientię
ad aliquid agibile, ut dictū est; sed facere contra
conscientiā est peccatum: ergo Iudex peccat,
si ferat sententiam secundum allegata, sive-
mant contra conscientiam veritatis, quam
scit, et hoc videtur voluisse dicere textus

Ex.ⁱ 23: nec in iudicio plurimorũ acquiesces sententiæ, ut à vero devies.

Ad 1um. argumentum in contrarium dicendum, quod Deus habet dominiũ mortis, et vitæ, eius enim ordinatione moriuntur, et peccatores, et iusti, et ideo ille, qui mandato Dei occidit innocentẽ non peccat, sicut nec Deus, cuius est executor, et ostenditur Deum timere eius mandatis obediens; sed dura valde res videtur, quod quis sciat aliquẽ innocentẽ, cui causa est allegata, et probata esse falsa, et sciam si Iudicis auctoritate, et persona fungatur, condemnet innocentẽ, nisi p[ræ]cepto Dei res agatur prius videntur subeunda cuncta discrimina.

Ad 2um. dicendum, quod in pensanda gravitate peccati magis est considerandum id, quod est per se, quam id, quod est per accidens, unde ille, qui occidit iustum gravius peccat, quam ille, qui occidit peccatorẽ; primoquidem, quia nocet ei, quem plus debet diligere, et ita magis agit contra charitatem; secundo, quia iniuriã

inferat ei, qui minus eã meretur, et ita ma-
gis contra Iustitiam agit; tertio, quia pri-
vat com̃unitatẽ maiori bono; quarto, quia ma-
gis Deum contemnit iuxta illud Lu. 10: qui
vos spernit, me spernit, quod autem Iustus
occisus ad gloriam evolet per accidens se habet
ad occisionem.

Ad 3um satis copiose responsum est,
Iudex enim, qui scit aliquẽ innocentem esse,
sed falsis testibus convictũ, debet diligentius
examinare testes, ut inveniat occasionem
liberandi innoxium, sicut Daniel fecit, si autẽ
hoc diligentia non potest habere intentum, de-
bet eum remittere ad superiorem, si autem hoc
non ei valet, debet supersedere, et Dei subsidiũ
expectare, et nunquam contra conscientiam
iudicare; ministri autẽ Iudicis condemnãtis
innocentem, si sententia intollerabilem
errorem contineat, non debent ei obedire, alias
excusarentur carnifices, qui martires occi-
derunt, si vero non contineat manifestam

iniustitiam, non peccant, exequendo præceptum Iudicis, quia non tenentur discutere superioris sententiam, nec ipsi occidunt innocentem, sed Iudex, cui ministerium adhibent.

Ad 1um. dicendum, quod textus in cap.o Pastorali de officio delegati non facit contra prædicta, nam illa sententia de qua ibidem prætera loquitur, et de qua dicit, quod licet statim cum iniustam Ordinarius eam executioni mandet, tenuit, et transivit in rem Iudicatam, vt dicit Glosa, et ideo voluit prætera, quod executioni mandaretur, vt esset finis litium; nec lex illicitas. §. veritas ff. de officio Præsidis, quæ ad hoc propositum solet allegari facit pro parte contraria, sed potius pro nostra, dicit enim, quod veritas rerum erroribus gestorum non viciatur, et ideo Præses Provinciæ id sequatur, quod convenit cum sequi ex Fide eorum, quæ probantur, quia — id quod primo dicit, intelligitur, quod non debet veritas rerum per errorem gestorum viciari, et quod addit de Fide eorum,

quę probantur, aperte insinuat, intelligendũ

esse de veris probationibus, quod sane colligitur

ex illa dictione illativa, et ideo, quę infert ex

precedenti veram veritas, nos autem loquimur,

quando Iudex scit, quod veritas est in contra-

rium, licet enim in communiter accidentĩ

bus iudicandum sit secundum allegata, et

probata, nullo tamen iure cautum est, imo

Divino Iure prohibitum, ut ex superioribus

constat, quod quis iudicet contra agnitam

veritatẽ, et maxime ad effusionẽ sanguinis

inoxii, unde Hierem. 7. dicitur: si advenę, et pu-

pillo, et viduę non feceritis calumniam,

nec sanguinem innocentẽ effuderitis &a.

Ad sententiam Ambrosii sup. Psal: be-

ati immaculati, quod ponitur in Decreto 3.

q. 7. c. iudicet, dicendum, quod si bene inspiciatur,

pro nobis facit, nam in quantum dicit, et bene,

quod bonus Iudex nihil ex arbitrio suo facit,

sed iuxta leges, et Iura pronunciat statutis Iu-

ris obtemperat, non indulget proprię voluntati

non concludit bene, et indubitate informatam

conscientiam de certa veritate contra quā

non possunt esse vera allegata, et probata, et

ideo adimit ei licentiam arbitrandi pro libitu,

et subiicit eū statutis Iuris, vt secundum ea

iudicet exploratā veritatē, sed non dicit, quod

in aliquo casu possit condemnare innocentē

contra verā conscientiā de eius innocentia,

et quia Glosa in dicto capº allegat Iura pro

vtraque parte, licet propensior videatur in

illam opinionem, quod licet Iudici secundū

allegata, aliquando condemnare innocentē,

tamen non claudit ostium tenentibus con-

trarium, quorum non exigua turba est:

igitur vtraque pars potest sustentari, mihi

tamen ea quam legisti, placet.

QVÆSTIO.

Super versu; quid tibi fecit hic

Populus, vt induceres super eum

peccatum maximum Exoᵈ. 32.

potest quæri, vtrum idolatria

sit gravissimum peccatorum.

Et videtur quod non. Primo, quia pessimũ oponitur optimo, ut dicitur 8. Ethic; sed cultus interior, qui consistit in Fide, spe, et charitate est melior, quam cultus exterior: ergo infidelitas, desperatio, et odium Dei, quę oponuntur cultui interiori sunt graviora peccata, quam idolatria, quę oponitur cultui exteriori.

2.° tanto aliquod peccatum est gravius, quanto est magis contra Deum; sed directius aliquis videtur contra Deum agere blasfemando, vel Fidẽ impugnando, quam Dei cultũ alii exhibendo, quod pertinet ad idolatriam: ergo blasfemia, vel impugnatio Fidei est gravius peccatũ, quam idolatria.

3.° minora mala maioribus malis puniri videntur; sed peccatum idolatrię punitum est peccato contra naturã, ut patet Ro. 1.°: ergo peccatum contra naturam est gravius peccato idolatrię, et ita idolatria non est maximum.

4.° Augustinus dicit 20 contra Faustum; nec vos, scilicet Manicheos Paganos dicimus, aut scisma

Paganorum, sed cum eis habere quamdā simili-
tudinē eo, quod multos colant deas, verū in hoc esse
cū longè deteriores, quod illi ea colunt, quę sunt, sed
pro diis colenda non sunt, vos autem ea colitis, quę om-
nino non sunt: ergo vitium hereticę pravitatis
est gravius, quam idolatria.

5.º super illud ad Gal. 4: quomodo convertimi-
mini iterum ad infirma, et egena elementa,
dicit Glosa Hieronimi, legis observantia, cui dediti
tunc erant, erat peccatum penè par servituti
idolorum cui ante conversionem vacaverant:
non ergo peccatum idolatrię est gravissimum.

6.º Aaron fabricavit vitulum, et ędifi-
cavit ei altare, et diem crastinam ei solemnem
instituit, in qua obtulit Populus vitulo holocausta,
et hostias pacificas, quod proculdubio est idola-
trare, sed non videtur excusandus Aaron, quasi
sibi eorum non fuerit particeps: ergo idolatravit,
sed ut dicit Poeta: nemo repente fit turpissimus:
ergo videtur, quod idolatria non sit gravissimū
peccatorum.

In contrarium est textus, quodi in fronte quæstionis ponitur, et Glosa Levit. 15 super illud, quod dicitur de immunditia mulieris patientis fluxum sanguinis dicit: omne peccatum est immunditia Animæ, sed maxime idolatria.

Pro declaratione huius materiæ 1°. est notandum quod ad superstitionē Ydolatriæ pertinet excedere debitum modum Divini cultus, quod quidem præcipue fit, quando cultus Divinus exibetur, cui non debet exiberi, debet autem exiberi soli vero, et summo Deo, scilicet increato, et ideo cuicumque creaturæ Divinus cultus exhibeatur superstitiosum, et damnabile est; huiusmodi autem cultus divinus sicut creaturæ ā sensibilibus exhibebatur per aliqua sensibilia signa, puta sacrificia, laudes, et alia huiusmodi, ita etiam ē converso exhibebatur creaturæ repræsentatæ per aliquā sensibilē formam, seu figurā, quæ idolum dicitur. Diversimode tamen cultus divinus his idolis exhibebatur, quidam enim per quandā nephariā artē imagines quasdam constituebant, quæ virtute Dæmonū

aliquos certos effectus habebant, vnde putabant in ipsis imaginibus esse aliquid divinitatis, et per consequens, quod divinus cultus eis deberetur; et hęc fuit opinio Hermetis Trimegisti, vt dicit Augustinus 8. civitate Dei.

Alii vero non exhibebant cultum divinitatis ipsis imaginibus, sed creaturis, quarũ erant imagines, et vtrumque horum tangit Apostolus Ro. 1; nam quantum ad 1um. dicit: mutaverunt gloriã incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentum; quantum autem ad 2um. subdit: coluerunt, et servierunt potius creaturę, quam Creatori; Horum tamen fuit triplex opinio, quidam enim estimabant quosdã homines Deos fuisse, quos per eorum imagines colebant, sicut Jovem, Mercuriũ, Martem, et alios eiusmodi

Quidam vero estimabant totum Mundum esse vnum Deum non propter corporalem substantiã, sed propter Animã quam Deum esse

credebant, dicentes: Deum nihil aliud esse, quam Animã motu, et ratione Mundum gubernãtem, sicut homo dicitur sapiens propter Animam non propter corpus, unde putabant toti Mundo, et omnibus partibus eius esse cultum Divinitatis exhibendum Caelo, Aeri, Aquę, et omnibus huiusmodi partibus, et ad hoc refferebãt nomina, et imagines suorũ Deorum, sicut dicebat Varro, et narrat Augustinus 7. Civit. Dei; quam etiã opinionẽ recitavit Virgilius 6°. Eneydos dicens:

„ Principio coelũ, ac terras camposque liquentes

„ Lucentemque globum Lunę titaniaque astra

„ Spiritus intus alit totãque infusa per artus

„ Mens agitat molẽ, et magno se corpore miscet.

et secundũ hanc opinionẽ puto exponendos illos versus:

„ Si Deus est animus, ut nobis carmina dicunt

„ Hic tibi pręcipue sit pura mente colendus

ut velit dicere, si animus totius corporeę molis est Deus, ut carmina Poetarum, vel Poetę in carminibus dicunt, sicut per dictos Virgilii versus patet, hic, scilicet Deus pręcipue sit tibi pura mente colendus.

Alii vero scilicet Platonici posuerūt unum esse Summum Deum causam omnium post quam causam ponebant esse quasdā substantias spirituales ā summo Deo creatas, quas Deos nominabant participatione scilicet divinitatis, nos autem eas Angelos dicimus, Post quos ponebant Animas coelestium corporum, et sub his Dæmones, quos dicebāt esse aereas quędam animalia, et sub his ponebāt Animas hominum, quas per virtutis meritum ad Deorum, vel Dæmonū societatem assumi credebant, et his omnibus divinitatis cultum exhibebant, ut narrat Augustinus 8. Civit. Dei; has autem duas ultimas opiniones dicebat pertinere ad Phisicam Theologiā: quam Philosophi considerabant in Mundo, et docebant in scolis; aliam vero de cultu hominum dicebant pertinere ad fabularē Theologiam, quę secundum figmenta Poetarum repręsentabantur in theatris; aliam vero opinionem de imaginibus dicebant pertinere ad civilē Theologiam, quę per Pontifices celebrabatur in templis; omnia autem hęc ad superstitionem

idolatriæ pertinebant, unde Augustinus in 2° de Doctrina Christiana dicit: superstitiosum est quicquid institutum ab hominibus circa facienda, et colenda idola, vel pertinens ad colendum creaturam partemve ullam creaturæ sicut Deum.

2° notandum quod circa peccatum idolatriæ fuit duplex error, primus quorundam, qui putaverunt, quod offerre sacrificium, et alia ad latriam pertinentia non solum summo Deo, sed etiam aliis dictis in præcenti notabili esset debitum, et per se bonũ, eo quod cuilibet superiori naturæ divinã reverentiã exhibendam putant, quasi Deo propinquiori, sed hoc irrationabiliter dicitur, nam et si omnes superiores revereri debeamus, non tamen omnibus debetur eadẽ reverentia, sed summo Deo debetur aliquid speciale, qui singulari ratione omnes excedit, et hoc est latriæ cultus, qui servitutẽ soli vero Deo debitam significat. Nec potest dici, sicut quidam putaverunt, hæc visibilia sacrificia diis aliis congruere, illi vero summo Deo tanquã meliori alia meliora, scilicet puræ mentis officia, quia ut Augustinus

dicit 10 Civit. Dei, exteriora sacrificia ita sunt signa interiorum, sicut verba sonantia sunt signa rerum, quocirca sicut orantes, atque laudantes ad Deum dirigimus significantes voces, cui tamen res ipsas in corde, quas significamus offerimus, ita sacrificantes non alteri visibile sacrificium offerendum esse noverimus, quam ei cujus in cordibus nostris invisibile sacrificium nos ipsi esse debemus.

Alii vero estimaverunt latrie cultum exteriorem non esse idolis exhibendum tanquam per se bonum, aut oportunum, sed tanquam vulgari consuetudini consonum, ut refert Augustinus 6. Civit. Dei, ubi introducit Senecam dicentem: sic inquit adorabimus, ut et meminerimus hujusmodi cultum magis ad morem, quam ad rem pertinere; et in libro de vera Religione Augustinus dicit non esse Religionem à Philosophis querendam, qui eadem sacra recipiebant cum Populis, et de suorum Deorum natura, ac summo bono diversas, contrariasque sententias in scholis personabant, quem etiam errorem secuti sunt quidam heretici asserentes, non esse periculosum, si

quis persecutionis tempore deprehensus exterius idola colat, dum tamen Fidem in mente servet; sed hoc apparet manifeste falsum, nam quum exterior cultus sit signum interioris cultus, sicut est perniciosum mendacium, si quis verbis asserat contrarium est, quod per veram Fidē tenet in corde, ita etiam est perniciosa falsitas, si quis exteriorem cultum exhibeat alicui contra id, quod sentit in mente; unde Augustinus 6. de Ci. Dei dicit contra Senecam, quod eo damnabilius colebat idola quo illa quę mendaciter agebat sic agebat, ut cum Populo veraciter agere estimaretur; unde de tali adoratione loquitur textus Exo.̄ 20 dicens: non adorabis ea, scilicet exterius, nec coles, scilicet interius, ut Glosa exponit, et loquitur de scultilibus, et imaginibus, unde relinquitur esse peccatum interiorē, vel exteriorem, vel utrumque cultum idolis exhibere; hic error plenius confutabitur A. Rēg. S.

3.º notandum, quod gravitas alicuius peccati potest attendi dupliciter; uno modo ex parte ipsius peccati, et sic peccatum idolatrię est gravissimum,

sicut enim in terrena republica gravissimum esse videtur, quod aliquis honorem Regium alteri impendat, quam vero Regi, quia quantum in se est totū Reipublicę perturbat ordinem, ita in peccatis, quę contra Deum committuntur, quę tamen maxima sunt, gravissimum esse videtur, quod aliquis honorem Divinum creaturę impendat, quia quantum in se est facit aliū Deum in Mundo minuens principatum Divinum; Alio modo potest attendi gravitas peccati ex parte ipsius peccantis, sicut dicitur gravius peccatum eius, qui peccat sciente, quam eius, qui peccat ignoranter, et secundum hoc nihil prohibet gravius peccare Hereticos, qui scienter corrumpūt Fidem, quam acceperunt, quam Idolatras ignorantes peccantes; et similiter etiam aliqua alia peccata possunt esse maiora propter maiorem contemptū peccantis.

Ad argumenta in contrarium dicendum, primo ad primum, quod Idolatria presupponit interiorem infidelitatem, et adiicit exterius indebitū cultum, si vero sit exterior tantum Idolatria absque

interiori infidelitate additur culpæ falsitas.

Ad 2um. dicendum, quod Idolatria includit magnam blasfemiam, quia Deo subtrahitur Do-minii singularitas, et Idolatria impugnat Fidem opere.

Ad 3um. dicendum, quod quia de ratione pœnæ est quod sit contra voluntatē peccatum per quod aliud punitur, oportet esse magis mani-festum, ut ex hoc homo sibi ipsi, et aliis detesta-bilis reddatur, non autē oportet, quod sit gravius; et secundum hoc peccatū, quod est contra naturā minus peccatum est, quā Idolatriæ; sed quia est manifestius per ipsū punitur, quasi sit conve-niens pœna peccati Idolatriæ, ut scilicet sicut homo per Idolatriam pervertit ordinē Divini honoris, ita per peccatum contra naturā propriæ naturæ confusibilē perversitatem patiatur.

Ad 4um. dicendum, quod heresis Maniche-orū etiā quantū ad genus peccati gravior est, quā peccatū aliorum Idolatrarū, quia magis de-rogatur Divino honori ponendo duos Deos contrarios,

et multa vana fabulosa de Deo fingentes, secus autē de aliis hereticis, qui unū Deum confitentur, et solum eū colunt.

Ad 5um. dicendum, quod observatio legis tempore gratię non est omnino ęqualis Idolatrię secundū genus peccati, sed pęnę ęqualis, quia utrumque est species pestiferę superstitionis.

Ad 6um. dicendum, quod Aaron solet notari hoc in loco de multis notis, primo de pusillanimitate spiritus, nimirum, quia etiā, si Propheta esset, et colloquia Dei persępe audivit tamen quia plenitudo temporū nondum advenerat, et Spiritus Sancti robur hominū corda, nec impleverat, nec illuminaverat, aut confirmaverat, non est mirandū, si furorē Populli timuit, nec tamen in hoc venit ā peccato, et langore excusandus; caeterū, quod uxorum filiorū, ac filiarum inaures aureas ad conflandū ex eis vitulū petiit, quę res aditum, et licentiā cupientibus idolatrare pręstitit admodum culpabile fuit, regula enim Juris est, qui causam damni dat, damnū quoque fecisse videtur et

magni Pauli Ro. 1. digni sunt morte non solum,
qui faciunt talia, sed qui conventiunt facientibus.
Item non excusatur a peccato, quod non solum
non resistit usque ad mortem, ut debuit, sed quod
Populo morem gerendo furorem eius approbaverit;
error, enim cui non resistitur, approbatur, in
in ca. error 83 dist; praeterea quod cum a Populo
inaures accepisset, formavit, aut depinxit vitulum
conflatilem, et ex eis eum fecit, quod altare aedifi-
cavit coram eo, et voce praeconia exclamari
fecerit solemnem idoli dedicationem in crastinum,
et quod eo permittente, aut forte cooperante ma-
ne obtulerint holocausta, et hostias pacificas;
denique quod Moisi mentitus fuerit dicens; pro-
ieci aurum in ignem, egressusque est hic vitulus;
quia tamen haec peccata gravia non commisit, nec
permisit ex corde, sed ductus timore mortis, quam
ab eis inferendam timuisse insinuat, cum in sua
excusatione Moisi dicit: tu nosti Populum istum, quod
pronus sit ad malum, qui timor licet procul dubio alleviet
peccatum, et excuset a tanto, non tamen excusat a toto,

et ideirco non fuit punitus tunc morte cum aliis transgressoribus; sed dicit S. Thom. in 4 dist. 46. q. 2. ar.° 2. q.^la 2. ad 3um, quod Aaron fuit punitus, quamvis non pena manifesta, sicut et Populus in signũ, quod Prelati non debent puniri manifeste, sed oculte propter scandalũ vitandũ, pena autẽ Aaron dicitur fuisse in ipso, et filiis eius, quando in sacrificio vitulę rufę immundi efficiebantur, ut habetur Num. 19; Augustinus tamen in Glosa Ex. 32 hoc oculto Dei iudicio ascribitur, qui quibusdã parcit ad tempus, ut in melius commutentur aliis punitis; potuit etiã redimi peccatum eius precibus Moisi fratris eius valde Deo accepti, et hoc insinuat ipse Deuteron. 9. dicens: adversũ Aaron quoque vehementer iratus voluit eũ conterere, et pro illo similiter deprecatus sum; multum enim valet deprecatio Iusti assidua, ut habetur.

Ad Postremũ, qui dicit, quod nemo repente fit turpissimus, dicendũ, quod Aaron non fuit factus turpissimus, quia non ex corde, sed timore mortis illa fecit. Hęc pro magna parte S.^{ti} Thom. 22 q. 94.

QVÆSTIO.

Super verbum: aut si non facis dele me de libro tuo, quem scripsisti Exo. 32. potest quæri, utrum aliquis deleatur de libro vitæ.

Et videtur quod non. Primo quia dicit Augustinus 20 civit. Dei, quod præscientia Dei, quæ non potest falli, liber vitæ est; sed a præscientia Dei non potest aliquid subtrahi, similiter nec a prædestinatione: ergo nec de libro vitæ potest aliquid deleri.

2.° quicquid est in aliquo est in eo per modum eius in quo est; sed liber vitæ est quid æternum, et immutabile: ergo quicquid est in eo est in eo non temporaliter, sed immobiliter, et indelibiliter.

3.° deletio scripturæ opponitur; sed nemo potest de novo scribi in libro vitæ: ergo nec inde potest deleri.

In contrarium est textus in fronte quæstionis positus, non enim dixisset Moises: dele me de libro tuo, nisi potuisset deleri. Item in Psalmo dicitur: deleantur de libro viventium.

Pro responsione. Primo notandum, quod hic

sunt tres modi dicendi; primus est Domini Burgensis, qui ex dicto S. Thomæ 1. p. q. 24. a. 1. ad 1um accipit tria membra distinctionis de libro vitæ, quibus addit 4um dicens: liber vitæ potest dici tripliciter, sicut et liber militiæ; primo enim modo potest dici liber vitæ conscriptio eorũ, qui sunt electi ad vitam æternã, sicut liber militiæ potest dici in quo scribuntur electi ad militiã; secundo modo potest dici liber vitæ in quo scribuntur ea, quæ ducunt ad vitam æternam, sicut liber militiæ potest dici in quo traditur ars militaris, quomodo vetus, et novum testamentũ dicitur liber vitæ prout in Glosa super illud Eccl. 24: hæc omnia liber vitæ sunt; tertio modo potest dici liber vitæ illa vis divina, qua fiet, ut cuilibet in memoria reducantur facta sua, sicut liber militiæ dici potest in quo recitantur facta militũ, quo modo intelligitur illud Danielis 7: libri aperti sunt; quarto etiam modo dicitur liber vitæ, liber Iustorũ, ut 2. Reg. 1, in quo libro facta exemplaria Iustorum, vel sanctorum intelliguntur scribi ad memoriam futuram, unde applicat ad propositũ

dicens, quod licet à libro vitę primo, vel tertio modo dicto Moises non petivisset deleri, petivit tamē deleri à libro vitę secundo, et quarto modo intellecto; petebat enim Moises, quod lex non denominaretur nomine suo, et etiam quod gesta sua in eductione Populi Aegipto, et aliis similibus in memoriam non reducerentur, quandoquidem Populus propter quē laboraverat, erat perpetuo condemnatus; quod autē dicitur in Psalmo 68: deleantur de libro viventium &c.ª intelligit de libro vitę primo modo intellecto, eo quod in li.º sic intellecto dicuntur scribi aliqui secundū quid, ut latius declarabitur, et sic secundū hanc expositionē non petiit Moises aliquid impossibile, nec contra charitatem, ut patet consideranti; et quia talis deletio à libro vitę secundo, et quarto modo acapto videtur habere rationē pęnę, ideo respondit Dominus: qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo, quasi dicat, tu qui non peccasti, non debes deleri. Hęc ille.

2.º notandum, quod hic modus exponendi, quibusdam non placet; tum, quia dicit Augustinus:

Securus hoc dixit Moises, ut à consequentibus ratiocinatio concludatur, idest, ut quia Deus non deleret eum de libro suo, Populo illud peccatu͂ remitteret &c.ª unde patet librum vitę accipi primo modo, et non secundo, et quarto; tum etiam, quia parva fuisset iactura Moisi deleri de libro vitę 2.º et 4.º modo dicto, quum multi sanctissimi, et Deo acceptissimi non sint scripti in tali libro, quia nec in Sacra scriptura, nec in libro vitę Sanctoru͂, et ideo dicendu͂ cum S.to Thoma 1. p. q. 24. a. 3. in responsione, quod quidam dicunt, quod de libro vitę nullus potest deleri secundum rei veritate͂, potest tamen aliquis deleri secundu͂ secundu͂ opinione͂ hominu͂; est enim consuetum in scripturis, ut aliquid dicatur fieri, quando innotescit, et secundum hoc aliqui dicuntur esse scripti in libro vitę in quantu͂ homines opinantur, eos ibi scriptos propter pręsente͂ Iustitiam, qua͂ in eis vident; sed quando apparet, vel in hoc saeculo, vel in futuro, quod ab hac Iustitia exciderint, dicuntur inde deleri, et sic etiam in Glosa

exponitur deletio talis super illud Psalmi: deleantur de libro viventium.

Sed quia non delere de libro vitę ponitur inter pręmia victorum secundum illud Apoc. 3: qui vicerit sic vestietur vestimentis albis, et non delebo nomen eius de libro vitę, quod autem sanctis repromittitur non est solum in hominum opinione potest dici, quod delere, vel non delere de libro vitę, non solum ad opinionem hominum referendum est, sed etiam quantum ad rem; est enim liber vitę conscriptio ordinatorum in vitam ęternam, ad quam ordinatur aliquis ex duobus, scilicet ex prędestinatione divina, et hęc ordinatio nunquam defficit, et ex gratia; quicumque enim gratiam habet ex hoc ipso est dignus vita ęterna, et hęc ordinatio defficit interdum, quia aliqui ordinati sunt ex gratia habita ad habendum vitam ęternam, a qua tamen defficiunt per peccatum mortale; illi igitur, qui sunt ordinati ad habendum vitam ęternam ex prędestinatione divina sunt simpliciter scripti in libro vitę, quia sunt scripti

vt habituri vitam æternam in se ipsa, et ta-
les nunquam delentur de libro vitæ; sed illi, qui sunt
ordinati ad habendũ vitã æternã non ex prædestina-
tione Divina, sed solũ ex gratia dicuntur esse scrip-
ti in libro vitæ, non simpliciter, sed secundum quid,
quia sunt ibi scripti, vt habituri vitam æternã
non in se ipsa, sed in sua causa, et tales possunt
deleri de libro vitæ, vt deletio non refferatur ad noti-
tiam Dei, quasi Deus, quid præsciat, et postea nes-
ciat, sed ad rẽ scitam, quia scilicet Deus scit aliquẽ
prius ordinari in vitã æternã, et postea non ordi-
nari, quum defficit à gratia, et ideo tales dicuntur
scripti secundum quid, scilicet non secundum
Divinã Prædestinationẽ, seu ordinationem,
sed secundũ dispositionẽ in eis actu existentẽ,
scilicet secundũ præsentẽ Iustitiã, quia ex exis-
tentes in gratia ex hoc sunt digni vita æter-
na, et ad eam ordinati secundũ dispositionem,
quæ actu est in ipsis, sed dicuntur deleri, quando
cadunt à gratia, quæ deletio non refertur ad
Divinã noticiã, ita quod aliquid ignoret, quod

prius no verat, sed ad mutationē de gratia ad culpā in hominibus existentem.

Tertius modus exponendi est Magistri Nicolai, qui primo quærit quomodo Moises potuit petere deleri de libro Dei, nisi Dominus remitteret peccatū Populi, quia si accipiatur scribi simpliciter in illo libro impossibilis est deletio, ut dictum est, super impossibile autem non cadit appetitus, nec per consequens petitio; non enim ignorabat Moises talē impossibilitatē, si autē accipiatur scribi secundum quid, deletio est ei apposita per hoc quod aliquis per peccatum mortale cadit ā gratia, et sic Moises, qui erat sanctus, elegisset Deū offendere per peccatū mortale, nisi mortale peccatū remitteret Populo, quod est inconveniens, quia est contra charitatē, et eius ordinem. Et ideo dicunt aliqui, quod Moises hoc dixit ex impetu passionis non ex deliberatione rationis, sed hoc non videtur convenienter dictū; sequeretur enim quod Moises accessisset ad colloquiū Dei passione turbatus ubi, et quando

mentis tranquilitas permaxime necessaria erat. Et ideo aliter dicit Augustinus, scilicet quod Moises hoc dixit ex confidentia, et familiaritate Divina, ut sit sensus, sicut sum certus, quod non delebis me de libro tuo, ita peto, ut certiorē me facias, quod dimittas noxam istā Populo; quia tamen hec expositio videtur aliquantulū extranea ā littera potest aliter dici, scilicet quod verbum Moisi fuit rationis proponētis dispositionē partis inferioris Animę, licet non esset ita in voluntate sequente rationem superiorē; sicut Salvator petivit transferri calicē Passionis ab eo, vel simpliciter vellet pati; unde, et Moises volens ostendere magnū affectū ad remissionē peccati Populi dixit: aut dele me &c.ª licet simpliciter nullomodo vellet deleri; quo etiā modo contigit in humanis, quū quis petit aliquid ab alio cum magno affectu dicit, aut fac hoc, vel auffert mihi vitā, licet magis vellet carere, non solum re quā petit, sed etiam multis aliis, quam vita, et id audet, quia scit

573

non implendũ, et ad ostendendũ excessiuum affectus ad impetrandũ, quod petit; et tali modo loquendi, qui dicitur iperbolicus vtitur frequenter Sacra Scriptura; nec est ibi falsitas, quia talibus locutionibus vtitur non ad significandũ illud, quod per orationẽ significatur, quantũ ad plenũ significatũ, sicut Iudicũ 20 dicitur de filiis Beniamin, quod fundis ita ad certũ iaciebant locũ, vt capillum possent percutere, et nequaquã in alterã partem ictus lapidis defferretur per quod intelligitur, quod erant eximii fundibularii

3.º notandum, quod similis modus loquendi est ille, quẽ meminit Apostolus Ro. 9. dicens: optabam ego ipse anathema esse à Christo; vbi primo est sciendũ, quod anathema est græcum, et compositum ab ana, quod est sursum, et thesis, quod est positio, vt dicatur Anathema, quasi sursũ positũ, quia scilicet quum capiebatur aliquid in præda, quod nolebat esse in vsu hominũ, suspendebant illud in Templo, et inolevit huc usque, vt ea, quæ sunt separata ab hominũ vsu anathema vocentur;

Unde Josue 6 dicitur: sit civitas hęc anathema, et omnia, quę in ea sunt Domino; unde Gregorius etiã dicit, quod anathema significat aliquid alienatum, vel separatum; dicit ergo optabam ego ipse anathema esse ã Christo, id est, separatus ab eo, quod quidẽ fit dupliciter; uno modo per culpam per quam aliquis ã charitate Christi separatur, eius pręceptũ non servans Joa. 14: si diligitis me, mandata mea servate, et sic, qui mandata eius non servat, separatur ab eius amore; sic autẽ Apostolus non poterat optare esse anathema, id est, separari ã Christo pro quacumque causa, dicit enim Rõ. 8: quis nos separabit ã charitate Christi &c.; est enim hoc contra ordinẽ charitatis, quo quis tenetur Deum super omnia diligere, et salutẽ suã plus quam aliorũ, et ideo non dicit secundũ aliquos opto, sed optabam, scilicet tempore infidelitatis; sed secundũ hoc nihil magnũ dicit Apostolus, quia tunc etiam propter se volebat esse separatus ã Christo; unde quędam Glosa exponit, quod dicit tristitia magna est mihi, de tristitia, qua dolebat de pręterito

statu peccati in quo à Christo voluerat esse separatus.

Alio modo poterat aliquis esse separatus à Christo, id est à fruitione Christi, quæ habetur in Gloria; sic autẽ separari à Christo volebat Apostolus pro salute Gentiliũ, nedum pro conversione Judæorum secundũ illud Philipẽ. 1: desideriũ habens dissolvi, et esse cum Christo, multo melius permanere in carne necessariũ propter vos, et hoc modo dicebat: Optabam, scilicet si fieri posset anathema esse, idest, separatus à Gloria, vel simpliciter, vel ad tempus propter honorẽ Christi, qui est ex conversione Judæorũ secundũ illud Proverb. 14: in multitudine Populi dignitas Regis; unde Chrisostomus in libro de compunctione cordis, ita totã mentẽ eius devicit amor, ut etiam eo quod præ ceteris omnibus amabilius erat esse cum Christo, rursum id ipsũ, quia ita placeret Christo contemneret; sed et Coelorũ regna, quod videbatur laboris esse remuneratio pro Christo millibus [illegible] cedere pateretur, et in eodem libro iterũ dicit, non sic Paulus, cui prædistinatio coelestiũ

Regni omnia hęc sustineret, et sperneret tantum
igni charitatis erga proximū inerat, ut non solū
proximū sicut se secundū divinū preceptum, sed plus
quam se diligeret, quod tamen quia incredibile fore pro-
perexit cum quadam id protestatione signavit dicens:
veritatē dico in Christo, non mentior testimonium
mihi reddente conscientia mea in Spiritu Sancto, quo-
niam tristitia est mihi magna, et continuus dolor
cordi meo, optabam enim ipse anathema fieri
ā Christo &.ª Et 3º. li. de Providentia idem Chri-
sostomus dicit super eodem verbo optabam anathe-
ma esse ā Christo pro fratribus meis cognatis meis
secundū carnē, qui sunt Israelitę, id est, optabilius
mihi erat in gehennā incidere, quā Israelitas
infideles, ac incredulos videre, hoc enim est optabā
anathema esse ā Christo, is autē, qui eligebat ge-
hennę cruciatum, ut Judęos omnes ad Fidem posset
inducere liquet profecto, quod non potitus voti
sui gravius afficiebatur, quam hi, qui in gehenna
cruciantur, quandoquidem hoc potius, quam illud
cupiebat. Et Sanctus Athanasius super epistola

ad Ro. c.o 9. super dictis verbis sic dicit: est sane ana-
thema seiunctio quędam, et alienatio; sed etiam
anathema gręce potest dici latine oblatio, vel sa-
crificium, unde sicut, quę Deo offeruntur, vel di-
cantur, nemo contractat, sic cum eo, qui anathe-
mati est obstrictus, nemo conversabitur; ait ergo
Apostolus optabam anathema esse a Christo &c.
quia enim quidam temerarii notabant Dominum,
quod Iudeos ex quibus, et secundum carnem, et quo-
rum promissiones &c.a posthabuerat, et gentes suffe-
cerat se eis opponit Paulus dolens de detractoribus,
et pro Dei Gloria tuenda, ac eorum maledicta per-
culsus optat se anathema fieri dum modo detrac-
tores huiusmodi salutem assequerentur, et abole-
rentur eorum in Deum convicia, ex Dei enim arden-
tissima Charitate cupiebat se se, vel coetu sanc-
torum, qui Deo assistunt sepositum iri, et ęter-
nę Glorię illius fruitione, non tamen a Dei amore
seiungi, perinde enim ita faciunt parentes, qui
se dulcissimo filiorum comercio abdicant, ut eis
Gloriam, et divitias quęrant, pristinam semper eorum

in corde charitatem retinentes, unde videtur velle dicere, quod ob Gloriam Dei à Dei Gloria optabat separari, idest, à fruitione ad tempus, quod sane intellectum non ei Gloriã tollit, sed potius auget. Hæc ille. Huia vero sententia Pauli valde similis est sententiæ Moisi, et ambo legis Dei promulgatores respective, et ambo, ut ignitum fervum Dei, et proximi charitate flagrabant, Deumque, qui est charitas per essentiam in hoc saeculo viderant, minirũ non fuere contenti diligere, sicut se proximum iuxta Dei præceptũ, sed ex ingenti ardore plusquã se, aut supra se dilectionem expresserunt. Ex dictis satis superque patet intellectus dictarũ propositionum, quæ à valde similibus, Propheta, et Apostolo pro simili casu, et restauratione ex vehementissimo amore sui Populi, et desiderio salutis eius pronunciatæ sunt.

Ex quibus constat responsio ad argumenta in contrariũ. Ad primum ergo dicendum, quod deletio, ut dictum est, non refertur ad librum vitæ ex parte præscientiæ, quasi in Deo sit aliqua mutabilitas; sed

ex parte præscitorum, quæ sunt mutabilia.

Ad 2um. dicendum, quod licet res in Deo sint immutabiliter, tamen in scripta sunt mutabiles, et ad hoc pertinet deletio libri vitæ.

Ad 3um. dicendum quod eo modo quo aliqui dicitur deleri de libro vitæ, potest dici, quod ibi scribatur de novo, vel secundum opinionem hominum, vel secundum quod de novo incipit habere ordinem ad vitam æternam, per gratiam, quod etiam sub Divina noticia comprehenditur, licet non de novo.

Quæstio.

Circa primum capitulum Levitici potest quæri, utrum possit assignari conveniens ratio cerimoniarum, quæ pertinebant ad sacrificia veteris legis.

Et videtur quod non. Primo, quia ea, quæ in sacrificium offerebantur sunt illa, quæ sunt necessaria ad sustentandam humanam vitam, sicut animalia quædam, et quidam panes; sed Deus tali sustentamento non indiget secundum illud Psalmi: nunquid manducabo carnes taurorum,

aut sanguinē hircorū potabo: ergo inconvenienter huiusmodi sacrificia Deo offerebantur.

2º. in sacrificium Divinū non offerebatur nisi de tribus generibus animalium quadrupedum, scilicet de genere boum, ovium, et caprarum, et de avibus cōmuniter quidem turtur, et columba, specialiter autē in emundatione leprosi fiebat sacrificiū de passeribus; multa autē animalia alia sunt his nobiliora, quum igitur omne, quod est optimum sit Deo offerendum videtur, quod non solū de istis rebus fuerint Deo sacrificia offerenda.

3º. sicut homo ā Deo habet Dominium volatiliū, et bestiarum, ita etiā piscium: inconvenienter igitur pisces ā Divino sacrificio excluduntur.

4º. turtures, et columbę indifferenter offerri mandabantur: igitur sicut mandabantur offerri pulli columbarū, ita debuit mandari, ut offerrentur pulli turturum.

5º. Deus est auctor vitę non solum hominum, sed etiam Animalium, ut patet per id quod dicitur

5º. 1º. mors autem opponitur vitae: non ergo debuerunt Deo offerri animalia occisa, sed magis animalia viventia, praecipue, quia etiã Apostolus monet Rõ. 12. ut exhibeamus corpora nostra hostiam viventẽ sanctã Deo placentẽ.

6º. si animalia Deo in sacrificiũ non offerebantur, nisi occisa, nulla videretur esse differentia qualiter occidãtur: inconvenienter igitur determinatur modus immolationis praecipue in avibus, ut patet Levit. 1º.

7º. Omnis deffectus animalis est via ad corruptionẽ, et mortẽ; si igitur animalia occisa Deo offerebantur, inconveniens fuit prohiberi oblationẽ animalis imperfecti, puta claudi, aut caeci, aut aliter maculati.

8º. illi, qui offerunt hostias Deo, debent de eis participare iuxta illud 1ª. Cor. 10: nonne, qui edunt hostias participes sunt altaris: inconvenienter igitur quędã partes hostiarũ offerentibus subtrahebantur, scilicet sanguis, et adeps pectusculum et armus dexter.

9°. sicut holocausta offerebantur in honorem Dei, ita etiā hostiæ pacificæ, et hostiæ pro peccato; sed nullum animal feminini sexus offerebatur Deo in holocaustum, fiebat tamen holocausta tam de quadrupedibus, quam de avibus: ergo inconvenienter in hostiis pacificis, et pro peccato offerebantur animalia feminini sexus, et tamen in hostiis pacificis non offerebantur aves.

10°. omnes hostiæ pacificæ unius generis esse videntur: non ergo debuit poni hæc differentia, quod quorumdā pacificorū carnes non possent vesci in crastino, quorumdā autē possent, ut mandatur Levit. 7.

11°. Omnia peccata in hoc conveniunt, quod à Deo avertunt: ergo pro omnibus peccatis in Dei reconciliationē unū genus sacrificii debuit offerri.

12°. Omnia animalia, quæ offerebantur in sacrificiū uno modo offerebantur, scilicet occisa: non ergo videtur conveniens, quod de terra nascentibus diversimode fiebat oblatio; nunc enim offe-

rebantur spicę; nunc simila; nunc panis; quandoque quidem coctus in clibano; quandoque in sartagine; quandoque in craticula.

13.° omnia, quę in usum nostrum veniūt, ā Deo recognoscere debemus: inconvenienter ergo prętera animalia solū hęc Deo offerebantur, panis, vinum, oleum, thus, et sal.

14.° sacrificia corporalia exprimunt interius sacrificiū cordis, quo homo spiritū suum offert Deo; sed.^m interiori sacrificio plus est de dulcedine, quam repręsentat mel, quā de mordicitate, quam repręsentat sal; dicitur. enim Eccl.^i 24: spiritus meus super mel dulcis: ergo inconvenienter prohibebatur in sacrificio apponi mel, et fermentum, quod etiam facit panem sapidum, et pręcipiebatur ibi apponi sal, quod est mordicativum, et thus, quod habet saporē amarum; videtur ergo, quod ea, quę pertinent ad ceremonias sacrificiorum, non habeant rationabilē causam.

Sed contra est, quod dicitur Levit. 1.°

oblata omnia adolebit sacerdos super altare
in holocaustũ, et odorem suavissimũ Domino;
sed sicut dicitur Sapient. 7: neminem diligit Deus,
nisi qui cum sapientia inhabitat, ex quo potest
accipi, quod quicquid est Deo acceptum est cũ
sapientia: ergo illæ cerimoniæ sacrificiorum cum
sapientia erant, vel ut haberent rationabiles causas.

Pro responsione ad quæstionẽ V.° notandum,
quod necesse est sumere rationẽ eorum, quæ
sunt ad finem ex ipso fine; finis autem præ-
ceptorum cerimonialium est duplex, ordina-
bantur enim ad cultum Dei pro tempore
illo, et ad figurandũ Christũ, sicut etiam ver-
ba Prophetarũ sic respiciebant præsens tempus,
quod etiam in figuram futuri dicebantur,
ut dicit Hieronimus super Osee; sic igitur
rationes præceptorum cerimonialiũ veteris
legis dupliciter accipi possunt; uno modo ex
ratione cultus Divini, qui erat pro tempore
illo observandus, et rationes illæ sunt litera-
les, sive pertineant ad vitandũ idolatriæ cultũ,

sive ad rememorandũ aliqua Dei beneficia, sive ad insinuandũ excellentiã Divinam, vel etiam ad designandũ dispositionẽ mentis, quæ tunc requirebatur in colentibus Deum; alio modo possunt eorum rationes assignari secundũ quod ordinãtur ad figurandũ Christum, et sic habent rationes figurales, et misticas, sive accipiantur ex ipso Christo, et Ecclesia, quod pertinet ad alegoriã, sive ad mores Populi Christiani, quod pertinet ad moralitatẽ, sive ad statũ futuræ Gloriæ prout in eam introducuntur per Christum, quod pertinet ad anagogiam.

2.º notandum quod ex utraque parte, scilicet literali, et figurativa potest assignari conveniens causa ceremoniarũ, quæ ad sacrificia pertinebãt, secundũ enim quod sacrificia ordinabantur ad cultum Dei; causa sacrificiorũ dupliciter accipi potest; uno modo secundum quod per sacrificia repræsentabatur ordinatio mentis in Deum ad quam excitabatur sacrificium offerens; ad rectam autẽ

ordinationem mentis in Deum pertinet, quod omnia, quę homo habet, recognoscat à Deo tamquam à primo principio, et ordinet in Deum tanquam in ultimum finem, et hoc repræsentabatur in orationibus, et sacrificiis secundum quod homo ex rebus suis, quasi in recognitionem, quod haberet ea à Deo in honorem Dei ea offerebat, iuxta id quod dixit David 1. Paral. 29: tua sunt omnia, et quę de manu tua accepimus, dedimus tibi, et ideo in oblationibus sacrificiorum protestabatur homo, quod Deus esset primum principium creationis rerum, et ultimus finis adquē essent omnia refferenda, et quia pertinet ad rectam ordinationē mentis in Deum, ut mens humana non recognoscat alium primum actorē rerum, nisi solū Deum, nec in aliquo alio finē suum constituat, propter quod prohibebatur in lege offerre sacrificium alicui alteri, nisi Deo, iuxta illud Ex.i 22: qui immolat Diis, occidatur, præter Domino soli; et ideo de causa cerimoniarū circa sacrificia potest assignari ratio

alio modo ex hoc quod per huiusmodi retrahebantur homines à sacrificiis Idolorum, unde etiam præcepta de sacrificiis non fuerunt data Populo Judæorū, nisi postquam declinavit ad idolatriam adorando vitulum conflatilē, quasi huiusmodi sacrificia sint instituta, ut Populus ad sacrificandū promptus huiusmodi sacrificia Deo potius, quam Idolis offerret, unde dicitur Jerem. 7: non sum locutus cum patribus vestris, et non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Egipti de verbo holocaustomatum, et victimarum. Inter omnia autem dona, quæ Deus humano Generi iam lapso per peccatum dedit, præcipuum est, quod dedit filium suum, unde dicitur Joa. 3: sic Deus dilexit Mundum, ut Filium suum Unigenitum daret, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam, et ideo potissimum sacrificium est, quo ipse Christus se ipsū obtulit Deo in odorē suavitatis, ut dicitur Ephes. 5.° et propter hoc omnia alia sacrificia offerebantur in veteri lege

ut hoc unum singulare, et præcipuum sacrificium figuraretur tanquam perfectum per imperfecta, unde Apostolus dicit ad Heb. 10, quod sacerdos veteris legis eadem sæpe offerebat hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata; Christus autem pro peccatis obtulit unam in sempiternum, et quia ex figurato sumitur ratio figuræ, ideo ratio sacrificiorum figuralium veteris legis est sumenda ex vero sacrificio Christi.

3.° notandum, quod homo ordinatur ad Deum per debitum latriæ cultum, qui cultus principaliter consistit in actu interiori mentis secundum quod dicit Augustinus in Enchiridion: Fide, spe, charitate colitur Deus; secundario consistit in quibusdam actibus exterioribus, qui sunt quædam protestationes interioris cultus, quæ fieri debebant in recognitionem Fidei, et dilectionis ad Deum; huiusmodi vero sacrificia in veteri lege fuerunt multa triplici ratione; prima est, quia fuerunt instituta ad revocandum Iudæos ab Idolatria ad quam proniebant,

et ideo rationabiliter fuerunt multitudine sa-
crificiorũ onerati, vt non vacaret eis immolare
Idolis, et propter eandem rationẽ, scilicet, vt ab
idolatria elongarentur, fuerunt eis imposita
sacrificia alia ã sacrificiis idolorum, et frequen-
ter contraria, vt patet in processu libri Levitici;
Secunda est quia fuerunt instituta, vt Iudęi in cultu
vnius Dei exercerentur, et per tale frequens exercitiũ
habitus in eis generaretur, quo delectabiliter Dei
cultum operarentur, et coram Deo gratię se aptarent,
et eius gloriã gratiã, et operibus mediantibus conse-
querentur; Tertia ratio quia, vt dictum est, sa-
crificia veteris legis fuere figura vnius veri,
ac perfectissimi sacrificii novę legis, scilicet Dñi
Christi in ara Crucis immolati; illud autem
quod perfectissimum est per vnũ vel pauca im-
perfecta non potest sufficienter repraesentari, vn-
de sicut perfectio Divina vnica existens in per-
fectionibus creaturarũ variis et multipliciter repraesẽtatur,
sic decens fuit, vt sacrificium nostrũ perfectissimũ
per multa, et varia sacrificia veteris legis figu-

raretur, quia illa erant imperfecta secundum illud Apostoli Heb. 7. nihil ad perfectum adduxit lex.

4.º notandum, quod licet vera sint, quę in notabilibus paulo ante dicta sunt, scilicet quod sacrificia veteris legis principaliter figurabant sacrificium Christi perfectissimum, et ideirco fuerunt multa, tamen secundario tanta sacrificiorum multitudo, et sub tot modis significandi potest intelligi fuisse figurantia multitudinis sacrificiorum Martirum, qui ingenti amore Christi, et in suę Fidei testimonium multipliciter sanguinem suum fuderunt, ita tamen, quod sacrificia illa, quę per totam multitudinem offerebantur, vt Agnus Paschalis, et iuge sacrificium, vel huiusmodi ad ipsum sacrificium Christi solum refferantur, cuius meritum ad totum genus humanum redimendum fuit sufficiens; sacrificia vero particularia, quę pro quibusdam singularibus personis offerebantur non se extendentia ad totius Populi expiationem refferuntur ad figuranda sacrificia Martirum, quorum merita

non attingunt sufficientiã universalis expiationis; unde in ratione figurali multitudinis sacrificiorũ veteris legis, sicut Christus principaliter figuratur caput, sic etiam membra, sicut status perfectorum figuratur in holocaustis, et status proficientium in hostiis pacificis; et iactis his fundamentis respondetur ad argumenta.

Ad primum ergo dicendum, quod Deus non volebat huiusmodi sacrificia sibi offerri propter ipsas res, quę offerebantur, quasi ipsis indigeret; unde dicit Isaię 1: holocausta arietum, et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum, et hircorum, et agnorũ nolui, sed volebat ea sibi offerri, ut dictum est ad excludendam idolatriam, et ad significandum debitum ordinem mentis humanę in Deum, tum etiam ad significandum misteriũ Redemptionis humanę per Christum factę.

Ad 2um. dicendum, quod quantũ ad omnia prędicta Ratio conveniens fuit, quare ista animalia offerebantur Deo in sacrificiũ, et non alia, primo quidem ad excludendũ Idolatriam, quia omnia

alia animalia offerebant idolatræ Diis suis, vel
vtebantur eis ad maleficia; ista autem animalia
apud Ægiptios cum quibus erant conversati, erat
abominabilia ad occidendum, vnde ea non offerebāt
Diis suis; vnde Exo. 8. dicitur: abominationes Idolorū
immolabimus Domino Deo nostro: oves enim
colebant, hircos venerabantur, quia in eorum figu-
ra Dæmones apparebant, bobus etiam vtebātur
ad agriculturam, quam inter res sacras habe-
bant. Secundo hoc conveniens erat ad prædictam
ordinationē mentis in Deum, et hoc dupliciter
p.o quidem quia huiusmodi animalia maxime
sunt per quæ sustentatur humana vita, et cum
hoc mundissima sunt, et mundissimum habēt
nutrimentum; alia vero animalia, vel sunt sil-
vestria, et non sunt communiter hominū vsui de-
putata, vel si sunt domestica, immundū habēt
nutrimentū, vt porcus, et gallina; solum autem
id quod est purum Deo est attribuendū, huius-
modi autē aves specialiter offerebantur, quia
habebantur in copia in terra Promissionis;

Secundo, quia per immolationem huiusmodi animalium puritas mentis designatur, quia ut dicitur in Glosa Levit. 1º vitulum offerimus, quum carnis superbiam vincimus, Agnum quum irrationabiles motus corrigimus, hedum quum lasciviam superamus, turturem quum castitatem servamus, panes azimos quum in azimis sinceritatis epulamur; in columba vero manifestum est, quod significatur charitas, et simplicitas mentis; Tertio vero conveniens fuit haec animalia offerri in figuram Christi, quia ut in eadem Glosa dicitur, Christus in vitulo offertur propter virtutem crucis, in agno propter innocentiam, in ariete propter principatum, in hirco propter similitudinem carnis peccati, in turture, et columba duarum naturarum coniunctio monstrabatur, vel in turture castitas in columba charitas significatur, in similagine aspersio credentium per aquam Baptismi figurabatur.

Ad 3um. dicendum, quod pisces, qui in aqua vivunt magis sunt alieni ab homine, quam

cetera animalia, quae vivunt in aere, sicut et homo, et utrum[que] pisces ex aquis extracti statim moriuntur, unde non poterant in templo offerri, sicut et cetera animalia.

Ad 2um dicendum, quod in turturibus meliores sunt maiores, quam pulli, in columbis autem e converso, et ideo ut Raby Moises dicit, mandantur offerri turtures, et pulli columbaru[m], quia omne, quod est optimum Deo exhibendu[m].

Ad 3um dicendum, quod animalia in sacrificium oblata occidebantur, quia veniunt in usum hominis occisa secundum quod a Deo dantur homini ad usum, et ideo etiam igni cremabantur, quia per ignem decocta fiunt apta humano usui; similiter etiam per occisionem animaliu[m], significatur destructio peccatoris, et quod homines erant digni occisione pro peccatis suis, ac si illa animalia loco eoru[m] occiderentur ad significandum expiatione[m] peccatorum; per occisione[m] etiam huiusmodi animaliu[m] significabatur occisio Christi.

Ad 6um dicendum, quod specialis modus occidendi animalia immolanda determinabatur in lege ad excludendum alios modos, quibus idolatræ animalia Idolis immolabant. Vel etiam ut Raby Moises dicit, lex elegit genus occisionis quo animalia minus affligebantur in occisione per quod etiam excludebatur crudelitas offerentiũ, et deterioratio animaliũ occisorũ.

Ad 7um dicendum, quod quia animalia maculosa solent haberi contemptui prohibitum est, ne Deo in sacrificiũ offerrentur, propter quod etiam prohibitum erat, ne mercedem prostibuli, aut pretiũ canis in domum Dei offerrent, et eadem etiam ratione non offerebant animalia ante septimum diem, quia talia animalia erant, quasi abortiva nondum plene consistentia propter teneritudinem.

Ad 8um dicendum, quod triplex erat sacrificiorum genus; quoddam erat, quod totum comburebatur, et hoc dicebatur holocaustum, quasi totum incensum, huiusmodi enim sacrificium

offerebatur Deo specialiter ad reverentiam
ipsius maiestatis, et amorem bonitatis eius,
et conveniebat perfectioni status in impletione
consiliorũ, et ideo totum comburebatur, ut sicut totũ
animal resolutum in vaporem sursum ascende-
bat, ita etiam significaret totum hominem, et
omnia, quę ipsius sunt Dei dominio esse subiecta,
et ei esse offerenda; aliud autẽ erat sacrificium
pro peccato, quod offerebatur Deo ex necessitate
remissionis peccati, et conveniebat statui poeni-
tentium in satisfactione peccatorum, quod divide-
batur in duas partes, nam una eius pars com-
burebatur, alia vero cedebat in usum sacerdotũ,
ad significandum, quod expiatio peccatorum fit
ã Deo per ministerium sacerdotum, nisi quando
offerebatur sacrificiũ pro peccato totius Populi;
vel specialiter pro peccato sacerdotis, tunc enim
totũ comburebatur, non enim debebant venire
in usum sacerdotum ea, quę pro peccato eorũ
offerebantur, ut nihil peccati in eis remaneret,
et quia hoc non esset satisfactio pro peccato;

si enim cederet in usum eorũ pro quorum pec-
catis offerebatur, idem esset videretur, ac si non
offerretur; Tertium sacrificiũ vocabatur ho-
stia pacifica, quæ offerebatur Deo pro gratiarũ acti-
one, vel pro salute, et prosperitate offerentiũ ex de-
bito beneficii, vel accipiendi, vel accepti, et proficit
statui proficientiũ in impletione mandatorum,
et ista dividebantur in tres partes, nam una
pars incendebatur ad honorẽ Dei, alia cedebat
in usum sacerdotum, tertia vero in usum
offerentium ad significandum, quod salus ho-
minis procedit à Deo dirigentibus ministris
Dei, et cooperantibus ipsis hominibus, qui
salvantur; hoc autem generaliter observabatur,
quod sanguis, et adeps non veniebant, nec in usũ
sacerdotum, nec in usum offerentium, sed san-
guis offerebatur ad expediẽ altaris in honorẽ
Dei, adeps vero adurebatur in igne, cuius ratio
una quidem fuit, ad excludendum idolatriam, ido-
latræ enim libabant de sanguine victimarum, et
comedebant adipes secundum illud Deuteron. 32: de

quorum victimis comedebant adipes, et bibebant vinum libaminum, secunda ratio est ad informationẽ humanę vitę, prohibebatur enim eis usus sanguinis ad hoc, quod horrerent humani sanguinis effusionẽ, unde dicitur Gen. 9. carnem cum sanguine non comedetis, sanguinem enim Animarum vestrarum requiram; esus vero adipum prohibebatur eis ad vitandum lasciviã, unde dicitur Ezechi. 34: quod crassum erat occidebatis; Tertia vero ratio est propter reverentiã divinã, quia sanguis est maxime necessarius ad vitam, qua ratione dicitur Anima esse in sanguine; adeps autẽ habundantiã nutrimenti designat, et ideo, ut ostenderetur, quod a Deo nobis est, et vita, et omnium bonorũ sufficientia ad honorem Dei effundebatur sanguis, et adurebatur adeps; Quarta ratio est, quia per hoc figurabatur effusio sanguinis Christi, et pinguedo charitatis eius per quam se obtulit Deo pro nobis; de hostiis autẽ pacificis in usũ Sacerdotis cedebat pectusculum, et armus dexter ad excludendũ

quandam divinationis speciem, quæ vocatur spatulamantia, quia scilicet in spatulis animalium immolatorum divinabant, et similiter in osse pectoris, et ideo hæc offerentibus subtrahebantur; per hoc etiam significabatur, quod sacerdoti erat necessaria sapientia cordis ad instruendum Populum, quod significabatur per pectus, quod est tegumentum cordis, et etiam fortitudo ad sustentandum defectus; quæ fortitudo significatur per armum dextrum.

Ad 9um. dicendum, quod quia holocaustū erat perfectissimum inter sacrificia, ideo non offerebatur in holocaustum, nisi masculus, nā femina est animal imperfectū; oblatio autem turturum, et columbarum erat propter paupertatem offerentium, quia maiora animalia offerre non poterat, et quia hostiæ pacificæ gratis offerebantur, et nullus eas offerre cogebatur, nisi spontaneus, ideo huiusmodi aves non offerebantur inter hostias pacificas, sed inter holocausta, et hostias pro peccato, quas quandoque oportebat offerre,

aves etiam huiusmodi propter altitudinẽ volatus congruunt perfectioni holocaustorum, et etiam hostiis pro peccato, quia habent gemitum pro cantu.

Ad 10um dicendum, quod inter omnia sacrificia, holocaustum erat præcipuum, quia totum comburebatur in honorẽ Dei, et nihil ex eo comedebatur. Secundum vero locum in sanctitate tenebat hostia pro peccato, quæ comedebatur in atrio solum à sacerdotibus in ipsa Diẽ sacrificiũ. Tertiũ vero gradum tenebant hostiæ pacificæ pro gratiarum actione, quæ comedebantur ipsa die, sed ubique in Hierusalem. Quantum vero locum tenebant hostiæ pacificæ ex voto quarũ carnes poterant etiam in crastino comedi, et est ratio huius ordinis, quia maxime homo obligatur Deo propter eius Maiestatem, secundo propter offensam cõmissam, tertio propter beneficia iam suscepta, Quarto propter beneficia sperata.

Ad 11m dicendum, quod peccata aggravantur ex statu peccantiũ, et ideo alia hostia mandabatur offerri pro peccato sacerdotis, et Principis,

vel alterius privatæ personæ; est autem atten-
dendum, ut Rabymoises dicit, quod quanto gravius
erat peccatum, tanto vilior species animalis offe-
rebatur pro eo, unde capra, quæ est vilissimũ
animal offerebatur pro idolatria, quod est gra-
vissimum peccatum, pro ignorantia vero sa-
cerdotis offerebatur vitulus, pro negligentia autẽ
Principis hircus.

Ad 12.^m dicendum quod lex in sacrificiis voluit pro-
videre paupertati offerentium, ut qui non posset
habere animal quadrupes, offerret avem, quã
qui habere non posset, saltem offerret panem,
et si hunc habere non posset, saltem offerret fa-
rinam, vel spicas; causa vero figuralis est
quia panis significat Christum, qui est panis
vivus, ut dicitur Jo. 6; qui quidem erat sicut in
spica pro statu legis naturæ in fide patrũ, erat
autem sicut simila in doctrina legis Prophetarũ,
erat autẽ sicut panis formatus post humani-
tatẽ assumptam, coctus igne, id est formatus
Spiritu Sancto in clibano uteri virginalis, quietiã

fuit coctus in sartagine per laborem, quos in Lauro sustinebat, in cruce vero, quasi in craticula adustus.

Ad 13m. dicendum, quod ea, quæ in usum hominum veniunt de terræ nascentibus, vel sunt in cibum, et de his offerebatur vinum, vel sunt in condimentum, et de his offerebatur oleum, et sal; vel sunt in medicamentum, et de his offerebatur thus, quod est aromaticum, et consolidativũ; per panem autẽ figurabatur caro Christi, per vinum autem sanguis ejus per quem redempti sumus, oleum figurat gratiam Christi, sal scientiã, thus orationem.

Ad 14m. dicendum quod mel non offerebatur in sacrificiis Dei; tum quia consueverat offerri in sacrificiis Idolorum; tum etiã ad excludendum omnẽ carnalẽ libidinẽ, et voluptatem ab his, qui Deo sacrificare intendunt; fermentum vero non offerebatur ad excludendum corruptionem, et forte etiam in sacrificiis Idolorum solebat offerri; sal autẽ offerebatur, quia impedit

corruptionem putredinis, sacrificia autem Dei debent esse incorrupta, et etiam, quia in sale significabatur discretio sapientiæ, vel etiam mortificatio carnis; thus autem offerebatur Deo ad designandum devotionẽ mentis, quæ est necessaria offerentibus, et etiam ad designandum odorem bonæ famæ, nam thus pingue est, et odoriferum, et quia sacrificium Zelotipiæ non procedebat ex devotione, sed magis ex suspitione, ideo in eo non offerebatur thus. Hæc pro maiore parte ponit S. Thomas 1.2. q.102. a.3.

QVÆSTIO.

Super versu: diliges amicum tuum sicut te ipsũ, ubi translatio 70 habet proximũ tuum Levitici 19. sicut et Mathæi 22. Dominus etiam exposuit: potest quæri utrũ convenienter detur præceptum de dilectione proximi.

Et videtur quod non. Primo, quia dilectio charitatis ad omnes homines extenditur etiam ad

inimicos, vt patet Matthæi 5.º sed nomen proximi importat quamdã propinquitatem, quæ non videtur haberi ad omnes homines: ergo videtur, quod inconvenienter detur hoc præceptũ.

2.º nam secundum Philũm. 9. Ethic, amicabilia, quæ sunt ad alterum venerunt ex amicabilibus, quæ sunt ad se ipsũ, ex quo videtur, quod dilectio sui ipsius sit principiũ dilectionis proximj sed principium potius est eo, quod est ex principio: ergo non debet homo diligere proximũ sicut se ipsũ, sed minus se ipso.

3.º homo se ipsum diligit naturaliter non autẽ proximũ: inconvenienter ergo mandatur, quod homo diligat proximũ, sicut se ipsum.

4.º præceptum dare, vel promulgare est necessariũ, vbi non est manifestũ, et per se notũ; sed præceptum de dilectione proximi est maxime manifestũ, et per se notum: ergo non fuit convenienter datum, aut promulgatum: prima propositio de se constat, secunda patet per Sanctũ Thomã 1.2. q. 100. a. 3. in responsione

ad primum, ubi dicit, quod præcepta de dilectione Dei, et proximi sunt prima, et communia legis naturæ, quæ sunt per se nota rationi humanæ, vel per naturã, vel per Fidem; et infra ad 11. in corp.e q.is dicit, quod quædam sunt præcepta rectissima, et a Deo manifesta, quod editione non indigent, sicut mandata de dilectione Dei, et proximi.

5.to præcepta moralia sunt de Iure naturali, ut patet Ro. 2. ubi dicitur: gentes, quæ legẽ non habent naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, quod oportet intelligi de his quæ pertinet ad bonos mores, et sic omnia moralia præcepta legis pertinent ad legem naturæ; sed ea, quæ sunt naturalia, sunt communia apud omnes 1.o de Coelo: ergo dilectio proximi esset apud omnes cognita, et tractata, cuius contrarium apparet, quia maiores Philosophi, ut Peripatetici, qui de moralibus naturali ingenio per multa rimati sunt, cũ pręterierunt, et de sola amicitia, quę aut est virtus, vel non sine virtute, ut dicitur 8. Ethic. et inter solos virtute pręditos

ditur esse potest, diversi erunt, ex quibus sequitur, quod non habet vim præcepti moralis, et per consequens non est convenienter datum.

In contrarium est quod hoc præceptum de dilectione proximi est datũ à Deo, ut patet Levit. 19. et Matthæi 22; sed quæ à Deo sunt, ordinata sũt Rõ. 13: ergo convenienter est datum.

Pro responsione ad quæstionẽ primo notandum, quod hoc præceptum de dilectione proximi fuit convenienter traditum, tangitur enim in eo, et diligendi ratio, et dilectionis modus, ratio quidem diligendi tangitur ex eo, quod proximus nominatur, propter hoc enim ex charitate diligere debemus alios, quia sunt nobis proximi, et secundum naturalẽ Dei imaginem, et secundũ capacitatem Gloriæ, nec refert utrum dicatur proximus, vel frater, ut habetur 1. Joa. 4. vel amicus, ut habetur Levit. 19. quia per omnia hæc, eadem affinitas designatur; Modus autem dilectionis tangitur, quum dicitur sicut te ipsum, quod non est intelligendũ quantũ ad hoc, quod aliquis

proximũ sibi æqualiter diligat, sed similiter sibi, et hoc tripliciter 1º. quidem ex parte finis est, scilicet quis diligat proximum propter Deũ, sicut se ipsũ propter Deũ debet diligere, ut sic dilectio sit sancta; secundo ex parte regulæ dilectionis, ut scilicet aliquis non condescendat proximo in aliquo malo, sed solum in bonis, sicut et suæ voluntati satisfacere debet homo solum in bonis, ut sic dilectio proximi sit iusta; Tertio ex parte rationis dilectionis, ut scilicet non diligat quis proximum propter propriã utilitatẽ, vel delectationẽ, sed ea ratione, quod vellit proximo bonum, sicut vult bonũ sibi ipsi, ut sic dilectio proximi sit vera; nam quum quis diligit proximũ propter suã utilitatẽ, vel delectationẽ, non vere diligit proximum, sed se ipsum.

2º. notandum, quod quando Stus. Thomas dixit duo præcepta dilectionis esset prima et communissima præcepta legis naturæ, quæ per se sunt nota rationi humanæ, ac ideirco editione non indigent, ut in argum.tis tactum est, loquitur de

illius præcepti quantū ad substantiā actus absolute, id est, de dilectione Dei, et proximi sine modo determinato prout inest homini naturaliter; est enim de dictamine legis naturæ omni rationali creaturæ, quod diligat Deum super omnia in quantū est universale bonum, ac primum principium, et causa sui esse, totiusque perfectionis naturalis; etiam est de dictamine rationis naturalis, quod homo proximū diligat, qui intelligitur omnis homo, ut communiter tenetur, et potest haberi ex doctrina Domini Luc. 10. unde Eccl. 13: omne animal diligit sibi simile; de quo amore naturali agit S. Thomas 1a. q. 60. a. 4. et 5. et 1a. 2æ. q. 100. a. 3. ad 3m. quo modo loquendi dilectio Dei, et proximi sunt de primis, et communibus legis naturæ præceptis rationi humanæ per se notis, quæ exteriori editione non indigent, præsertim adiuncta Fide à quibus omnia præcepta Decalogi deducuntur tanquā immediatæ conclusiones ex primis principiis, et hoc tradit S.tus Doctor 1. 2. q. 100. a. 3. ad 1m. Sed in lege Divina sunt tradita præcepta

de dilectione Dei, et proximi non quantum ad substantiā actus absolutæ, sed quantū ad modū determinatum, scilicet quod Deus diligatur ex toto corde &c.ª et quis diligat proximum sicut se ipsum, qui modus diligendi Deum, et proximum non inest homini ā naturalibus, sed ex gratia, unde indiguit expressa editione per modum præcepti, quum sit de necessitate salutis; et inde est, quod dicta duo præcepta dicuntur præcepta charitatis, quia in eis non solum substantia actus, sed etiam modus ille diligendi, qui est modus charitatis cadit sub præcepto, ita quod sine charitate dicta duo præcepta impleri non possunt, ut deducit S. Thom. 1ª 2æ q. 100. a. 10. et ideo ut in lege divina traduntur, non dicuntur præcepta legis naturæ, sed præcepta charitatis, quia præceptum de dilectione Dei non potest homo implere ex puris naturalibus secundum quod ex charitate impletur; unde Augustinus in li. de correctione, et gratia, quum dixisset, quod sine gratia nullum prorsus bonū homines faciunt,

subdit non solū ut monstrante ipsa, quid faciendum sit, sciant, verū etiam ut praestante ipsa faciant cum dilectione, quod sciunt.

Ad argumenta in contrarium. Ad 1um. dicendum, quod nomen proximi importat propinquitatē non loci, aut consanguinitatis, sed naturae, unde Theophilus super verbo Iuris periti, quo interrogat dominū Lc. 10: quis est proximus meus, dicit, Salvator autem non actibus, aut dignitatibus, sed natura determinat proximū, quasi dicat, non putes, quod quamvis iustus sis, nullus tibi sit proximus, omnes namque, qui eādem naturā cōmunicant, proximi tui sunt; fias igitur tu eorū proximus non loco, sed affectu, et circa eos cura, et ad hoc Dominus Samaritanū in exemplū duxit, unde patet, quod dilectio charitatis se extendit ad omnes.

Ad 2um. per 1um. notabile patet responsio, non enim intelligitur, quod diligat proximū sicut se ipsum, id est, aequaliter, sed similiter, quia sicut se propter Deum diligit, sic pro-

ximum, vel vt non condescendat Deo in aliquo modo, vel vt non diligat proximum propter aliquã vtilitatẽ, vel delectationẽ, vt latius dictum est in primo notabili.

Ad 3um. patet responsio per idẽ, non enim est necesse, vt omni modo, quo quis se ipsũ diligit, diligat et proximũ, sed tribus modis dictis in prima parte primi notabilis.

Ad 4um. dicendum, quod secundũ doctrinã Sancti Thomę, et veritatem, duplex dilectio Dei, et proximi potest esse in homine; vna naturalis; alia gratię, et charitatis, vt ipse dixit 1.2. q. 109. a. 4. et multis aliis locis, sed signanter 22. q. 44. a. 1. vbi quum in 3o. argumento obicit, quod non fuerunt danda pręcepta de dilectione Dei, et proximi eo eo, quod inter pręcepta Decalogi non continentur, non solvit obiectionẽ per hoc quod talia pręcepta sunt de primis, et communissimis pręceptis naturaliter notis quemadmodũ in 1a. 2. vt dictũ est in quarta argumentatione, sed solvit, quia omnia pręcepta Decalogi ordinantur

ad duo præcepta charitatis de dilectione Dei, et proxi-
mi tanquã ad finẽ; quapropter non fuerũt conu-
meranda inter præcepta Decalogi, sed in omnibus
includuntur, quod intellige eo modo quo finis
includitur in his, quæ ad finẽ disponunt, vel ordi-
nantur; omnia enim præcepta Decalogi disponũt
ad duo præcepta charitatis, scilicet dilectionem
Dei, et proximi, non tamen sicut ad finẽ adequa-
tum, seu connaturalẽ, sed sicut ad finem excedentẽ,
et supernaturalẽ, sicut virtutes morales ordi-
nantur, et disponũt ad virtutes Theologicas, et
hoc modo dicit Apostolus 1.ª Tim. 1, quod finis præ-
cepti est charitas, ut ibi in postilla exponit
S. Thom.

Ad 3.um dicendum, quod præcepta mo-
ralia ex ipso dictamine naturalis rationis effi-
caciã habẽt etiam si nunquam in lege statu-
antur, quorũ triplex est gradus; nam quædam
sunt cõmunissima, et adeo manifesta, quod edi-
tione non indigẽt, nisi quantũ dumodũ, ut dictum
est, sicut mandata de dilectione Dei, et proximi;

quędam vero sunt, quorum apud paucos potest Iudiciũ pervenire, et ideo fuere particulatim exposita per Decalogum; quędam fuere quorũ ratio fuit solis sapientibus manifesta, quę fuerunt Decalogo superaddita, vt coram cano capite surge. Hęc S. Thom. 12. q. 100. a. 11. vnde in his tribus gradibus ratio naturalis est firma, et perpetua, licet non eodem modo manifesta, vnde non est mirandũ si Philosophi hęc explicite non attigerunt tametsi in cordibus legem naturalẽ divinitus inditã haberent, non enim eos latuit debitum naturalis dilectionis ad Deum, et proximũ, rationibus superius dictis; sed minimẽ dilectionẽ charitatis erga Deum, et proximũ, vt plurimũ ignorarũt, quia evanuerũt in cogitationibus suis quoniam Deũ, vt Deum non honoraverunt, vnde dicentes se esse sapientes stulti facti sunt spiritus enim, et gratię doctrinã, et lumẽ non meruerunt: igitur de amicitia tractaverunt, quę aut est virtus, aut non sine virtute, et de aliis

virtutibus cardinalibus, et moralibus, nec non et intellectualibus dixerunt; sed de Theologicis virtutibus de patientia, de humilitate, perseverantia, et multis eiusmodi, quæ Christus, et sui Prophetæ, atque Apostoli condiscipulorum inceperunt, et ab Spiritu Sancto revelantur Principes huius sæculi non participaverunt. Hoc sic Burgensis pervitaus et Sancto Thomæ suo, et meo hoc in loco non contradicovisset.

QVÆSTIO.

Super verum: quicquid semel fuerit consecratum Sanctum sanctorum erit Domino, et omnis consecratio, quæ offertur ab homine nō redimetur, sed morte morietur Levit. Vltimo. unde sumpta est regula Iuris libro 6: semel Deo dicatum non est ad usus humanos vlterius trāsferendū: pōt esse quæri. Vtrum res Deo dicatæ possint transferri

ad usus humanos.

Et videtur, quod possunt, nam vasa sacra possunt vendi pro redemptione captivorũ, ut patet in cap.° sanctorũ, et in cap.° aurum 12. q. 2: ergo res Deo dicatæ possũt distrahi ad humanos usus.

2.° res ecclesiæ ex necessitate, vel utilitate, vel pietate, vel cōmoditate alienari possũt, ut multis iuribus tam Pontificiis, quam cesareis constat; sed res Deo dicatæ sunt res ecclesiæ: ergo alienari possunt, et per consequens ad humanos usus transferri.

3.° Monachus per solemne votũ professus est Deo consecratus; sed cum tali potest summus Pontifex dispensare, ut ad matrimoniũ se transferat, ut communiter Doctores tam Theologiquã Canonistæ tenẽt: ergo res Deo dicatæ possunt in humanos usus transferri.

In contrariũ est auctoritas sacræ scripturæ, et auctoritas sacri canonis, quæ in fronte quæstionis positæ sunt.

Pro responsione I.° notandum, quod ubi

in nostra translatione habetur, omne quod consecratur Domino, pro verbo consecratur, habetur herem, quod in hebræo habet duplicem significationẽ; uno enim modo significat sanctificationẽ, seu consecrationẽ; alio modo significat destructionẽ, non quãcumque, sed quę ad Dei Gloriam ordinatur, ut sit sensus, omne herem Domino, idest, omne, quod Domino consecratur, vel destruitur; et aliquando contingebat, quod in eodem facto concurrebat herem secundum utrãque significationẽ, licet in diversis rebus, sicut in destructione civitatis Hierico quantũ ad civitatẽ, et habitatores fuit destructio facta ad Dei Gloriã ordinata, quia peccata illius civitatis hoc meruerant, quę per sententiã Domini erãt punienda civitatis subversione, et habitatorũ occisione; quantum autem ad spolia civitatis, quę poterant cedere in cultũ Domini fuit ibi herem in alia significatione, quia aurum, et argentum, et similia fuerunt Domino consecrata, ita quod non poterant aliis usibus applicari; aliquando vero accipiebatur herem

pro destructione tantum in uno facto; aliquando autē pro sanctificatione tātum; si autem accipiatur pro sanctificatione tantum, sic talis sanctificatio poterat esse in persona humana, vel in animali, vel in re inanimata, ut dicitur paulo supra dictam auctoritatē; omne quod Domino consecratur, sive homo fuerit, sive animal, sive ager, et secundum hoc illud quod postea subditur non redimetur, sed morte morietur, varie exponitur; pro cuius intellectu

2.º notandum, quod homo Domino consecratus non interficiebatur, quum non esset animal immolaticium, similiter nec ager consecratus est mortis, vel vitę susceptivus proprie loquendo, et ideo oportet, quod accipiatur mors ęquivoce; igitur dicendum, quod si res Domino consecrata Domino erat persona humana, aut erat Hębrea, aut Gentilis; si Hębrea, aut de tribu Levi, aut de alia tribu; si primo modo pueri ā parentibus poterant consecrari Domino ad serviendum in tabernaculo Domini usque ad mortē, et hoc modo Samuel fuit consecratus Domino

a parentibus, ut habetur 1.ª Reg. 1. quo etiam modo
constat, quod Levita adultus poterat seipsum con-
secrare dicto modo, ut habetur Deuteron. 18, vide-
licet quando levites manens extra Hierusalem de-
votione ductus veniebat ad manendum in Hierusa-
lem, ut ministraret in Templo; si autem quis esset
de alia tribu non poterat sic consecrari, quia
non erat licitum ei accedere ad ministerium
tabernaculi, vel templi, secundum quod dicitur
Num. 3: extraneus, qui ad ministrandum accesse-
rit morte morietur, et multo magis erat illicitũ
Gentilibus, poterant tamen personę de aliis tribubus
Israel consecrari Domino ad alia pia opera
exercenda, sicut Samson de tribu Dan fuit con-
secratus in abstinentia ab omni potu inebriativo,
et cibo immundo ad reprimendum impetum Phi-
listinorũ super Israel, ut habetur Iudicum 13.
et similiter filia Jeptę ad serviendum Deo
in vigiliis, et orationibus vivendo in virginitate
secundum Hebreorũ opinionẽ Iudicum 11. ubi
plenius Deo volente disputabitur; Si autem

erat persona Gentilis, vt pote servus, vel ancilla hominis hebræi, sic erat res Domini, et per consequens poterat consecrare eam, quia erat persona simpliciter serva, et ad semper, non tamen consecrabatur ad faciendum opera Levitarum, vt dictum est, sed ad quædam opera servilia Templo, vel eius Ministris necessaria, sicut est ligna cedere, et aquam portare ad locum Divini cultus, et hoc modo Iosue decrevit Gabaonitas in ministerium Templi, et Altaris, vt habetur Iosue 9; hoc autem modo non poterat consecrari persona hebræa; quia non poterat esse serva simpliciter, sed ad tempus tantum, scilicet vsque ad septimum annum remissionis, et si tunc nolebat egredi liber manebat servus, vsque ad Iubileũ, et non vltra, vt habetur Exo. 21. et Levit. 25.

Si autem res consecrata erat inanimata, aut erat immobilis, vt ager, et tunc (distinguendum, quia aut erat ager de hereditate paterna, et tunc poterat (Domino consecrari, quia talis ager in Iubileo non revertebatur

batur ad priorem Dominum, sed remanebat pro possessione Templi, vel sacerdotum; si autē ager erat acquisitus ex emptione non poterat sic consecrari, quia in Iubileo debebat reverti ad dominū priorē, et propter hoc ubi translatio nostra sic habet omne, quod Domino consecratur, sive homo fuerit, sive animal, sive ager, in hebreo habetur, sive ager possessionis, vel hereditatis neq; si autem res consecrata erat mobilis, ut aurum, et argentum, ę, sericum, et similia de quibus poterant fieri instrumenta tabernaculi, vel Templi, aut alia necessaria, ibidem tunc poterant Domino consecrari, nec de cetero poterant ad alios usus applicari, ut dictum est de preda hierico, et multa alia exempla ad hoc sunt in scriptura.

Si autem res consecrata erat animal, aut erat immolatitium, et tunc sive cōmutatione, aut redemptione immolabatur Domino nisi post consecrationē antequam veniret ad locum immolationis fieret ineptum

ad immolandum per fracturam tibiç, vel alterius maculç insanabilis, et tunc interficiebatur absque venditione, seu redemptione, quia non poterat aliis usibus applicari; si autem non erat animal immolaticium, et tamen utile ad Templi, vel sacerdotum ministerium, ut equus, asinus, et similia, tunc manebat in obsequium Templi, vel sacerdotum usque ad mortē, sicut de servo, vel ancilla dictum est; si autem accipiatur herem pro destructione ad Dei Gloriam ordinata, ut sit sensus, omne quod Domino destruitur &c.ª tunc talis destructio, aut erat ex sententia Domini, aut Judicum tenentium eius locum, ut ad implendum promissum Deo factum; si primo modo tunc talis destructio erat simpliciter inferenda, et hoc sive essent personç humanç sicut de cananeis protulit Dominus sententiam, ut interficerentur ā filiis Israel, ut patet Num. 33: quum transieritis Jordanem intrantes terram Chanaam, disperdite cunctos habitatores regionis illius, excepti

tamen fuerunt Gabaonitę eo, quod Principes
Israel inconsulto Domino iuraverant eos non
occidere, quapropter mors corporalis eorum fuit
comutata in civilem per servitutē, ut habetur
Josue 9; sive essent bruta animalia, et ideo Saul,
qui in occisione Amalechitarum ex cupiditate
pepercit animalibus pinguioribus de quorum
morte Dominus mandaverat, sicut et de hominū
morte fuit ā Domino reprobatus, ut habetur 1. Re. 15;
sive essent res inanimatę, ut pote civitates
sic destructę, quia ultra non erāt ędificandę
unde Josue 6. dicitur: maledictus vir, qui susci-
taverit, et ędificaverit Jericho; si autem talis
destructio erat inferenda ex sententia Judicū
locum Dei tenentiū ob quam rem Dii ap-
pellabantur, ut patet Exo. 21: Diis non detrahes,
talis sententia erat executioni danda absque
redemptione aliqua, videlicet quando aliquis
erat per eos morti adiudicatus, et pręsertim,
si propter homicidium non poterat prętio ali-
quo redimi vita eius, unde Num. 35. dicitur:

non accipietis pretium ab eo, qui reus est san-
guinis, statim, et ipse morietur; Alio modo talis
destructio inferebatur propter adimpletionẽ pro-
missi Deo facti, secundum quod habetur Num. 21.
ubi dicitur: At Israel voto se Domino obligans
ait: si tradideris populũ istum in manu mea
delebo urbes eius; et ibidem subditur: vocatum
est nomen loci illius Horma, quod significat des-
tructum, descendit enim de Herem, quod significat
destructionem, unde ubi nostra translatio
habet Horma, Scriptura Hebrea habet Herema,
nomina enim Hebrea scripta literis Latinis
minus proprie scribuntur communiter.

Ex prędictis patet, quod cum dicitur
omne, quod Domino consecratur non redime-
tur, sed morte morietur, mors in diversis acci-
pitur ęquivoce, quia Levitę divino cultui conse-
crati dicebantur mortui, sicut apud nos Religi-
osi dicuntur mortui mundo; Agri vero, et res
inanimatę Domino consecratę mori, aut mor-
tuę dicebantur, sicut possessiones Ecclesię dicuntur

mortificata; et eodem modo dicendum est de servis, et ancillis; Animalia autem immolatitia moriebantur proprie per immolationē, similiter, et homines, et animalia morti dedicata à Domino, vel Iudicibus per occisionem; civitates autem destructę dicebantur esse mortuę similitudinarie, quia non erat redditus ad earum reedificationē, sicutì hominibus, et animalibus non est reditus de morte ad vitam. Item sciendum, quod consecratio prędictorum aliquando cedebat in vtilitatē sacerdotū, aliquando vero in necessaria ipsius Templi secundum quod consecrans exprimebat in consecrando; de illis tamen, quę poterant venire in usum sacerdotum, vt servus, et ancilla. Ex quibus omnibus plane concluditur, quod regulariter nihil, quod Deo potuit dicari, et dicatum est in humanos, aut prophanos usus, transferri poterat; et idem etiam tenent Iura, et Doctores communiter, licet in aliquibus casibus, et in aliquibus rebus, et certo

modo possit licite fieri, vt in responsionibus ad argumenta in contrarium patebit.

Ad 1.um ergo dicendum, quod licet communiter Deo dicata non sint transferenda ad usus humanos, tamen quia hoc non est de iure naturali, aut divino præambulo ad præcepta Decalogi, aut de præceptis decalogi, aut de quibusdam aliis, quæ vt conclusiones ex eis oriuntur, est casus in novo testamento dispensabilis scilicet quando adest ratio dispensandi, vt sit prudens dispensatio, et quando habetur respectus ad maius bonum, vt sit dispensatio fidelis, vt dicit S.tus Thomas 1.2. q. 97. a. 4. ex quibus patet, quod quando adest ratio dispensandi, et intentio ad maius bonum possunt transferri, et colliguntur quatuor casus; primus quando urget necessitas debitorum; secundo quando est vtilitas, scilicet vt habeat rem meliorem, et ista ponuntur in auctentica hoc ius. C. de Sacro Sanct. Eccles. et 10 q. 2. cap.o hoc ius; tertius quando est commoditas, vt quando res est magis damnosa, quam vtilis Ecclesiæ, vt in cap. terrulas 12 q. 2 cum Glos.;

quaratur quando est pietas, scilicet pro redemp-
tione captivorũ, aut suventione pauperum vt cã.
sanctorũ, et cã. aurum 12. q. 2, in quibus casibus
si sint vasa ecclesiastica, vt calices confracti,
seu minuti vendi debere, vt in cap.° aurum, et
cap.° hoc ius porrectum 12. q. 2. et in Glosa dictę
regulę Iuris, integra vero non possunt distrahi,
nisi alteri ecclesię, vel loco Religioso, vt in cap.° lig-
na de conse. dist. 1.ª vbi etiã dicitur ligna ecclesię
dedicatæ ad aliud opus iungi, nisi ad aliam ecclesiã
vel igni comburenda, vel ad profectum in Monas-
terio fratribus, in laicorũ autem opera non debet
admitti; vnde quum dicit regula ad vsus hu-
manos, intellige, id est, laicales, vel seculares,
vel prophanos, id est, ã sacris, vel ecclesiasticis alĩe-
nos; et ibidem dicitur in cã. Altaris palla, cathe-
dra, candelabrum, et velum, vbi fuerint vetus-
tate consumpta incendio dentur, cineres quoque
eorum in baptisterio inferantur, aut in parietes,
aut in fossis pavimentorũ iactentur, ne introeun-
tiũ pedibus inquinentur.

Ex quibus liquido patet responsio ad 2um.

Ad 3um. dicendum, quod circa dispensatio-
nē in voto solemnizato per professionē Religi-
onis varie scripsit Stus. Thomas in summa, et
in scripto, nam 2.2. q. 88. a. 11. positis, et confu-
tatis quibusdā opinionibus, concludit sic: sed quia
decretalis inducta expresse dicit, quod nec summus
Pontifex potest contra custodiā castitatis Mona-
cho licentiā dare, ideo aliter videtur dicendum,
quod sicut habetur Levit. vltim. illud quod semel
sanctificatum est Domino non potest in alios
vsus commutari, non autē posset facere aliquis
Ecclesię Prælatus, vt id, quod est sanctificatum sanc-
tificationē amittat, etiam in rebus inanimatis,
puta quod calix consecratus desinat esse conse-
cratus, si maneat integer, vnde multo minus po-
test hoc facere aliquis Prælatus, vt homo Deo con-
secratus quamdiu vivit consecratus esse desis-
tat; Solemnitas autem voti consistit in quadā
consecratione, seu benedictione voventis, et ideo
non potest fieri per aliquē Prælatum Ecclesię,

quod ille, qui votum solemne emisit, desistat ab eo ad quod est consecratus, puta, quod ille, qui est sacerdos, non sit sacerdos, licet possit Prelatus ob aliquã causam executionẽ ordinis inhibere, et simili ratione Papa non potest facere, quod ille, qui est professus Religionẽ, non sit Religiosus, licet quidam Iuristę ignorantes contrarium dicant, scilicet Vincentius, et Ioannes; est ergo considerandũ utrum continentia sit essentialiter annexa ei ad quod votũ solemnizatur, quia si non est ei essentialiter annexa potest manere solemnitas consecrationis sine debito continentię, quod non potest contingere si sit essentialiter annexum ei ad quod votũ solemnizatur, sed non est essentialiter annexum debitum continentię ordini sacro, sed ex statuto ecclesię, unde videtur, quod per ecclesiam possit dispensari in voto continentię solemnizato per susceptionẽ sacri ordinis; est autem debitũ continentię essentiale statui Religionis per quem homo abrenũtiat saeculo totaliter Dei servitio mancipatus,

quod non potest simul stare cum matrimonio,
in quo incumbit necessitas procurandæ uxoris
et prolis, et familiæ, et rerum, quæ ad hæc requirun-
tur, unde Apostolus 1a. Cor. 7 dicit, quod qui est cum
uxore, solicitus est, quæ sunt Mundi, quomodo pla-
ceat uxori, et divisus est, unde nomen Monachi
ab unitate sumitur per oppositum ad prædictam di-
visionem, et ideo in voto solemnizato per professionem
Religionis non potest per ecclesiam dispensari, et
rationem assignat decretalis, quia castitas est an-
nexa regulæ Monachali. Sed in 4. scripto dist. 38.
q. 1. a. 4. q.la 1. sic dicit: Ad 3um dicendum, quod de voto
continentiæ est duplex opinio, quidam enim dicunt,
quod in eo nullus potest dispensare; sed ratio huius
diversimode assignatur a diversis. ——

—— Quidam enim dicunt, quod hoc ideo accidit,
quia votum continentiæ non potest prætermitti
sine hoc quod ad contrarium voti aliquis delabatur,
quod nunquam licet; sed votum paupertatis potest
aliquo modo prætermitti, quod non directe exit con-
tra votum, sicut quum aliquis habet pecuniam

nomine, sed Ecclesiæ nomine; sed hoc nihil est,
quia sic votum de abstinendo aliqua die à carnibus,
aut votũ de peregrinatione non reciperet dispensationẽ,
quod est absurdum; et ideo alii assignant aliã
rationẽ dicentes, quod hoc convenit, quia votum
continentiæ non recipit recompensationẽ me-
lioris, eo quod omnis ponderatio non est digna
Animæ continentis, vt habetur Eccl. 26, vel ideo quia
per continentiã homo triumphat de domestico
inimico, vel ideo quia per Religionẽ homo
perfecte conformatur Christo, vnde in voto
continentiæ, quod in voto Religionis includitur,
et in aliis votis essentialibus Religioni non po-
test dispensari, vt dicunt; sed hoc etiam non vi-
detur sufficienter dictum, quia bonũ commune
est multo melius, quam bonum privatum 1.° Ethic.
propter quod etiã homo interdũ ab otio sanctæ
contemplationis, quæ est optima pars Iudicio
Domini Lu. 10, removetur, vt communi vtili-
tati proximorũ vacet.

Et ideo alii dicunt probabilius, quod si

communis vtilitas totius Ecclesiæ, aut enim Regni, vel Provinciæ exposceret, posset conveniens, et in voto continentiæ, et in voto Religionis dispensari quantumcumque esset solemnizatum; non enim per votum potest se homo deobligare ab eo in quo tenetur alteri, vnde talis posset imminere necessitas, quod posset alicui iuste prohiberi, ne continentiã, aut Religionẽ voveret eadem necessitate manente, potest etiam dispensari in voto iam facto. Hæc ille. Vide B . . . si necessitas vrget, dispensatio est inevitabilis, id est debita, si autẽ vtilitas provocat, dispensatio est laudabilis, et sic permissa; vtilitas dico communis non propria, nam quum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est, idem habens in cã. dispensationes, et sequenti 1. q. 7. et cã. in causis de sententia, et re iudicata, et cã. Exposuisti de præbendis. ex quibus plane constat etiam secundum Sanctũ Thomam hanc opinionẽ esse probabilionẽ, quæ communiter maiori Theologorũ, ac Iuristarũ turbæ magis placet.

Vnde Ioannes Andreas in Mercurialibus sup. regula semel Deo dicit: posset autē per vnius continentiā bonū multitudinis impediri, vt si per matrimoniū alicuius solemniter voventis etiam Monachi posset pax patriæ procurari, vel patria infidelis ad Fidē converti, vel aliquid simile, absit quod his casibus monacelli continentiā præferamus tanto bono, vt plene scripsi post cā. 1. de voto post Innocentiū, et Hostiensē; Decretalis vero quum ad monasteriū in fine, quæ dicit: nec summus Pontifex possit licentiā indulgere, intelligenda est, idest, non congruit eius potestati, quod talē licentiā indulgeat, vel dic, quod nulla verba Papæ possit tollere, vel subtrahere potestati successoris, quia par in parē non habet imperiū, vt in cā. innotuit de electione cum similibus.

Et qui hanc viam tenent, quæ mihi videtur communior, et tutior coguntur negare illud dictū de annexione essentiali; non enim est continentia ita annexa essentialiter, sicut proprie proprium, vt risibile humanæ speciei

quinimo in aliquibus casibus dictis in responsione ad IIIum. et per S. Thomã in scripto, potest dispensari, et per consequens separari, et sic non erit essentialiter annexa, maxime quia in votis semper intelligitur auctoritas superioris excepta, ut de iuramento dicitur in Cã. venientes de Iure iurando; v. et in ōmibus Jacobi 5°. Si quis autẽ voluerit dicta S. Thomę concordare, poterit dicere bipharia; primo quod in 2.2. loquitur de voto ratione consecrationis indelebilis; in 4. vero sententiarũ loquitur ratione boni promissi, quo potest esse aliquid melius, scilicet bonũ commune, et maius; Vel potest dici, quod in 4 sententiarũ loquitur secundum opinionẽ aliorũ, unde dicit, quod alii dicunt probabilius, et ideo ibi respondet argumentis ad utramque partẽ; sed in 2.2. loquitur secundũ propriam sententiã. Ex dictis patet quomodo, et quando, et in quibus regula semel, et auctoritas servit. Ultimo debeat observari.

QVÆSTIO.

Super verbis: ore enim ad os loquerer,

palam, et non per enigmata, et figuras Deū videt Num. 12: potest quari utrū Moises in hac vita manens vidit essentiā Dei.

Et videtur quod non. Primo per illud Exo. 33: non videbit me homo, et vivet, super quo verbo dicit Glosa: quamdiu hic mortaliter vivitur videri per quasdā imagines Deus potest, sed per ipsā naturę speciē non potest.

2.° nam Chrisostomus super Joannē exponēs illud, quod dicitur Joa. 1: Deum nemo vidit, unquā dicit ipsū, quod est Deus non solum Prophetę, sed nec Angeli viderunt, nec Archangeli; quod enim creabilis est naturę qualiter videre poterit, quod increabile est; Dionisius etiam 1.° cap.° de Divinis nominibus loquens de Deo dicit, nec sensus est eius, nec fantasia, nec opinio, nec ratio, nec scientia.

3.° omne infinitū inquantū huiusmodi est ignotū; sed Deus est infinitus: ergo est secundū se ignotus, et sic implicabit, quod aliquis eū viderit.

4°. intellectus creatus non potest cognoscere, nisi existentia; primum enim quod cadit in aprehensione intellectus est ens; sed Deus non est existens, sed supra existentia, ut dicit Dionisius: ergo non est intelligibilis, sed supra omne intellectu, et ita Moises non potuit eum videre.

5°. cognoscentis ad cognitu oportet esse aliquam proportione, quum cognitu sit perfectio cognoscentis; sed nulla est proportio intellectus creati ad Deu, quia in infinitum distant: ergo intellectus Moisi non potuit videre essentia Dei.

6°. quia potentia intellectus humani in puris naturalibus est improportionata essentię Divinę, ut sic cognoscibili: ergo necesse est quod per aliquid aliud a se fiat ei proportionata; illud autē aliud, aut est naturale, aut supernaturale, si est naturale: ergo totum est improportionatu essentię Divinę, si supernaturale: ergo potentia est improportionata illi, et ita

sequitur quod per aliud oportet ei proportionari, et sic in infinitũ; quum ergo non sit procedere in infinitũ 2. Metaph. potentia intellectus humani non potuit videre essentiã divinam.

In contrariũ est sententia Augustini in libro de videndo Deũ ad Paulinam, ubi dicit, quod ipsa Dei substantia ã quibusdam videri potuit in hac vita positis, sicut ã Moise, et ã Paulo. Itẽ ibidẽ, et 12 sup. Gen. ad lit. dicit: nisi ab hac vita quisque quodam modo moriatur, sive omnino exiens ã corpore, sive aversus, et alienatus ã corporis sensibus in illã non vehitur visionẽ, et hoc modo secundo contigit Moisi, quia Doctor erat Judæorũ, et Paulo, quia Doctor erat Gentiũ; idem etiã dicit Glosa super verbo: vidi archana verba 2. Cor. 12.

Pro responsione primo notandum, quod Hebræi innixi illi sententiæ ã Domino Moisi dictæ Exo. 33. non poteris videre faciẽ meam, non enim videbit me homo, et vivet. tenent, quod nunquã vidit in hac vita Moises essentiã Dei,

et pro intelligentia illius dicti Num. 12: si quis fuerit inter vos Propheta Domini in visione apparebo ei, vel per somniū loquar ad illū, at ti non talis servus meus Moises, ore enim ad os &c.ª notant, quod cognitio Prophetica quantū ad hoc expectat fit tribus modis; vno modo per abstractionē à sensibus exterioribus, vt in somnio, vel extasi; alio modo sine abstractione tali, et hoc dupliciter; vno modo quando in imaginatione fiunt aliquę formę virtute divina in quibus intellectus à Deo illustratus inspicit veritatē intelligibilē supernaturalē; alio modo quando sine tali visione imaginaria intellectus à Deo illustratus inspicit veritatē intelligibilē supernaturalē; secundus gradus est altior primo, et tertius secundo, cuius Ratio est quia per occupationē sensuum exteriorū in actibus suis, intellectus distrahitur, vt minus capere possit cognitionē supernaturalē, et ideo quando cessāte tali occupatione apprehenditur supernaturalis veritas est altior gradus, sicut in cognitione naturali ille

iudicatur melioris ingenii, qui cum distrahatur aprehendit veritatē intelligibilē, quam ille, qui non potest aprehendere, nisi sit ab omni tali distractione segregatus, et ideo secundus gradus Prophetię, qui est sine abstractione ā sensibus altior est primo, et similiter tertius est altior secundo, sicut in cognitione naturali ille est melioris ingenii, qui veritatē intelligibilē capit absque manuductione per exempla sensibilia, quā ille, qui indiget talibus adminiculis; unde exponunt, dicentes, quod per somniū intelligitur primus gradus prophetię, per visionē secundus, qui sunt inferiores, et hos duos gradus habuerūt Aaron, et Maria, sed Moises tertiū; nam per hoc, ut dicunt, quod dicitur palā intelligitur tertius gradus Prophetię prędictus, in quo non requiritur aliqua visio imaginaria; per illud quod dicitur ore ad os, intelligitur quędam specialitas, et dignitas in isto tertio gradu Prophetię, quia quanto frequentius, et familiarius Deus revelat alicui supernaturalē veritatem

tanto ille gradu est dignior, et iste erat in Moise; tamē concludūt, quod non vidit divinā essentiā. Sed Augustinus, et modernores Doctores catholici cum S.to Thoma eū sequentes, tenēt, quod in hac vita vidit divinā essentiam, quod videtur ex hoc, quod Dominus dicit palam, et non per enigmata Deū videt omnis enim cognitio Dei citra visionē divinę essentię enigmatica est secundū quod dicitur 1a. Cor. 13: videmus nunc per speculū, et in enigmate tunc autē facie ad faciem; sed ubi, et quando fuit in facto talis visio, nec ex sacra scriptura, nec ex dicto alicuius doctoris constat.

2o. notandum quod ab homine puro Deus videri per essentiā naturaliter non potest nisi ab hac vita mortali separetur, cuius ratio est, quia modus cognitionis sequitur modū naturę rei cognoscentis. Anima autem nostra quamdiu in hac vita vivimus, habet esse in materia corporali, unde naturaliter non cognoscit aliqua, nisi quę habent formam in materia, vel quę per huius-

modi cognosci possunt; Manifestum est autē, quod per naturas rerum materialiū divina essentia cognosci non potest, quia cognitio Dei per quamcumque similitudinē creatā non est visio essentię ipsius, unde impossibile est Animę hominis secundū hanc vitā viventis essentiā Dei videre, et huius signū est, quod Anima nostra quanto magis ā corporalibus abstrahitur, tanto intelligibilium abstractorū fit capacior; unde in somniis et alienationibus ā sensibus corporis magis divinę revelationes percipiuntur, et prę visiones futurorum. Quod ergo Anima elevetur usque ad supremum intelligibilium, quod est essentia divina esse non potest quamdiu hac mortali vita utitur, sed sicut Deus miraculose, ac supernaturaliter in rebus corporeis aliquid operatur, ita etiā supernaturaliter, et pręter cōmunem ordinem mentes aliquorū in hac carne viventium, sed in tali actu non sensibus carnis utentium usque ad visionē essentię suę elevavit, ut dictum est de Moise, et Paulo. Quod autē Jacob dicit Gen 32: vidi Dominū faciē ad

faciem, exponit Dionisius 4.° cap.° coelest. Hie-
rarc. dicens, quod in scripturis dicuntur sic
aliqui Deum vidisse in quantum viderunt per
aliquas figuras, vel sensibiles, vel imaginarias
representantes aliquod Divinū secundū aliquam
similitudinē; non igitur, quod dicit Jacob: vidi Do-
minū facie ad faciem refferendū est ad Divinam
essentiā, sed ad figurā, in qua representabatur
Deus, sicut creditur fuisse illa visio de qua fit
mentio Ex.° 33. et 34. et hoc ipsū ad quamdam
eminentiā Prophetiç pertinet, vt videatur perso-
na Dei loquentis, vel Deus loquens, licet imagi-
naria visione.

3.° notandum, quod vt dicit Augustinus in
epistola ad Paulinā de videndo Deū, non est incre-
dibile quibusdam sanctis nondū ita deffunctis,
vt sepelienda eorū cadavera remanerent istam
excelentiā revelationis fuisse concessā, vt sci-
licet viderent Deū per essentiā, vnde in tali
visione virtute divina elevatur homo ab eo, quod
est secundū naturā in id, quod est supra naturam,

vnde duo considerare oportet; primo quidem quid
sit homini secundũ naturam; secundo quid Divina
virtute in homine sit fiendũ supra naturam;
ex hoc autem, quod Anima corpori vnitur tan-
quã naturalis forma ipsius convenit Animę na-
turalis habitudo ad hoc, quod per conversionẽ ad fan-
tasmata intelligat, quod quidem ab ea non aufer-
tur Divina virtute in tali visione, quia non mu-
tatur status eius, manente autem hoc statu,
aufertur ab Anima actualis conversio ad fantasmata,
et sensibilia, ne impediatur eius elevatio in id,
quod excedit omnia fantasmata, et ideo in dicta vi-
sione non fuit necessariũ, quod Anima sic se-
pararetur ã corpore, vt ei non vniretur, quasi
forma, fuit autem necessarium intellectum
hominis abstrahi ã fantasmatibus, et sensibi-
lium perceptione. ex quibus constat, quod potuit
Moises in hac vita vivens videre Divinam
essentiã, et modus, quo fieri potuit, scilicet
miraculose, et per abstractionẽ, et alienationẽ
ã sensibus, et fantasmatibus, et quod de facto vidit

secundum sententiam catholicorum, licet ubi,

et quando ex auctoritate Sacræ scripturæ, aut

Doctoris auctentici, quem hactenus viderim,

non constet; patet etiam ratio, quamobrem hæc

singularis prærrogativa creditur data Moisi, et

Paulo, scilicet quia ille fuit Magister Hebræorum,

hic vero Gentium, et videtur congruũ, quod qui

primo arduã, ac novã doctrinã in alios profundere

habet ex vena luminis eã purissime hauriat, et

plenissime, ac clarissime videat.

Ex quibus patet responsio ad argumenta in contrarium. Ad primũ ergo dicendum, quod videre divinã essentiã in hac vita potest intelligi dupliciter, scilicet aut naturaliter, et sic intelligitur textus cum Glosa in contrariũ allegatus, aut super-naturaliter, et miraculose, et sic procedit factum Moisi, et Pauli.

Ad 2um. dicendũ, quod utraque auctoritas loquitur de visione comprehensionis, unde et Chrisostomus parum post verba præmissa subdit: notionẽ hic dicit certissimã patris consideratiõẽ, et com-

prehensionẽ tantã, quantam habet de Filio, et Sanctus Dionisius immediate ante verba proposita dicit: omnibus ipse est universaliter incomprehensibilis, et nec sensus etc.ª

Ad 3um. dicendum quod infinitum, quod se tenet ex parte materię non perfectę per formam ignotũ est secundũ se, quia omnis cognitio est per formã, sed infinitum, quod se tenet ex parte formę non contractę per materiã est secundũ se maxime notum, sic autem Deus est infinitus, et non primo modo

Ad 4um. dicendum, quod Deus non sic, dicitur non existens, quasi nullo modo sit existens, sed quia est supra omne existens inquantum est suum esse, unde ex hoc non sequitur, quod nullo modo possit cognoscẽ, sed quod omnẽ cognitionẽ excedat, quod est ipsũ non comprehendi.

Ad 5um. dicendum, quod proportio dicitur dupliciter; uno modo certa habitudo unius quantitatis ad alterã; secundum quod duplũ, triplũ, et ęquale sunt species proportionis; alio modo quęlibet habi

tudo vnius ad alterũ proportio dicitur, et sic potest esse proportio creaturę ad Deũ in quantũ se habet ad ipsũ, vt effectus ad causã, et vt potentia ad actũ, et secundũ hoc intellectus creatus potest esse proportionatus ad cognoscendũ Deum. Vel potest dici, quod licet inter Deũ, et creaturã non sit proportio, sed infinita distantia, est tamen proportionalitas, quę est habitudo duarũ proportionũ; sicut enim se habet 4. ad duo, ita se habent 20 ad 10 licet non sit par numerus, et ita sicut se habet intellectus humanus ad videre Divinã essentiã, ita et divina essentia ad videri ab eo, nam divina essentia habet potentiã se se imprimendi intellectui humano, et humanus intellectus habet obedientialẽ potentiã, vt elevetur, et confortetur, et vniatur Divinę essentię tanquam cognoscibili, et ita servatur quędã proportionalitas, quia sicut se habet divina essentia ad agere, ita potentia intellectiva ad pati.

Ad 6um. dicendũ, quod ad hoc quod intellectus humanus in via, vel in Patria videat essentiam divinã, quę haud dubie excedit suã naturã necesse

est, quod disponatur, et elevetur, mediante aliqua dispositione, quę sit supra suā naturā, sicut si aer debeat accipere formā ignis, oportet, quod disponatur dispositione ad talē formā; Cum autē aliquis intellectus creatus videt Deum per essentiā, ipsa Dei essentia fit forma intelligibilis intellectus, unde necesse est, quod aliqua dispositio supernaturalis ei superaddatur ad hoc, quod intantam sublimitatē elevetur; Cum igitur virtus naturalis intellectus creati non sufficiat ad Dei essentiā videndam, oportet, quod ex divina gratia superaccrescat ei virtus intelligendi, et hoc augmentū virtutis intellectivę vocamus illuminationē intellectus, sicut et ipsū intelligibile vocatur lumen, vel lux, et hoc lumen quo corroboratur intellectus est illud de quo in Psalmo dicitur: in lumine tuo videbimus lumen, et Apoc. 21 dicitur de eo, quod claritas Dei illuminabit eā, scilicet societatem Beatorū Deū videntium, quia secundū hoc lumē efficiuntur Dei formes, id est, Deo similes secundā illud 1. Joa. 3: quum apparuerit similes

ei eximus, et videbimus eũ sicuti est; et quando addis, quod si tale lumen est supernaturale: ergo erit improportionatũ intellectui, dico, quod quum sit perfectio creata ipsius intellectus, licet sit supernaturalis non est ei improportionata, habet enim se sicut forma respectu materię, et sicut virtus intellectualis, vel infusa, vel moralis respectu potentię, vel sicut Anima respectu corporis, quę proculdubio magis distant, sed sine medio conveniunt, quia hoc est actus, et illa potentia 2. de Anima, et ideo non est necesse, vt tale lumẽ iungatur potentię Animę per aliud, quia vbi quod, et quo stadũ est in quo, et sic excluditur processus in infinitum.

QVÆSTIO.

Quia Num 22. et in sequentibus Balaam dicitur Ariolus, et Magus et multa narrantur, quę ostendunt eũ prophetã dęmonũ, ẽcontra vero eius Prophetię habentur in auctoritate Sacrę Scripturę, et tenentur, vt verę: potest

quæri verum Prophetæ dæmo-

num aliquando vera prædicant.

Et videtur quod non. Primo quia ut dicit Ambro-
sius, omne verum à quocumque dicatur à
Spiritu Sancto est; sed Prophetæ Dæmonum non
loquuntur à spiritu Sancto, quia non est conven-
tio Christi ad Belial 2ª Cor. 6. ergo videtur,
quod tales nunquã vera prænunciant.

2º sicut veri Prophetæ inspirantur à spi-
ritu veritatis, ita Prophetæ dæmonũ inspirantur
ab spiritu mendacii secundũ illud 3. Reg. ultimo:
egrediar, et ero spiritus mendax in ore omniũ
Prophetarũ eius; sed Prophetæ inspirati à spiritu
Sancto nunquã loquuntur falsũ: ergo Prophetæ
Dæmonũ nunquã loquuntur verum.

3º Joa. 8 dicitur de diabolo, quod cum loqui-
tur mendaciũ ex propriis loquitur, quia diabolus
est mendax, et pater eius, id est mendacii; sed ins-
pirando Prophetas suos diabolus non loquitur,
nisi ex propriis, non enim constituitur minis-
ter Dei ad veritatẽ enunciandã, quia non est

conventio lucis ad tenebras 2. Cor. 6: ergo Prophetę Dęmonũ nunquã vera prędicunt.

Sed contra est, quod Num. 22 dicit quędã Glosa: Balaã divinus erat Dęmonũ, scilicet ministerio, et arte magica non nunquã futura prę-noscebat; sed ipse multa vera prenunciavit, sicut et illud quod habetur Num. 24: orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel: ergo etiã Prophetę Dę-monũ pronunciant vera.

Pro declaratione huius materię 1.° notandũ, quod sicut se habet bonũ in rebus, ita verum in cog-nitione. Impossibile est autẽ inveniri aliquid in rebus, quod totaliter bono privetur, unde impossibile est esse aliquã cognitionẽ, quę totaliter sit falsa abs-que admixtione alicuius veritatis; unde et Beda dicit, quod nulla doctrina adeo falsa est, quod non immis-ceat aliquando aliqua vera falsis, unde et ipsa doc-trina Dęmonũ, qua suos Prophetas instruunt, ali-qua vera continet perquę receptibilis redditur; sic enim intellectus ad falsũ deducitur per appa-rentiã veritatis, sicut voluntas ad malũ per appa-

rentiā bonitatis, vnde et Chrisostomus super Matthæū dicit: concessū est diabolo interdū verum dicere, vt mendacium suum raxa veritate commendet.

2.° notandum, quod Propheta dicitur, quasi procul fans, quia prænūciat illa, quæ sunt procul ab humana cognitione secundū statum naturæ; Quanto autē aliquis est subtilioris intellectus, tanto eius cognitio se extendit ad altiora ad quæ cognitio intellectus magis rudis non potest attingere, qui non nisi sensibilia, et grossa potest percipere; et si hoc est verum de diversis intellectibus eiusdē speciei, multo magis est verū in intellectibus diversarū specierum, cuiusmodi sunt intellectus Angelicus, et humanus, et ideo quum Angelus sit sublimioris, et dignioris naturæ cognitio eius ad multa se extendit ad quæ non potest attingere humana cognitio; naturalia autē in dæmonibus remāserūt integra, et ideo eorū cognitio naturalis ad plura se extendit, quā humana, cognitio autē bonorum Angelorū adhuc ad plura se extendit inquantū sūt illuminati lumine gratiæ, et diuinis revelationibus,

vnde patet, quod Dæmones à Deo permissi possũt hominibus aliquas veritates revelare eis incognitas; tum quia cognitio naturalis Dæmonũ ad plura se extendit, quã humana; tum quia secundum Augustinũ 2. sup. Gñ. ad lit. plura de supernaturalibus veritatibus sanctis Angelis aliquando revelantur, et aliquando Dæmonibus, quas à Deo permissi possũt vlterius hominibus revelare; Quum igitur per Dæmones fit hominibus revelatio, tales homines dicuntur Prophetæ Dæmonũ; Quum autem fit à Deo immediate, vel mediantibus sanctis Angelis dicuntur Prophetæ Dei.

3.º notandũ, quod talis revelatio differt à præcedenti, non solũ quantũ ad causã revelantẽ, sed etiã quantũ ad formã revelationis, quia revelatio facta à Deo, et Sanctis Angelis nullã falsitatẽ continere potest, sed illa quæ fit à Dæmonibus frequenter habet admixtã falsitatẽ, nam secundũ quod dicitur Ioa. 8.º ipse Dæmon mendax est, et pater mendacii, et ideo licet aliquando revelet hominibus aliquas veritates, hoc facit, vt efficacius decipiat,

vt ex pluribus veritatibus ab eo prędictis credatur ei postea falsitas, secundũ quod dicitur in collatio-nibus Patrũ collatione 2. Abbatis Moisis, quod Dęmon in specie Angeli boni cuidam fratri frequenter apparuit, et multas veritates ei dixit, et quando vidit illũ fratrẽ bene inclinatũ ad credendũ sibi, tunc ei suasit, vt se circumcideret asserens, quod aliter non poterat salvari.

4.° sciendum, quod bonitas hominis in charitate consistit per quã homo Deo unitur; quę-cumque ergo sine charitate esse possunt communiter inveniri possunt in bonis, et malis; In hoc enim divina bonitas pręcipue cõmendatur, quod tam bonis, quam malis vtitur ad suum propositũ implendũ, et ideo vtrisque scilicet, tam bonis quam malis illa bona largitur, quę ad charitatẽ necessariã dependentiã non habent; Prophetia autẽ non habet necessariã colligantiam cũ charitate propter duo; primo quia Prophetia est in intellectu, charitas in affectu, et sic Prophetia, et alię perfectiones intellectus non dependent ã

charitate, et hac ratione Fides, et Prophetia, et omnia eiusmodi in bonis, et malis esse possunt; secundo quia Prophetia datur alicui ad utilitatẽ ecclesię, et non propter se ipsũ; contingit autẽ aliquẽ utiliter quantũ ad aliquid deservire ecclesię, qui in se bonus non est, quasi Deo per charitatẽ coniunctus; unde et Prophetia, et operatio miraculorũ, et ecclesiastica ministeria, et alia huiusmodi, quę ad utilitatẽ Ecclesię conferuntur, inveniuntur quandoque sine charitate, quę sola facit homines bonos, et hoc fit ad cõmendationẽ veritatis revelatę, ut talis veritas testimoniũ habeat etiã ab adversariis veritatis ad bonũ aliorũ; et quod in malis possit esse Prophetiã sicut in Balaan, qui malus erat, patet Mathei 7. ubi ex persona damnatorũ dicitur: Domine nonne in nomine tuo prophetavimus, et Dominus respondebo illis nunquã novi vos; Item quicumque non habet charitatẽ, est malus; sed Prophetia potest esse in non habente charitatẽ, ut patet 1.ª Cor. 13. si habuero Prophetiam ergo etc.ª etiam patet per illud quod habetur 3. Reg. 13. de Prophetia

Idolorũ, qui seduxit Prophetã Domini, et postea facta est sibi revelatio ã Deo de morte illius Prophetę Domini, eo quod non obedierat voci eius.

Igitur circa Balaã dicendũ, quod fuit Propheta Dęmonũ, quia Ariolus, et Magus quęrens revelationes ã Dęmonibus; fuit etiam Propheta Domini, prędicto modo, scilicet in quantũ aliquę veritates fuerũt ei ã Domino revelatę, licet ipse ã Deo non quęreret, sed virtute divina fuit prohibitus Dęmon, ã quo quęrebat dare ei responsũ, et compulsus est pronunciare, quod nolebat, videlicet sanctitatem, et prosperitatẽ Populi Israel, quum tamẽ contrariũ desiderarent, ut ex sacra enarratione patet; Quod Deus fecit principaliter ad sui Gloriã subinde ad commendationẽ Populi Israel, cuius erat ductor apud hostes, et ad terrorẽ adversariorũ, et ad salutem Gentium, quę ex Prophetiis Balaam motę sunt postea ad quęrendũ Christũ natũ, ut habetur Mathęi 2. propter quę et alia similia sunt scriptę Prophetię eius in canonica scriptura.

Ex quibus patet responsio ad argumenta

in contrarium. Ad 1um. ergo dicendum, quod Prophetę Dęmonũ non semper loquuntur ex Dęmonũ revelatione, sed interdũ ex inspiratione Divina, sicut aperte patet de Balaã, cui narrat historia Num. 21. dominũ fuisse locutũ, licet esset Propheta Dęmonũ, quia Deus utitur etiam malis ad utilitatẽ bonorũ; unde et per Prophetas Dęmonũ aliqua vera prenunciantur; tum ut credibilior fiat veritas, quę etiã ex adversarii testimoniũ habet; tum etiã quia quum homines talia credũt per eorũ dicta magis ad veritatẽ inducũtur; unde etiã sybilę multa vera predixerũt de christo; sed etiam quando Prophetę Dęmonũ ã Dęmonibus instruuntur aliqua vera, quandoque predicũt virtute proprię naturę, cuius actor est Spiritus Sanctus, quandoque etiã revelatione bonorum spirituum, ut patet per Augustinũ 2. sup. Gen. ad lit. et sic etiã illud verbũ quod Dęmones enunciant, ã Spiritu sancto est.

Ad 2um. dicendum, quod verus Propheta semper inspiratur ab spiritu veritatis, in quo

nihil est falsitatis, et ideo nunquam dicit falsum; Propheta autem falsitatis non semper instruitur a spiritu falsitatis, sed quandoque etiam inspiratur a spiritu veritatis, unde spiritus falsitatis quandoque enunciat vera, quandoque falsa, ut dictum est.

Ad 3um dicendum quod propria Dæmonum dicuntur esse illa, quæ habent a se ipsis scilicet mendacia, et peccata, quæ autem pertinent ad propriam naturam non habent a se ipsis, sed a Deo, per virtutem autem propriæ naturæ quandoque vera prænunciant, ut dictum est, utitur etiam Deus ad veritatis manifestationem per ipsos fiendam, dum divina mysteria eis per Angelos revelantur, ut dictum est.

DEUTERONOMIUS

QUÆSTIO.

Super versu: hæc sunt verba, quæ locutus est Moises &c.a in principio Deuteronomii quæritur utrum Moises scripsit hunc librum.

Et videtur quod non, sed solum protulit verba, vel

sententiā, et Iosue, et alii senes memoriter ex
retinentes conscripserūt hunc librū post mortē
Moisi, et probatur hoc. Primo quia dicitur in
principio hæc sunt verba, quæ locutus est Moises,
et non dicitur, quæ scripsit.

2.° ex hoc, quod dicitur trans Iordanem,
ex quo videtur, quod liber fuerit scriptus trans
Iordanē; sed Moises Iordanē non transivit, vt
patet in fine huius libri, et in pluribus aliis locis:
ergo.

3.° eo quod in fine huius libri describi-
tur mors, et sepultura Moisi, quam ipse Moises
non potuit scribere.

In contrarium est, quod habetur Deute-
ron. 31: scripsit itaque Moises legem hanc,
et tradidit Sacerdotibus filiis Levi, qui
portabant archā fœderis Domini, et infra
eodem cap.° postquam autē scripsit Moises
verba legis huius in volumine, atque com-
plevit, præcepit Levitis, qui portabant archā fœ-
deris Domini dicens: tollite librū istū &.ª vnde

alii dicunt, quod Esdras scripsit principium, ac finem huius libri addendo verbis Moisi.

Sed hoc est contra illud quod dicitur in principio huius libri: hęc sunt verba, quę locutus est Moises ex quo patet quod non sunt verba Esdrę, sed Moisi propter quod dicunt Hębrei, quod totus iste liber fuit scriptus a Moise, excepto ultimo cap.° quod scripsit Iosue post mortē Moisi, ex sic ex circumstantiis literę concluditur factum.

Ad argumenta in contrariū. Ad primū dicendum, quod Moises verba libri huius, seu sententiā primo pronunciavit corā Populo per modum exhortationis, seu sermonis, et quantū ad hoc dicitur hęc sunt verba, quę locutus est Moises; sed postea scripsit ad memoriam in futurum.

Ad 2um. dicendum, quod magis facit pro hac parte, quia trans, et citra Iordanē accipitur in Sacra Scriptura respectu situs diversalē, et ideo illa pars, ubi habitabant duę

tribus cum dimidia, quæ fuit acquisita ante transitũ Jordanis vocatur trans Jordanẽ; quia Jordanes fluit medius inter ipsaũ, et reliquas aliã.

Ad 3um. dicendum, quod Josue scripsit ultimũ capitulũ, ut dictum est.

QVÆSTIO.

Super versu: Prophetam suscitabo eis de medio fratrũ suorũ similem tui, et ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi. Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo non audierit: ego ultor exsistam Deuteronomii 18: potest quæri, utrum hæc auctoritas intelligatur solum de Christo, an de alio vel aliis Prophetis.

Et videtur quod etiam intelligatur de alio, vel de aliis Prophetis. Primo quia Glosa Marginalis dicit, quod licet principaliter intelligitur de Christo, tamen etiã intelligitur de aliis.

2.º litera dicit suscitabo eis, scilicet Iudeis; sed Christus non erat solis eis venturus, sed etiam gentibus, ut patet Gen. 49. ipse erit expectatio gentiũ, et innumeris testibus aliis, et in Psalmo: postula ã me, et dabo tibi gentes, et Agei 2: veniet desideratus cunctis gentibus: ergo hęc auctoritas non intelligitur de solo christo.

3.º quia in dicta auctoritate dicitur similem tui; sed Iosue, et aliorũ Prophetarũ fuit maior similitudo ad Moisem, quam Christi ad Moisem: ergo de illis, et non de Christo solũ est dicta auctoritas intelligenda.

In contrarium est quia dicitur in dicta auctoritate: suscitabo de futuro, quod non potest intelligi de Moise, quia iam suscitatus erat, nec de Iosue, aut alio Propheta, quia nemo eorum fuit suscitatus ad dandũ legem, et quoad alia nemo eorũ fuit singularis, sicut litera videtur innuere: ergo de solo christo est intelligenda.

Item Stephanus Actuum 7.º dicit: hic est Moises, qui dixit filiis Israel Prophetam suscitabit

vobis Deus de fratribus vestris, tanquam meipsũ audietis. Glosa tanquã meipsũ, id est legislatorẽ novi testamenti, sicut ego veteris: ergo de solo christo intelligitur, quẽ suscitavit Dominus de medio fratrũ suorũ, scilicet de semine David.

Pro responsione notandũ, quod hęc auctoritas bipharia͂ ponitur in dicto cap.º 18. primo in persona Moysi, quum dicit Prophetã de gente tua, et de fratribus tuis, sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus ipsum audies, et hoc intelligitur de Josue, et aliis Prophetis sequentibus, prout habetur in Glosa interlineari.

2.º in persona Dei, quum dicitur Prophetam suscitabo eis &c.ª sicut in fronte quęstionis positum est, et hoc intelligitur de Christo tantũ prout etiã in Glosa interlineari habetur. Ratio autẽ huius diversitatis patet ex continuatione utriusque auctoritatis ad ea quę statim ante dicuntur nam secundũ Hillariũ intelligentia verborũ ex causis est assumenda dicendi; In primo enim loco intendebat Moises inducere

Populũ ad hoc quod futura contingentia, et alia huiusmodi, quorũ notitiã haberẽ, poterat conve-nire Populo, non quæreret scire ab ariolis, seu phitonibus, et huiusmodi, sicut aliæ gentes quære-bant, promittebat enim eis quod talia, quando oportuisset, potuissent scire per revelationẽ divinã, scilicet per Prophetam de propria gente, cui Deus ea revelaret, et sic sine præcepto scirẽt illa, et hoc est quod dicitur in Primo loco, perfectus eris, et absque macula cum Domino Deo tuo, hoc est dicere hanc perfectionẽ, scilicet sciendi abscondita absque macula, id est, sine peccato habebis cum Domino Deo tuo, et statim declarat de quibus hic loquitur dicens gentes istæ quarũ possidebitis terrã augures, et divinos audiunt, tu autem ã Domino Deo tuo aliter ins-tituttus es, scilicet ad habendum noticiam de ta-libus absconditis, et hoc quia Prophetã de gente tua, et fratribus tuis suscitabit tibi Dominus Deus tuus, scilicet per quẽ poteris scire prædic-ta quando opporteat, et consequenter addit aliud

quodammodo simile dicens, vt petisti à Domino

Deo tuo in Oreb &c. In quo loco inducit alium casũ

à primo in quo requiritur Propheta in Populo,

scilicet ad habendũ noticiã de lege Divina, et de

preceptis Dei ad hoc, vt vita Populi ordinaretur

secundũ legẽ divinã iuxta illud Proverb. 27. quum

deffecerit Prophetia dissipabitur Populus. et de

hoc dicit vt petisti à Domino Deo tuo in Oreb, idest,

non solũ providebit tibi Deus de Propheta reve-

lante tibi contingentia, et huiusmodi abscondita,

quę alię gentes per divinos, et Augures conantur

scire, sed etiã quod amplius est providebit tibi

de Propheta, qui absque terrore conturbante

docebit te Divinã legẽ, quod ad nullum Prophetã

veteris testamenti pertinuit, nisi ad solũ Moisẽ,

qui fuit legis lator veteris testamenti, et hoc est,

quod dicitur, et petisti à Domino Deo tuo in Oreb &c.;

Ibi enim quia Populus non poterat sustinere au-

ditũ terribilis vocis Domini, nec videre ignẽ ma-

ximum ibidẽ concurrentẽ ideo ad noticiã legis

habendam petierunt mediatorẽ per quem legem

Divinam tranquilius, et familiarius perciperet,

ut patet Exo. 20, quod fuit eis concessum; unde Deute-

ronomii 18 dicit Moises, et ait Dominus mihi bene

omnia sunt locuti Prophetam suscitabo eis &c.

Ex quibus satis superque constat, quod predicta

auctoritas de solo Christo Filio Virginis

Domino nostro est intelligenda;

" verum quoniam in tractatu, quem edidi, et

" predicavi Hispali de quinque articulis super

" hac auctoritate hoc plenissime, et copiosissime

" per auctoritates Sacre Scripture, ut res Fidei pro-

" tendi debent, probavi, ideo hic perpexci proli-

" xitati, et indulsi brevitati, remittens Lecto-

" rem ad illum locum, qui incipit Prophetam

" suscitabo, et que sequuntur.

Per hec autem patet responsio ad argumen-

ta. Ad Ium. dicendum, quod nos in hac dubietate

non sequimur Glosam Marginalem, sed Interli-

nealem, que potius hoc videtur innuere, maxi-

me quia videtur conformior circumstantiis

Littere, et Fidei maiorem favorem prestare.

Ad 2um. dicendum, quod non fuit nostra dubitatio utrum Christus venit propter Iudæos tantum, an propter Iudæos, et Gentiles; nam licet hunc errorem aliqui Iudæorum tenuerunt, quod propter eos solos Christus erat venturus; tamen Christus, et tota veteris, ac novi testamenti pagina canit contrarium. Unde et Petrus noster Actuum 10. dixit: in veritate comperi, quod non est acceptor personarum Deus, sed in omni gente &c.a Unde nulli debet esse dubium, quod primo, et principaliter venit pro eis, quia eis promissus in propria persona, et de eis natus in eis conversatus, sed ex consequenti venit pro toto genere humano ut universalem Redemptorem decebat, et perfectæ legi, quam tradidit, conducebat, et veritati scripturarum implendæ opus erat; unde et Dominus Matthæi ultimo præcepit prædicari Evangelium omni creaturæ et . . dixit alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, oportet me eas adducere, et erit unum ovile, et unus Pastor; et Apostolus . dicit: ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum,

quod dictũ exponens Augustinus sup. Psalmo 34 dicit:
venerunt etiam omnes gentes ad lapidem angularẽ
ibi osculũ pacis agnoverunt in illũ vnũ, qui de duobus
fecit vnũ non quemadmodũ heretici, qui de vno fe-
cerunt duos. Sed questio nostra erat, vtrum dicta aucc-
toritas: Prophetã suscitabo &c.ª intelligatur de solo
Christo Domino, et tenendũ est sic esse, vt ex dictis
constat.

Ad 3um. dicendum, quod nullus Propheta rũ
fuit ã Deo similis Moisi, sicut Christus Dominus
nam ille legis lator, christus legis lator, ille mi-
tissimus, Christus mitissimus, ille laboris, et
contradictionis patientissimus, hic omne genus
tribulationis etiã mortẽ accerbissimã non so-
lum pro Judeis, verum etiã pro omni populo per-
tulit, ille veritatẽ docuit, et errorẽ detestatus est, hic
legem gratię, et perfectionis hominũ mentibus in-
seruit, et tabulis cordis inscripsit, et omnẽ impietatẽ
evulsit radicitus, ille mirabiliũ operũ patrator, hic
miraculorũ, quę ad solũ Deũ pertinent verus, et
solus, ac perfectus auctor, ille Populũ de Egipto,

et Pharaonica manu eripuit, hic de Inferno, et Dæmonica potestate liberavit, ille Deũ per essentiam, et facie ad faciem in hoc saeculo vidit, hic vt verbũ ab æterno, et in quantũ homo ab instanti suæ conceptionis sine intermissione æternaliter vidit; hę similitudines, et aliæ non paucæ nemini Prophetarũ aliorũ fuerunt concessę, iccirco recte, vt alios excluderet in dicta auctoritate dixit similem tui, nec etiam singularis vindicta eis, qui alios non audierunt, sicut eis quotquot Christum non receperunt, contigit de qua in dicta auctoritate sequitur: Qui autẽ verba eius, quę loquetur in nomine meo audire noluerint, ego vltor existã iuxta illud Mathęi vltimo: qui autẽ non crediderit, condemnabitur, et ad dictã auctoritatẽ etiã refferendũ est illud Joan. 5: si crederetis Moisi, crederetis forsitam, et mihi, de me enim ille scripsit, scilicet, vt mihi crederetis, vnde in toto Penthateuco non legitur, quod Moises præciperet, vt crederetur Christo nisi solum in hoc loco.

Quæstio.

Super verum: quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, et non evenerit hoc Dominus non est locutus Deuteron. 18: potest quæri, utrum in Prophetia inveniatur immobilis veritas, vel si ea, quæ Profetice cognoscuntur, vel annunciantur possunt esse falsa.

Et videtur quod sic. Primo quia Prophetia est de futuris contingentibus; sed futura contingentia possunt non evenire alioquin non contingerent, sed ex necessitate contingerent: ergo Prophetiæ potest subesse falsū.

2°. Isaias prophetice prænunciavit Ezechiæ dicens: dispone domui tuæ, quia morieris tu, et non vives, et tamen postea additi sunt vitæ eius 15 anni, ut habetur 4 Reg. 20. et Isaiæ 38. similiter et Hieremiæ 18. dicit Dominus: repente loquar adversus gentē, et adversus Regnū, ut eradicem, et destruam, et disperdam illud si pœnitentiam

reverterit gens illa à malo suo, quod locutus sum ad-

versus eam agam, et ego pœnitentiam super malo,

quod cogitavi, ut facerem ei, et hoc apparet per

exemplum Ninivitarum secundum illud Jonę 3: mi-

sertus est Dominus super malitiam, quam dixit,

ut faceret eis, et non fecit: ergo Prophetię potest

subesse falsum.

3º omnis condicionalis, cuius antecedens

est necessarium absolute consequens est neces-

sarium absolute, quia ita se habet consequens

in condicionali ad antecedens, sicut conclusio ad

premissas in sillogismo; ex necessariis autem

nunquam contingit sillogizare, nisi necessarium,

ut probatur 1º Posterior(um); sed si Prophetię non

potest subesse falsum oportet hanc condiciona-

lem esse veram: Si aliquid est prophetatum, erit;

huius autem condicionalis antecedens est necessa-

rium absolute, quum sit de preterito: ergo et con-

sequens est necessarium absolute, quod inconve-

niens, et falsum est, quia sic Prophetia non

esset contingentium.

4.º si Prophetia habet immobilē veritatē, aut hoc erit ex parte Prophetę videntis, aut ex parte rei, quę videtur, aut ex parte speculi ęterni, ā quo derivatur; non autem ex parte videntis, quia cognitio humana variabilis est, nec ex parte rei visę, nec ex parte divinę Pręscientię, sive speculi; quia per hęc non imponitur neccessitas rei: ergo Prophetia nullo modo habet infallibilem veritatem. Sed forte dices, quod divina Pręscientia non imponit neccessitatē, quin aliter evenire possit, sed tamē quod pręscitur, aliter non eveniet, et hoc modo Prophetia habet immobilem veritatem; immobile enim dicitur secundum Philm. quod moveri non potest, vel quod difficile movetur. contra quod

5.º obiicitur: possibili posito in esse nihil impossibile sequitur, si igitur possibile est id quod est pręscitum, et prophetatū aliter se habere, si aliter se habere ponatur, nullū sequitur impossibile; sequitur autē Prophetiā habere mobilem veritatem: ergo Prophetia nullo

modo habet infallibilem veritatem.

6.° multa prædicunt Pseudo Prophetæ, quæ eveniunt, et è contra multa prædicunt veri Prophetæ, quæ non eveniunt, vt ex superioribus constat: ergo non est sufficiens signũ, quod ponitur in prædicta auctoritate, quum dicitur, quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, et non evenerit, hoc Dominus non est locutus.

In contrariũ est, quod Cassiodorus in principio Psalterii diffinit Prophetiam dicens: Prophetia est divina inspiratio, vel revelatio rerũ eventus immobili veritate denũcians; non autem esset immobilis veritas Prophetiæ, si posset ei falsũ subesse: ergo non potest ei subesse falsum.

2.° Prophetia est divinæ Præscientiæ signum, vt dicit Hieronimus; sed præscita in quantum subsunt præscientiæ, sunt necessaria: ergo et prophetata in quantum de illis est Prophetia: ergo Prophetia habet infallibilẽ veritatem de rebus mobilibus.

Pro declaratione huius materiæ 1.° notandum, quod Prophetia est quædam cognitio intellectui Prophetæ impressa ex revelatione divina per modũ cuiusdam doctrinæ; veritas autẽ cognitionis est eadẽ in discipulo, et in docente, quia cognitio addiscentis est similitudo cognitionis docentis, sicut in rebus naturalibus forma generati est quædam similitudo formæ generantis, per quẽ etiam modum Hieronimus dicit, quod Prophetia est quoddã signũ divinæ Præscientiæ: oportet igitur eamdem esse veritatem Propheticæ cognitionis, et enunciationis, quæ est cognitionis divinæ, cui impossibile est subesse falsum, unde Prophetiæ non potest subesse falsum.

2.° notandum quod in Prophetiã debemus duo considerare, scilicet res ipsas Propheticas, et cognitionẽ, quæ de illis habetur, et horum duorũ invenitur diversus ordo originis, ipsæ enim res prophetatæ sunt immediate ã causis mobilibus, sicut ã causis proximis; sed ã causa im-

mobili, sicut à causa remota; cognitio vero Prophetica est è converso, scilicet à Divina præscientia, sicut à causa proxima, à rebus vero Propheticis non dependet sicut à causa proxima, sed solū sicut eorū signū; omnis autē effectus in necessitate, et contingentiâ respicit causā proximā, et non causam primam, unde res ipsæ prophetatæ sunt mobiles; sed Prophetica cognitio est immobilis, sicut et Divina præscientia a qua derivatur, ut exemplatū ab exēplari; sicut enim ex hoc quod veritas intellectus est necessaria, sequitur, quod enunciatio, quæ est signū intellectus habeat necessariā veritatē, ita ex hoc ipso, quod Divina præscientia est immobilis, sequitur, quod Prophetia, quæ est signū eius, immobilē habeat veritatē.

3.° notandum quod Deus alio modo præscit futura, quam alii, unde circa futurorum cognitionē duo est considerare; primū ipsum ordinē causarū ad futuros effectus secundū exitū, sive executionē huius ordinis in hoc,

quod effectus actu procedunt ex suis causis;
quæcumque igitur virtus creata aliquam cog-
nitionẽ habet de futuris; sua cognitio non fer-
tur, nisi ad ordinẽ causarũ, sicut Medicus se-
cundũ hoc dicitur futuram mortẽ præscire in
quantũ scit naturalia principia esse ordinata
ad effectũ mortis, Quo etiã modo Astrologus
dicitur cognoscere futuras pluvias, aut ventos,
Unde si sint tales causæ, quorum effectus impe-
diri possunt, non semper eveniunt, quod sic præco-
citur esse futurũ, sed Deus non solũ cognoscit
futura ratione ordinis causarũ, sed quantum
ad ipsũ exitũ, vel executionẽ ordinis; cuius
ratio est, quia eius intuitus æternitate men-
suratur, quæ omnia tempora in uno nunc in-
divisibili comprehendit, unde uno simplici intu-
itu videt, et ad quid causæ sunt ordinatæ, et qua-
liter ordo ille impleatur, hoc autem creaturæ
est impossibile, cuius intuitus limitatur ad
aliquod tempus determinatum, unde cognoscit
illa, quæ sunt in illo tempore, quando adhuc sunt

futura, quæ non sunt nisi in ordine suarū causarum, unde sic solum à nobis præcognosci possūt, ut recte considerantibus apparet in hoc quod futura præscire dicimur magis præscientiam, quam futurorū scientiā habere, et sic remanet solius Dei vere propriū scire futura. Quandoque igitur à Divina præscientia derivatur Prophetia ratione ordinis causarū, quandoque vero ratione executionis, vel impletionis illius ordinis; Quū ergo fit Prophetica revelatio solum de ordine causarū, dicitur Prophetia comminationis, quæ etiā dicitur secundum præsentē Justitiā; tunc enim nihil aliud Prophetæ revelatur, nisi quid secundū ea, quæ tunc sunt ad hoc, vel illud est ordinatū.

Comminationis

Impletio vero ordinis causarū fit dupliciter; quandoque quidē ex sola operatione Divinæ virtutis, ut suscitatio Lazari, et conceptio Christi, et huiusmodi, et secundum hoc est Prophetia Prædestinationis, quia ut dicit Damascenus ea, quæ Deus prædestinat, non sunt in nobis, unde et prædestinatio, quasi quædam Dei præparatio dicitur,

Prædestinationis

hoc autem aliquis pręparat, quod facturus est ipse non quod alius; Quędam vero explentur operatione aliarũ causarũ, sive naturalium, sive voluntariarum, et hęc in quantũ per alias causas complentur, non sunt prędestinata, sunt tamen pręscita, vnde horũ dicitur esse Prophetiam secundum pręscientiã; Quia tamen Prophetia propter homines fit circa ea, quę per homines fiunt libero arbitrio, in his pręcipue Prophetia pręscientię consistit, vnde prętermissis aliis causis creatis Hieronimus Prophetiã Pręscientię notificans de solo libero arbitrio mentionem facit.

Et per hęc patet responsio ad argumenta in contrarium. Ad primũ dicendum, quod certitudo Pręscientię divinę non excludit contingentiam singularium futurorũ, quia fertur in ea secundũ quod sunt pręsentia, et iam determinata ad vnũ, et ideo etiam Prophetia, quę est divinę pręscientię similitudo impressa, vel signum sua immobili veritate futurorũ contingentiã non excludit.

Ad 2um. dicendum, quod Divina Praescientia respicit futura secundum duo, scilicet secundum quod sunt in se ipsis in quantum scilicet ipsa praesentialiter intuetur, et secundum quod sunt in suis causis, in quantum scilicet videt ordinem causarum ad effectus, et quamvis contingentia futura prout sunt in se ipsis, non sunt determinata ad unum, tamen prout sunt in suis causis, non ita sunt determinata, quin possint aliter evenire. Et quamvis ista duplex cognitio semper intellectui Divino coniungatur, non tamen coniungitur semper in revelatione Prophetica, quia impressio agentis non semper adequat eius virtutem; unde quandoque revelatio Prophetica est impressa quaedam similitudo Divinae Praescientiae, prout respicit ipsa futura contingentia in se ipsis, et talia sic eveniunt, sicut prophetantur secundum illud Isaiae 7. ecce virgo concipiet. Quandoque vero Prophetica revelatio est impressa similitudo Divinae Praescientiae, prout scilicet cognoscit ordinem causarum ad effectus, et tunc quandoque aliter evenit, quam

prophetetur, nec tamē Prophetię subest falsū. nam sensus Prophetię est quod inferiorū causarum dispositio sive naturalium, sive humanorum actuum hoc habet, vt talis effectus eveniat; et secundum hoc intelligitur verbū Isaię dicentis: morieris, et non vives, id est, dispositio tui corporis ad mortē ordinatur, et quod dicitur Ionę 3: adhuc 40 dies, et Ninive subvertetur, id est, hoc merita eius exigunt, vt subvertatur. Dicitur autē Deus pœnitere methaphorice in quantum ad modum pœnitentis se habet, prout scilicet mutat sententiā, licet non mutet consilium.

Pro cuius intelligentia Nota, quod consiliū Dei dicitur ipsa ęterna Dei dispositio, quę nunquam variatur, propter quod dicit Gregorius, quod Deus nunquā mutat consiliū. Sententia vero dicitur hoc ad quod aliquę causę ordinatę Consilium sententię tantū in Iudiciis ex causarū meritis proferuntur; Quandoque autem hoc, ad quod causę sunt ordinatę, est ā Deo ab ęterno dispositū, et tunc idem est Dei consilium, et sententia, Sētentia

Quandoque vero ad aliquid ordinatæ sunt causæ, quod non est à Deo ab æterno dispositū, et tunc Dei consiliū et sententia feruntur ad diversa: ex qo ex parte sententiæ, quæ respicit causas inferiores, invenitur mutabilitas, sed ex parte consilii semper invenitur immutabilitas; Prophetæ vero quandoque revelatur sententia conformis consilio, et tunc Prophetia habet immobilē veritatē quo ad eventum, Quandoque vero revelatur sententia non conformis consilio, et tunc habet immobilē veritatē quantū ad ordinē causarū, et non quantū ad eventū.

Ad 3um. dicendum, quod quia eadem est veritas Prophetiæ, et divinæ Præscientiæ hoc modo ista conditionalis est vera: si aliquid est prophetatū, erit, sicut ista: si aliquid est præscitū, erit; In utraque enim antecedens est impossibile non esse, unde et consequens est necessariū non secundum quod est futurū respectu nostri, sed ut consideratur in suo præsenti prout subditur Præscientiæ divinæ.

Ad 4um. dicendum, quod immobilitas Prophetiæ est ex parte speculi æterni non quod rebus prophetatis necessitatē imponat, sed quia Prophetia facit necessariā esse de rebus contingentibus, sicut et ipsa est.

Ad 5um. sunt duo modi dicendi, primus quod posito quod aliquid fit secundum præscientiam prophetatum, quamvis illud non esse in se sit possibile, tamen est impossibile, posito hoc, scilicet quod dicitur esse præscitū, Quia ex hoc ipso, quod ponitur præscitum, ponitur ita futurum esse, Quum præscientia ipsum eventum respiciat. Vel dicendum, quod possibile potest considerari dupliciter, scilicet absolute, et secundum propriā naturam, vel in comparatione ad scientiā, vel præscientiā, vel prædestinationē Dei; primus modus solet nominari in sensu diviso, et inquantū huiusmodi possibili posito in esse non sequitur inconveniens; secundus modus dicitur in sensu composito, quo modo licet possibile, vel contingens secundū

suam naturã sit variabile tamen, quia ut

est in scientia, vel pręscientia, vel prędes-

tinatione Dei non est proprie futurũ, nec

contingens, sed pręsens, et ut ita dixerim

necessarium, ideo, ut sic non est variabile,

vel possibile, aut contingens ad utramque

partẽ, et tale, ut scitum, vel pręscitũ, vel pre-

destinatũ non potest poni in esse, quia implicat.

Ad 6um. dicendum, quod falsitas Pro-

phetę duobus modis deprehenditur; uno modo quando

non evenit, quod prędixit; sed instas hoc etiã

contingit veris Prophetis, ut de Esaia, et Jona

dictum est; dico, quod non est par modus; nam

quando Propheta verus aliquid pręnunciat,

et non evenit propter mutationẽ causę, hoc

ipsũ consequenter revelatur ipsi Prophetę,

sicut Esaię post denunciationẽ mortis Eze-

chię dictum fuit ã Domino; vade, et dic Ezechię,

hęc dicit Dominus Deus, audivi orationem

tuã, et vidi lachrimas tuas, ecce ego adiiciã

super dies tuos 15 annos, et eodem modo ipsi Jonę

fuit revelata miseratio Domini super Ninivitas propter eorum pœnitentiam, quod non contingit Pseudo Prophetis; et sic etiam innotescit per immutationem causæ proximæ effectus futuri, sicut pœnitentia Ninivitarum fuit omnibus nota; ex qua notitia poterat convenienter videri, quod subversio civitatis pro tunc fuerit revocata; et similiter potest dici de fletu, et precibus Ezechiæ juxta illud Hieremiæ 18: repente loquar adversus gentem &c.a ut in 2.o argumento positum est, quod non contingit quando non evenit, quod Pseudo Propheta prædixit; Secundo modo deprehenditur falsitas Prophetæ quando etiam si evenerit, quod prænunciavit, tamen intendit malum, scilicet avertere aliquem a Deo, et trahere ad peccatum, de quo Deuteron. 13. Sed instas: Immolatio in excelsis fuit illicita post ædificationem Templi, et tamen Elias tunc induxit Populum Israel, ut fieret immolatio in monte Carmeli, ut habetur 3. Reg. 18. nec tamen propter hoc reputatus est Propheta falsus; Dicendum, quod immolatio

in excelsis non fuit illicita simpliciter, aliter peccasset Abrahã immolans arietē pro Isaac in in monte. Gen. 22. et Salomon immolans victimas in Gabaon 3. Reg. 3. quod patet falsum, quia in vtraque immolatione facta est revelatio Domini; sed immolatio in excelsis solū fuit illicita, quia prohibita; Ratio autē prohibitionis fuit, quia si extra Templū immolasset pro libitu suo voluntatis, potuisset esse occasio declinandi ad Idolatriam, et ideo immolatio in excelsis erat dispensabilis in casu opposito, scilicet ad destructionē Idolatriç, et ad confirmationē latriç, et hoc modo Elias divinitus inspiratus immolavit Domino in monte Carmeli ad Idolatriç cultus Baal destructionē, et ad confirmationē Populi Israel in suis veri Dei Fidē, et cultum, et in talibus credendū est Prophetç; si autē vellet inducere ad aliquid quod esset simpliciter malū, et propter hoc prohibitū, sicut furari, occidere innocentē, et adulterari, et consimilia, nullomodo esset credendū ei, sed esset sicut falsus Propheta occidendus;

ut præcipitur Deuteron. 13. Vel potest dici, quod vero Prophetæ credendum est quandoque etiam si faciat aliquid, quod est prohibitũ, quia malũ, dum tamen sit notus, ut verus Propheta Domini ex evidentibus signis, et præterita experientia, dum tamen non asserat hoc esse licitum simpliciter, sed pro tunc, et ex causa emergente, et hoc modo dicunt aliqui, quod Helias in monte Carmeli immolavit asserens ex parte Dei, quod tunc illa immolatio erat fienda in tali casu, sed non alias; si autẽ Propheta assereret, quod aliquid in lege prohibitũ esset licitum simpliciter, etiam si esset de his, quæ sunt mala, quia prohibita, et non esset notus, ut verus, et veri Dei Propheta, tunc esset occidendus, ut dictum est, et pro hac opinione facit, quod Propheta Oseas accepit mulierẽ adulteram iussu Domini Oseę 3. et Moises ex parte Domini præcepit Populo, quod peteret à vicino V.a Cetamẽ adulteriũ, et furtũ prohibita sũt, quia mala, et contra Dei præcepta negativa, et secundæ tabulę.

QVÆSTIO

Super verum: scribet libellū repudii, et dabit in manu illius, et dimittet eam de domo sua Deuteron. 24:

poterit quæri, utrum in lege veteri fuit licitum repudiatio uxoris:

Et videtur quod fuit licitum. Primo, quia unus modus conveniendi est non prohibere, quum quis prohibere possit, convenire autē illicito est illicitū quum ergo Moises non prohibuerit uxoris repudiū, nec peccaverit, quia lex sancta est, ut dicitur Rom. 7. videtur quod repudium tunc fuerit licitum.

2.° Prophetæ locuti sunt spiritu sancto inspirati. 2. Pe. 1. sed Mala. 3 dicitur: si odio habueris eā, dimitte eā: ergo quū illud quod spiritus sanctus inspirat non sit illicitū, videtur quod repudiū uxoris non semper fuerit illicitū.

3.° Chrisostomus dicit, quod sicut Apostoli permiserūt secundas nuptias, ita Moises permisit libellū repudii; sed secundæ nuptiæ

non sunt peccatū: ergo nec repudiū uxoris sub lege Moisi.

4°. nam in capitulo omnis res extra de regulis Iuris dicitur omnis res per quascumque causas nascitur per easdē dissolvitur; sed matrimoniū nascitur per consensū mutuum: ergo potest dissolvi per mutuū dissensū.

5° in ~~capitulo~~ si cuius 32 dist. dicitur: si in clericatu marito constituto uxor adulteravit dato repudio eā dimittere debet: ergo repudiū est licitū in lege evangelica, et per locū ā minori magis licitū fuit in lege Mosaica.

In contrariū est illa sententia Domini Mathei 19, quod libellus repudii datus est ā Moise Iudæis propter duritiā cordis eorū; sed duritia cordis eorū non excusabat eos ā peccato: ergo nec lex de libello repudii.

Secundo, quia Chrisostomus dicit Mathei 2. quod Moises dando libellū repudii non Iustitiā Dei monstravit, ut quasi per legem ā gentibus peccatū non videatur esse peccatum.

3.° quia repudiatio videtur esse contra legẽ naturę, quã Gñ. 2. Adam promulgavit, adhærebit inquit homo uxori suę, ex qua conclu-dit Christus: quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.

4.° contractus matrimonii est essenti-aliter datio potestatis proprii corporis, alteri irrevocabiliter pro potestate corporis illius al-terius: ergo nulla accomodatio, vel datio ad tem-pus potest esse matrimoniũ; sed si repudiatio est licita, talis contractus non est nisi ad tem-pus, quia si perpetuo fuisset: ergo repudiata maneret uxor, et tunc illicite dimitteretur: Se-quitur ergo quod si repudiũ fuit licitũ in lege, quod ibi nullũ fuit matrimoniũ.

5.° nunquam licuit mulieri repudiare virũ: ergo nec ẽ converso, cum quantũ ad ea, quę sunt coniugii par sit utriusque conditio.

Pro responsione 1.° est notandum, quod ubi nostra translatio habet, et non invenerit gratiã ante oculos eius propter aliquam foedi-

tatē Deuteron. 24. in Hebræo habetur propter
rem turpē: causæ autē propter quas vir poterat
dimittere vxorē, erāt plures; Salvator autē po-
nit vnā solam scilicet fornicationē Matthei 5;
Licet enim in dicto loco scilicet Deuteron. 24 non
invenire gratiā, vel haberi odio dicatur causa
repudiationis, quia tamē vxor non habetur
odio, nisi propter aliquā causā, ideo oportet re-
ducere repudiationē ad aliquā specialē causam,
quæ potest esse multiplex. Vnde quidā dixerunt, quod
fœditas potuit esse. Infirmitas, vel aliqua nota-
bilis macula in corpore, vel in Anima, sicut
fornicatio occulta, vel aliquid aliud, quod in mori-
bus deformitatē facit. Alii autē restringunt
hanc causas satis probabiliter dicentes, quod non
poterat vir repudiare vxorē, nisi ob aliquā causā
post matrimoniū supervenientē; nec etiam prop-
ter quamlibet talē, sed propter illā solā, quæ potest
bonū prolis impedire, vel in corpore, vt sterilitas,
lepra, morbus caducus, et similia; vel in Anima,
vt si vxor esset malis moribus, quos filii, et filiæ

ex materna conversatione imitarentur.

2.º notandum secundũ sanctũ Thomam 4 Sent. dist. 33. et Scotũ, et alios doctores Theologica communiter, quod circa hanc quęstionẽ vtrũ repudiũ in lege fuit licitũ, fuit duplex opinio; Quidã enim dicunt, quod illi qui sub lege vxorẽ dato libello repudii dimittebant, non excusabantur ã peccato, quamvis excusarentur ã pęna secundũ leges infligenda, quapropter dicitur Moisẽ libellũ repudii permisisse; vnde ponunt isti quatuor modos permissionis. Primus est per privationẽ pręceptionis, sicut quando maius bonũ non prę-cipitur, minus bonũ intelligitur permissũ, sicut Apostolus non pręcipiendo Virginitatẽ, permisit matrimoniũ 1.ª Cor. 7. Secundus modus est per privationẽ prohibitionis, sicut venialia dicuntur permissa, quia non sunt prohibita. Tertius per privationẽ cohibitionis, aut impeditionis, et sic omnia mala culpę, et infortunia dicuntur permitti ã Deo in quantum ea non cohibet, aut impedit, quũ id facere possit. Quartus

per privationē punitionis, et sic libellus repudii fuit lege permissus, non quidē propter aliquod maius bonū consequendū, sicut fuit dispensatio de pluribus vxoribus habendis, sed propter maius malū evitandū, scilicet vxoricidiū, ad quod Iudei erant proni, propter corruptionē irascibilis. sicut fuit eis permissum fenerari extraneis propter corruptionē concupiscibilis, ne scilicet fratribus suis fenerarentur Deuteron. 23, dare tamen alieno ad vsurā nunquā fuit licitū, vt communiter omnes Doctores catholici tenent, et etiam Phūs. 5 Ethic. dicit, quod est contra naturā, vnde repudiū nunquā fuit licitum, sed permissū propter corruptionē irascibilis Iudęorū, sicut propter corruptionē suspicionis in rationali fuit permissū sacrificiū zelotipię, ne sola suspicio apud eos Iudiciū corrumperet, et sic patet, quod repudiatio fuit in lege permissa non tamen licita. Quod etiam probatur ex responsione Christi ad questionē Pharisęorū quando enim obiicerēt, Quur ergo mandavit Moises dare libellū repudii, et dimittere,

ait illis quoniam Moises ad duritiã cordis vestri permisit dimittere vxores vestras, hoc autẽ ab initio non fuit; et Glosa interlinealis super verbo permisit, dicit, Moises, non Deus, et addit, quod fuit consilium hominis, non Dei; et Magister sentent. in 4.º dis. 33. cap.º 2. dicit: hoc fuit à Moise permissũ, non vt concederetur dissidiũ, sed vt tolleretur homicidiũ; et Augustinus in libro de sermone Domini in Monte dicit, non præcepit, vt vxor dimittatur, sed qui dimiserit, inquit, det libellũ repudii, vt iracundiæ temerariã eiiciendi vxorẽ libelli cogitatio temperaret, quod intelligi potest eo modo quo Ambrosius præcepit Theodosio; nam propter quandã crudelitatẽ ex præcepto eius contra Cesarienses impetuose perpetratã voluit Ambrosius, vt ipse legẽ conderet, ne quis ministers eius præcepta crudelia infra 30 dies exequeretur, vt si forte infra illud tempus ira eius conquiesceret, et paccato animo sententiam temperaret; et subdit Augustinus in eodem loco de legislatore, qui prius dimittendi quæsivit morã

signavit quantū potuit duris hominibus se nolle dividiū, et extra cā . . . de divortiis dicitur: repudiū uxoris veritas evangelii reprobavit.

3º notandū, quod lex vetus quamvis gratiam non conferret tamen ad hoc data erat, ut peccatū ostenderet, ut communiter dicunt Sancti; unde Rō 7. dicitur peccatū non cognovi, nisi per legē; Et iterū Apostolus dicit: . . . concupiscentiā nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces; unde quibusdā videtur, quod si repudiatio fuisset illicita, fuisset Populo talē peccatū annūciatū per legem, aut aliquem Prophetarū, maxime admonente Domino Esa. 58: annuncia Populo meo peccata eorū, alias viderētur esse nimis remissi, si quæ erant necessaria ad salutē, quæ ex se non cognoscebantur nunquā, et nunquā nūciassēt eis, Quod dici non potest, quum Iustitia tempore suo observata vitā merebatur æternā, et propter hoc dicunt, quod quamvis repudiare uxorē per se sit malū, tamē ex permissione Divina fiebat licitū, et hoc confirmant auctoritate

Chrisostomi, qui dicit, quod à peccato abstulit culpã legis lator quando permisit repudiũ. Confirmatur ab eis sic: Moises pronunciauit legem Dei, vnde quos ipse vt legis lator pronunciauit, et coniũxit, Deus coniunxit, et quos separauit, Deus, separauit, qui potest separare matrimonialiter coniunctas. Item secundũ Augustinũ in prima epistola ad Hieronimũ, et ponitur in cã. . . . . 9. dist. si ad sacras scripturas admissa fuerint officiosa mendacia, quid in eis remanebit auctoritatis, quia quæcumque auctoritas afferatur ad confutandũ heresim respondebit hæreticus illud dictũ fuisse iocose: ergo à simili, si aliqua concessio in scriptura de aliquo illicito, sicut ista admittatur, sequitur, quod nulla concessio simpliciter habebit auctoritatẽ faciendi concessũ licitum, quod est inconueniens. Item lex iusta non debet directe dare occasionẽ peccandi mortaliter; sed repudiandi concessio videbatur directe esse occasio Iudeis dimittendi vxores; si enim hoc non fuisset scriptũ, non magis dimisissent, quam

patres ante legem Moisi: ergo hoc non erat peccatū mortale, vel lex non erat iusta. Item maius malū est Vxoricidiū, quā dissolubilitas, quia illud esset magnū malū pęnę vxoris interfectę, et grave malū culpę interficientis, et esset malū toti Reipublicę, quia occasio continuę discordię, et pugnę, propter irā parentū vxoris ad interfectorē, et in hoc continua familię dissipatio, quia viro interfecto ab adversariis, vel ā lege destrueretur familia eius, et educatio. Sic ergo dicunt, quōd sicut Deus dispensauit in bigamia cum Abraam, Iacob, et Dauid propter maius bonū, scilicet augmentū cultus Divini, et colentiū verū Deū, sic dispensauit cum ista gente in repudio propter maius malū vitandum.

Habes duplicē opinionē circa quęsitū, et quibus vtraque nititur rationibus, haud dubie vtraque est probabilis, sed prima est cōmunior, et nisi fallor probabilior, et ideo mihi magis placet. Verum pro honore vtriusque partis singulis argumentationibus respondebimus.

Ad 1um. contra primam opinionē dicendū, quod aliquis, qui potest prohibere, non peccat, si a prohibitione abstineat, non sperans correctionē, sed maius malū existimans ex tali prohibitione occasionē sumere, et sic accidit Moisi, Vnde divina auctoritate fretus libellū repudii non prohibuit.

Ad 2um. dicendum, quod Prophetę spiritu sancto inspirati, non dicebant dimittendā esse uxorē, quasi Spiritus sancti preceptum sit, sed quasi permissū, ne peiora mala fierent.

Ad 3um. dicendum, quod illa permissioni similitudo non est intelligenda quantum ad omnia, sed solū quantum ad causā eandē, quia utraque permissio ad vitandā turpitudinē facta est. Vel potest dici, quod contractus secundarū nuptiarū improprie, vel large vocatur permissio in quantū consiliū, quod datur de maiori bono timore, ne maius bonū male convertetur, vocatur permissio, et sic Apostolus consuluit, vel permisit large

loquendo iuniores viduas nubere 1.ª Tim. 5. et hoc est respectu licito, non sic autẽ permissio maioris boni ad vitandũ malum.

Ad 4.um dicendũ, quod illa regula praecise vera est de dissolubilibus cuius modi non est dicta obligatio; posset etiam dici ad minorem, quod obligatio ista innascitur ex voluntatibus contrahentiũ, tanquã ex causa instrumentali, tamen principaliter ex divina ordinatione; et illa regula non debet intelligi tantũ in causis instrumentalibus; unde ex causa principali concludit Christus Matthęi 19. inseparabilitatem matrimonii dicens: quos Deus coniunxit, homo non separet.

Ad 5.um dicendum, quod illud decretum intelligitur, quod eam dimittere debet, non divortio repudii simpliciter ita quod ipsa possit cum alio contrahere, sed divortio repudii secundũ quid, scilicet quo ad thorũ. et sic patet responsio ad 5. argumenta pro prima opinione.

Ad primũ argumentũ secundæ opinionis potest dici secundũ S. Thomã in 1.° dist. 33. q. 2. a. 2. q.^{la} 2. ad 1um. quod quamvis duritia cordis non excusaret à peccato, tamẽ permissio ex duritia facta excusat; quædã enim prohibentur sanis, quæ non prohibentur infirmis corporaliter; nec tamen infirmi peccant permissione sibi facta utentes. Sed Scotus in 4 dist. eadẽ q. 3. sic dicit: ad aliud de responsione Christi ad Pharisæos, quum dixit ad duritiã cordis vestri permisit, quod multi ponderant; unde, et dicunt, quod fuit tantũ permissio, non concessio; unde dicunt, quod Christus permisit, idest, intelligunt, quod Moises hoc non præcepit, nec consuluit, nec aprobauit, sed tanquã ex quadã necessitate licitũ non prohibuit, nec hæc est solum permissio rei illicitæ, tunc enim nihil aliud esset dicere, nisi quod Moises permitteret eos ire ad damnationẽ, et non nunciaret eis talẽ esse damnationis viã, imo magis insinuaret eis oppositũ, quod nemo legis lator

etiam in legibus humanis potuit iuste facere, quę multa mala dimittunt inulta secundum Augustinum 1º de libero arbitrio; nam etiam si legislator non puniat omne malum, et ita dicatur permittere, quia non punit, tamen nullo modo in lege sua illud concedit, unde iniusta esset lex humana, vel eius lator, qui, vel quę scriberet aliquid, quod esset contra illam legem; Quod autem additur ibi ad duritiam cordis vestri, non concludit hoc esse illicitum, quia frequenter duritia subditorum est causa, ut aliquid relaxetur eis, quod alias esset eis utile non relaxari, si essent tractabiles, sicut Prelatus videns collegium pronum ad aliquid cuius oppositum servare esset honestius, et utilius, et si posset illud oppositum statuere utiliter, si subditi essent faciliter inclinabiles, potest tamen non statuere, vel si statutum est relaxare, et hoc iuste ne stante illo ipsi multiplicius peccent.

Ad 2um dicendum, quod aliquid bonum potest intermitti dupliciter; uno modo propter

aliquod maius bonũ consequendũ, et tunc in termino illius boni ex ordine ad maius bonũ accipit honestatẽ, sicut intermittebatur singularitas uxoris honeste ã Jacob propter bonũ prolis; Alio modo bonũ aliquod intermittitur ad vitandũ maius malũ, et tunc si auctoritate eius, qui dispensare potest, hoc fiat, reatũ talis boni intermissio non habet, sed nec etiã honestatem acquirit, et sic indivisibilitas matrimonii in lege Moisi intermittebatur propter maius malũ vitandũ, scilicet uxoricidium, et ideo Chrisostomus dicit, quod ã peccato abstulit culpã. Quãvis enim inordinatio maneret in repudio, ex qua peccatũ dicitur, tamen reatum pęnę non habebat, nec temporalis, nec perpetuę in quantũ divina dispensatione fiebat, et sic erat ab eo culpa ablata, et ideo etiã ipse ibidẽ dicit, quod permissũ est repudiũ non malũ quidem, tamen illicitum; Quod quidẽ illi qui sunt de prima opinione referũt ad hoc tantũ, quod non habebat reatũ temporalis pęnę. Vel aliis verbis potest dici, quod aliquid esse

illicitũ, quod tamẽ lege permittitur, ostenditur duplicitem; uno modo per Prophetam a Spiritu sancto loquentẽ, et hoc modo usuram esse illicitã etiam cum extraneis David Propheta ostendit dicens: Domine quis habitabit in tabernaculo &ca et addit: qui pecuniam suã non dedit ad usuram, Glosa dicit etiã Gentili; Alio modo potest ostendi illicitũ per communẽ observationẽ bonorum, quia consuetudo est optima legum interpres, et intelligitur consuetudo bonorum usus, non abusus, et sic repudiũ ostenditur illicitũ, quia nullus eorũ, qui in scriptura commendantur, legitur hoc fecisse, nisi de mandato vel instinctu divino; sicut de mandato Dei Abraã emisit Agar; quia Deus potest matrimonia coniungere, et dissolvere, prout sibi placet.

Ad 3um dicendum, quod Christus promulgavit illud pro tempore legis suę, scilicet evangelicę, ita quod sicut ipse reduxit matrimonium in eũ modum, quo institutum fuit in lege naturę, ut scilicet esset unius cum una, quum tamen in lege Mosaica esset licita bigamia, ita etiam

reduxit matrimoniũ simpliciter perfectum, id est, indissolubile pro lege sua, sicut institutũ fuerat in lege naturę, et sic pro lege sua irritat contractũ illũ, qui licuit pro lege Mosaica, qui erat accomodatio corporũ ad tempus ad procurationẽ prolis, quousque scilicet mulier esset non gratiosa in oculis viri; sicut et multas alias imperfectiones licitas sub Moise evacuavit Christus reducendo eas, quę erant permansura ad perfectiones in lege sua. Ad probationẽ ex ϼ Christi patet, quod loquitur pro lege naturę, et in hoc sufficienter reffellit Pharisęos, quod non observabant matrimoniũ, quod erat in lege naturę, et ostendebat se rationabiliter statuere inseparabilitatẽ pro lege sua, quia hoc consonũ est primę institutioni in lege naturę.

Ad 4um. concedo quod matrimoniũ simpliciter est obligatio perpetua, sed matrimonium secundũ quid potest esse obligatio ad aliquod tempus, licet non perpetua, et sic concedo, quod in lege Mosaica non fuit aliquod matrimonium

simpliciter, nisi aliqui forte ultra perfectionē legis voluissent se obligare perpetuo, quod non oportebat inquantū contrahebant coniugium in illa lege. Vel posset dici, quod si tunc fuit matrimoniū simpliciter, et ita obligatio indissolubilis, verū est nisi legis lator revocaret, vel dispensaret; dispensauit autē quando mulier nimis displicebat viro adeo ut timeretur uxoricidium, sicut de matrimonio rato non consumato, quod dissolvitur per Religionis ingressū, et tamē fuit simpliciter matrimonium, non tantū accomodatio ad tempus, sed legis lator dispensat in tali casu propter maius bonū consequendū; hic autem propter maius malum vitandum.

Ad 5um. dicendum, quod non est simile, quia non est similis ratio dispensandi; non enim tantum timeretur, si mulier odiret virum, sicut ē converso; quia ipse sexus cohibet ā vindicta exteriori, magis quā virum.

QVÆSTIO.

Super verbo: non occidentur pa-
tres pro filiis, nec filii pro patribus,
sed unusquisque pro peccato suo mo-
rietur Deuteron. 24: potest quaeri, utrum
patres possint puniri, vel occi-
di pro filiis, et e contra.

Et videtur quod possint. Primo per illud Exo.
20: Ego sum Deus zelotes visitans iniquitatem
patrum in filios usque in tertiam, et quartam gene-
rationem his, qui oderunt me, et loquitur ibi de
visitatione punitionis, quae per poenam fit: ergo filii
puniuntur pro peccatis parentum. sed posses dicere,
quod intelligitur tantum de his, qui parentum pec-
cata imitantur, ut litera subdit. Contra hoc
arguitur.

2° ipsa imitatio, qua quis peccatorem
imitatur, peccatum quoddam est, nec est pecca-
tum imitati, sed imitantis: si ergo pro hoc pu-
niantur filii, quod peccata patrum imitantur;
non peccata patrum visitat Deus, sed peccata
propria.

3.º non magis peccat, qui imitatur pa-
trem in aliquo genere peccati, quam ipse pater
peccaverit in eodem peccato, imo forte minus;
quia habet maius incitamentum ad peccandum, sci-
licet exemplũ patris; sed qui plus non peccat plus
non debet puniri: si ergo pater pro illo peccato tem-
poraliter punitus non fuit, iniustũ est, ut pro eius
imitatione filius puniatur: si ergo punitur, vide-
tur quod pro utroque peccato filius puniatur, sci-
licet proprio, et patris.

4.º Iustitia humana exemplata est à
Divina; sed secundũ humanã Iustitiam filii pro
peccato parentũ exhæredantur: ergo et secundũ
Divinã Iustitiã filii pro peccatis patrũ puni-
untur.

5.º magis est coniunctus filius patri, quã
Populus Regi; sed pro peccato Regis Populus puni-
tur, ut patet 2. Reg. ult.º quando David Populũ
numeravit: ergo multo fortius pro peccato pa-
rentũ filii puniuntur.

6.º quia secundum Iura civilia non re-

probata aliquando pro crimine lesę Maiestatis interficiuntur subditi pro peccatis Dominorum, et filii pro peccatis parentũ, propter quod videtur, quod in aliquibus casibus possunt filii, etiam innocentes pro peccatis parentũ interfici. Sed forte dices, quod leges humanę aliqua instituunt, et etiã exequuntur, quę secundũ legẽ Divinã damnantur secundũ quã non licet occidere filios pro delictis parentũ, nisi forte de speciali mandato Domini mortis, et vitę. Contra hoc.

7° quia in sacra scriptura inveniuntur filii quantumcumque parvuli, et innocentes pro peccatis parentũ interfecti; nec habetur expresse, quod hoc fuerit de speciali mandato Dei, sicut habetur Josue 7. quod Achor cum filiis, et filiabus interfectus fuit, tamen non invenitur, quod fuerint conscii de furto patris, aut quod Dominus preceperit eos lapidari. Item Judicum 20 dicitur, quod 10 tribus pugnantes contra tribum Beniamin interfecerunt mulieres, et parvulos pro peccato parentum; nec tamẽ habetur, quod

Deus præceperit parvulos interfici. Item ibidẽ cã 21. dicitur, quod 11 tribus prædictę miserunt ad interficiendũ viros Jabes Galaath cum mulieribus, et parvulis, exceptis mulieribus, quę viros non cognoverant; nec legitur, quod Dominus præceperit, nec scriptura factum eorum reprehendit.

In contrariũ est textus sacrę scripturę in fronte quęstionis positus. Itẽ Ezechielis 18: filius non portabit iniquitatẽ patris, portaret autẽ sũ pro eius scelere penam subire: Ergo filii pro peccatis parentũ non sunt puniendi.

2.° pęna respondet culpę; sed culpa actualis patris non transfunditur in filium: Ergo iniustũ est, quod pro culpa patris filius puniatur.

Pro responsione ad quęstionẽ V.° est notandum secundum Sanctũ Thomã 2. Sent. dist. 33. q.1. a.2. quod filius potest dupliciter considerari, scilicet in quantũ est persona quędã, vel in quantum est

quędam res parentis. Quia ad felicitatē civilem
inter alia bona fortunę, quę consequuntur ordi-
nem etiā plater conferri dicitur 1°. Ethic. est autē
filius res quędā parentis, quantū ad corpus quod
ā patre habet, et quantum ad res mundi de quibus
filius patrem iuvare tenetur, sed quantū ad Ani-
mā, quę immediate ā Deo creatur non est res pa-
rentis, sed ipsius Dei, et hoc significatur Ezech. 18:
sicut Anima Patris mea est, ita et Anima filii.
Vnde sciendū est, quod duplex pęna consequitur
peccatū. vna per se, quę ad Animā pertinet
in pręsenti, vt amissio gratię, et turbatio con-
scientię, et huiusmodi, et in futuro, vt pęna infer-
ni, et huiusmodi pęnis nunquā filius pro peccato
patris punitur, quia talis pęna non contigerit
ei, vt est res patri. Alia pęna consequitur peccatū,
quasi per accidens, sicut infirmitates corpora-
les, et alię pęnę temporales, vnde nec etiā sem-
per peccantibus tales pęnę infliguntur, sed secun-
dum moderationē Divinę Providentię cuncta gu-
bernantis, et tali pęna quandoque punitur filius

pro peccato patris, nisi fiat impedimentum ex parte filii, scilicet, ut contrarium peccato patris exercitat per bonam vitam, hæc enim pęna contingit ipsum secundum quod est res patris, sicut etiam pro peccato hominis quandoque occiduntur animalia, et effodiuntur domus in quibus nulla est culpa. Hæc ille.

2.° notandum secundum alios, quod quadruplex potest dici mors, scilicet corporalis, spiritualis, temporalis, et ęterna; dicunt igitur isti quod morte spirituali, scilicet per privatione gratię, vel separatione ab Ecclesia nec filius pro patre, nec pater pro filio puniri potest. Unde Augustinus ad Auxentium episcopum, et habetur in cap. si habes 24. q. 3. si tibi quam iuste id fiat, ut filius pro patre excommunicetur Dominus revelavit nequaquam iuvenilem ętatem tuam, et honoris ecclesiastici rudimenta contemno. Nec etiam poena ęterna, unde Ezechielis 18. Anima, quę peccaverit, ipsa morietur, et addunt, quod morte corporali, et temporali interficitur aliquando filius pro peccato

patris, et e converso sicut clarius infra dicetur.
Sed licet aliquando, et aliquo modo hoc sit verum,
non tamen videtur valere ad propositum. quia lex
dicta non occidentur patres pro filiis, et e converso
est ad informationem Judicum temporalium, ad quos
non spectat imponere poenam spiritualem, vel aeter-
nam, et ideo frustra diceretur eis non occidentur
patres pro filiis &c. Et ideo dicunt alii, quod
Judicibus temporalibus non licet filios interfi-
cere pro peccatis parentum, ut in auctoritate:
non occidetur &c. dictum est, nisi essent participes
criminis, quo casu non tantum interficerentur
pro peccato alterius, sed pro suo. Sed Deus, qui est
auctor vitae, et mortis iuxta illud 1.a Reg. 2: Do-
minus mortificat, et vivificat, et cui quili-
bet quantumcumque Justus est debitor mor-
tis potest interficere filios pro peccatis parentum,
et e converso, et hoc fit ab ipso Deo immediate, si-
cut in diluvio pro peccatis parentum submersi
sunt Parvuli, qui adhuc non poterant esse parti-
cipes in peccatis parentum, ut pote qui usus rati-

onis erant experter, vel mediantibus Angelis Sanctis, sicut in subversione Sodomorũ interfecti sũt parvuli cum parentibus, vel mediantibus Angelis malis, quibus aliquando vtitur Deus ad suæ Iustitiæ executionẽ, sicut pro peccato egiptiorũ primogeniti fuerũt interfecti quantumcumque parvuli, vel mediantibus hominibus, sicut de mandato Domini filii Israelis interfecerunt habitatores terræ chananæ cum vxoribus, et filiis quantũcumque parvuli; sed absque speciali mandato Dei non possunt innocentes interfici, et secundũ hoc dicunt procedere dictã prohibitionẽ: non occidentur patres &c.ª

3º nota, quod alii sextæ, et septimæ rationibus adhærentes dicunt, quod in aliquibus casibus possunt filii etiã innocentes pro peccatis parentum interfici, etiam absque speciali mandato Dei, pro cuius confirmatione dicunt, quod occisio potest dupliciter considerari; vno modo, vt est pœna tantũ, et sic habet rationẽ mali, quum sit privatio boni, scilicet vitæ, quod est

maximũ bonũ inter corporalia, et sic nullus

occiditur iuste pro peccato alterius, quia pecca-

tũ est quid personale, pœna autẽ, vt habet ratio-

nẽ poenę præcisę respicit tantũ culpã, vel pecca-

tũ, et ideo non transfertur ad aliã personã, sicut

nec culpa actualis, de qua est sermo; Alio modo

consideratur occisio in quantũ est quędam

medicina quia morte aliquorũ multi deterrentur,

et ã peccatis cohibentur, et sic non habet rationẽ

mali simpliciter, sed tantum secundum quid,

sicut amara potio in quantũ inducit sanitatẽ,

vel abscisio membri putridi, vt salvetur corpus,

non haber rationẽ mali nisi secundũ quid, sed

habet rationẽ boni simpliciter. Dicunt vlterius,

et est verum, quod bona exteriora ordinantur

ad vitã corporalẽ, et vita corporalis ad salutẽ

Animę, et ad Dei Gloriã, et bonum particulare

ad bonum commune, ex quo concludunt, quod

sicut rationabiliter ordinatur detrimentũ vitę

corporalis ad salutẽ Animę, et Gloriã Dei, et

(detrimentum boni particularis ad bonũ commune),

ita quando occurrit casus in quo propter pecca-
tum alicuius occisio ipsius, et etiam aliorũ,
licet sint innocentes cedit ad salutẽ Anima-
rũ, vel honoris Divini, vel communis boni in-
fligitur poena sic dura paucis respective, vt
multi per hoc terreantur, et ab enormibus per
quę posset tranquilitas ciuitatis, vel Regni per-
turbari arceantur, vt in peccato habitatorum
Gabaa, et Beniaminitarũ Iudicum 20, et in pecca-
to Sodomorũ, vbi perierunt parvuli, et in peccato
apostatię Deuteron. 13. versus finẽ, et sic bonũ
commune per detrimentũ boni particularis
conservatur. Talis tamẽ occisio innocentum
inquantũ est poena refertur ad peccantes,
qui in hoc puniuntur inquantũ filii sui, vel
amici, seu subditi occiduntur. Inquantũ tamẽ
est medicina refertur ad illos, qui occiduntur,
quia valet eis ad salutẽ Animę, si patienter sus-
tineant ordinẽ Iustitię propter bonũ commu-
ne; est etiã medicina respectu aliorũ, qui
per hoc deterrentur, et ã malis cohibentur,

et ascensus, ut dictū est. Sic igitur secundum viam istorū, quod dicitur hic: non occidendus &c. est intelligendum in quantum occisio habet rationē poenę, non autē in quantū habet rationē medicinę modo prędicto. Sed quum occisio innocentis sit directe contra praeceptū Decalogi, quod dicitur: non occides, ut dicitur Exo. 20, quodquidem praeceptū est indispensabile saltem per hominē, et contra illud Exo. 23. insontem, et iustum non occides. Ideo admodum difficile videtur qualiter per hominē cuiuscumque auctoritatis sit possit innocens ad mortē condemnari, tametsi auctoritate, et mandato Dei posset fieri, quia nemo in vita praesenti quantū ad hoc est ab eo liber, sed sumus omnes obnoxii, et debitores mortis, unde Deus potest hoc debitum quando, et quomodo vult exigere; talem enim medicinā propinare, quę est per mortē innocentis, non pertinet, nisi ad supremū Medicū, qui vere est Dominus vitę, et mortis.

Tenendo igitur primam opinionē, quę

mihi mitior, et sanior videtur sit conclusio, quod Judicio humano non est occidendus filius pro patre, aut ẽ converso, nisi forte divinũ mandatum tacitum, vel expressum factum reformaret, et secundũ hoc respondebo ad argumenta in contrarium.

Ad 1um. quod auctoritas illa intelligitur de poena temporali, et in illis, qui imitando peccatũ paternũ non prestant impedimentũ vindictę.

Ad 2um. dicendum, quod imitatio non ponitur causa prima pro qua poena temporalis infligatur, sed quasi causa media per quam influentia causę primę ad effectũ consequitur; virtus enim peccati parentis non pervenit in istũ, si peccato repugnet, sed per imitationẽ quodammodo continuatur, unde ex hoc non tollitur quin pro peccato patris aliquo modo puniatur.

Ad 3um. dicendum, quod in filio imitante peccatũ patris est duplex ratio, quare tempo-

raliter punitur; tum quia ipsemet peccat imitando patrē; tum, quia est res patris, et decet, ut pro peccato patris puniatur in quantū est res eius. In patre autē erat una ratio tantū, et ideo ma-gis punitur filius, quam pater, et praecipue quia contingit, ut filii, qui peccata patrū imitantur, liberius peccēt, quasi in his nutriti, et in plura peccata se praecipitent cum maiori con-scientiae remorsu propter consuetudinē, et auc-toritatē maiorū suorum.

Ad 1um. dicendum, quod Iustitia huma-na non punit filiū pro peccato patris in eo, quod ex patre iam accepit; sed in eo quod ex patre accepturus esset, vel quantū ad corpus, vel etiā quantū ad possessiones; non enim quia pater peccat filius iam natus truncatur, nec filius emancipatus exheredatur, sed per accidens poena patris redundat in filiū quando patri aufertur id quod in filiū ex patre transire debebat, ut hereditas, vel etiā membrū, quia ex truncatis truncatus aliquando nascitur.

Ad 5um. dicendum, quod Populus est res Regis, et punitur Populus, ut in poena ejus Rex puniatur, et hoc præcipue contingit, ut Gregorius dicit, quando peccata Populi merentur ut super eos Rex peccator constituatur, vel in peccatū labi permittatur, unde Job. 34. qui regnare facit hypocritam propter peccata Populi, et sic patet, quod Populus etiam pro peccato proprio punitur.

Ad 6um. dicendum, quod leges humanæ multa permittunt, et etiā statuunt, quæ per Divinū Judiciū reprobantur, quia humana ratio non est regula infallibilis, sed aliquando deficit, deducendo conclusiones ex principiis operabilium, leges autem humanæ sunt tales conclusiones prout ā principibus sunt constitutæ, licet secundum veritatē non habeat rationē legis, quando ā veritate deviant.

Ad 7um. dicendum, quod licet non habeatur expresse ex textu, quod Dominus præceperit filios Achor cum ipso interfici, tamē

credendum est, quod Iosue in quo erat spiritus Domini nihil fecit in illo casu, nisi de mandato Dei. Potest etiã aliquo modo hoc exterius haberi, vbi dicitur: non poteris stare coram hostibus tuis donec deleatur ex te, qui contaminatus est hoc scelere, deletio autem hominis importat eius, et suę posteritatis mortẽ, quia quamdiu filii viuunt, remanet in eis pater deffunctus quodam modo 2. de Anima, et Ecc.i 30 dicitur: mortuus est pater eius, et quasi non est mortuus, reliquit enim filiũ similẽ sibi. Similiter dicendũ videtur de interfectione paruulorũ Beniamin, quia quum ã decem tribubus quęreretur consiliũ Domini, respondit ascendite eras, enim tradam eos in manus vestras Iudicum 20. et ideo quum processerunt ad bellum de consilio, et mandato Domini non est verisimile, quod excesserunt consiliũ, et mandatum eius, sed quod Dominus mandauerit omnes interfici cuiuscũque ętatis, licet non sit scriptũ, quia non omnia, quę Deus dixit, fuerunt scripta,

et eodem modo dici potest de interfectione parvulorum in Iabes Galaath.

Quaestio.

Super versu: pone insidias urbi post eam Iosue 8º potest queri utrum liceat bellantibus uti insidiis, et aliis cautelis.

Et videtur quod non. Primo quia dicitur Deuteron. 16: iuste quod iustum est, exequeris; sed insidiae, quum sint fraudes quaedam viden-tur ad iniustitiam pertinere: ergo non est uten-dum insidiis etiam in bellis iustis.

2º insidiae, et fraudes fidelitati viden-tur opponi, sicut et mendacium; sed quia ad om-nes debemus fidem servare nulli homini est mentiendum, ut Augustinus dicit in Libro contra mendacium, quum ergo fides etiam hosti sit ser-vanda, ut Augustinus dicit ad Bonifacium, vide-tur quod non sit contra hostes utendum insidiis.

3º Mathaei 7º dicitur: omnia quaecum-que vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite

illis, et hoc est observandum ad omnes proximos; inimici autẽ sunt proximi: Cum ergo nullus sibi vellit ab aliis invidias parari, vel fraudes, videtur quod nullus per invidias debeat bella gerere.

In contrariũ est auctoritas Domini, qui mandavit Josue, vt invidias poneret habitatoribus civitatis Hay, vt dictum est, vbi in Glosa dicit Augustinus: Cum iustum bellũ suscipitur vtrũ apperte pugnet aliquis an ex invidiis nihil ad iustitiã interest.

Pro responsione ad questionẽ 1.ᵒ notandũ, quod duplex potest esse bellum, scilicet iustum, et iniustũ, vt notat Sanctus Thomas 22. q. 40. a. 1.ᵒ; ad hoc autẽ quod bellũ sit iustum tria requiruntur; Primũ quidem auctoritas Principis, cuius mandato est belli gerandũ; non enim pertinet ad persona privatã bellũ movere, quia potest jus suũ in judicio superioris prosequi; similiter etiã convocare multitudinẽ, quod in bellis opportet

fieri non pertinet ad privatam personam; sed Principi, cui cura Reipublicæ est commissa; secundo requiritur causa iusta, vt scilicet illi qui impugnantur propter aliquam culpam mereantur impugnationem; vnde Augustinus in libro quæstionum dicit: iusta bella solent diffiniri, quæ vlciscuntur iniurias, si gens, vel ciuitas plectenda est, quæ vel vindicare neglexerit, quod à suis improbè factum est, vel reddere, quod per iniuriam ablatum est; Tertio requiritur, vt intentio bellantium sit recta, quæ consistit in hoc, vt scilicet bonum promoueatur, vel vt malum vitetur; vnde Augustinus in libro de verbis Domini: apud veros Dei cultores etiam illa bella pacata sunt, quæ non cupiditate, aut crudelitate, sed pacis studio geruntur; potest autem contingere, vt etiam si sit legitima auctoritas indicentis bellum, et causa iusta nihilominus propter prauam intentionem bellum reddatur illicitum, vnde Augustinus 22. contra Faustum, et ponitur in Decretis capitulo quid culpatur 23. q. 1. cum multis

Alius pulchrius Decretis super hac materia, dicit:
culpatur in bello nocendi cupiditas vlciscendi crudelitas &c. omnibus autem his, seu quacumque
ratione causâ deficiente, est bellū illicitum,
et iniustum, et per consequens est illicitum,
et iniustum in eo vti insidiis.

2º nota si bellum sit iustum potest
dici, quod insidię in eo ad hoc ordinantur, vt hostes fallantur per eas. Dupliciter autem aliquis
potest falli ex facto, vel dicto alterius; vno
modo ex eo quod ei dicitur falsū, vel non servatur promissum, et hoc est semper illicitum,
et hoc modo nemo debet hostes fallere. sunt enim
quędam iura bellorū, et foedera etiam inter
hostes ipsos servanda, vt dicit Ambrosius in lege
de officiis; Aliô modo potest quis falli ex dicto,
vel facto nostro, quia ei propositū, aut intellectum nostrū non aperimus, hoc autē semper
facere non tenemur, quia etiam in Doctrina
sacra multa sunt occultanda maxime infidelibus, ne ea irrideant secundū illud Matth. 7º

nolite sanctum dare canibus; vnde multo ma-
gis ea, quę ad impugnandū inimicos paramus
sunt eis occultanda, vnde inter cetera documen-
ta artis militaris hoc de occultandis consiliis
ne ad hostes perveniant pręcipue ponitur à Ve-
getio li. 3.° de re militari, et habetur in li. Stra-
gemmatū Francorum.

3.° nota, quod duodecim possunt esse
causę iusti belli, vt ex sacra scriptura potest
colligi; prima contra terrā in qua Deus blas-
fematur per idolatriā, vt habetur Deuteron. 12:
subvertite omnia loca in quibus coluerunt
gentes, quas possessuri estis deos suos; secun-
da si à Dei cultu recedatur, Deuteron. 13: si
audieris in vna vrbium tuarū dicentes ali-
quos &c.ª; tertia si fidelitas Domini temporalis
deseratur 4. Reg. 3. de Iorā, et Iosaphat, qui
moverunt bellum contra Regem Moab; quar-
ta si rebellio moveatur 2. Reg. 20: ivit Ioab con-
tra sebam filium Bochri; quinta si ma-
lefactor deffendatur Iudicum 20. de bello moto

contra Gabaa; sextus si iniuria publica Prin-
cipi irrogetur 2. Reg. 10. de bello David contra
Regē Amon, qui fecit radi barbas nunciorum
David in contemptū eius; septimus, si propria
res repetatur 2. Reg. 3. de illo bello David
contra Isboseth repetendo Regnū sibi divini-
tus datum; octavus, ut hostes repellatur 2. Reg. 8.
de bello David contra Philisteos; nonus, ut hostis
insurgens in suis propriis opprimatur Num. 21.
de bello filiorū Israel contra Seon, et contra
Og Regem Amorrheorū; decimus contra illud per
quē hostis roboratur 2. Reg. 8. de bello David
contra Syriā Damasci, eo quod ferebat auxi-
liū Adarezer; undecimus, ut amicus ab hostibus
eripiatur Gen. 14. de bello Abrae contra Reges,
qui captivaverunt Loth nepotē suum; duode-
cimus, si tirannis a Preside exerceatur
1. Machab. de bello Machabeorū contra Anti-
ochū illustrem. Hae sunt duodecim causae ge-
nerales iustae ad quas omnes aliae possunt
reduci, et in talibus licet uti insidiis, et

ceteris cautelis prudentiæ.

Et per hæc patet responsio ad obiecta. Ad primū dicendum, quod dictæ insidiæ, et cautelæ bellicæ non proprie dicuntur fraudes, nec repugnant iustitiæ, aut ordinatæ voluntati; esset enim inordinata voluntas, si aliquis vellet nihil sibi ab aliis occultari.

Ad 2um. dicendum, quod insidiæ in bello iusto, vt dictum est, nec sunt fraudes, nec mendacia, sed prudentia bellica laudabilis, et probata, vt in 2.º notabili expositum est.

Ad 3um. dicendum, quod qui vellet in bello iusto contra se non parari sibi insidias, aut quod sui adversarii belligerantes contra se non vterentur cautelis, et industriis bellicis non haberet rectā voluntatē, quinimo debet velle, et æquanimiter ferre, vt alii in eū exerceant, quæ ipse in eos in bello, vt hostis exercere cupit, vt quod adversarii pugnēt contra se, et cellent consilia, et insidias parent, et viribus, ac cautelis vtantur, sicut ipse

adversus eos facit, et hoc est iuris natura-lis, et recti dictaminis rationis, et hoc debet quisque in bello iusto secundũ rectũ rationẽ velle facere alteri, et vt sibi fiat, quam inimiter ferre.

QVÆSTIO

Super textu: fecitque Iosue cum eis pacem, et inito foedere pollicitus est, vt non occiderentur Principes quoque multitudinis iuraverunt eis Iosue 9, Quia hic fit mentio de promissione, quũ dicitur pollicitus est, et de iura-mento, quum dicitur iuraverũt eis, sub vno articulo potest quæri de vtroque.

Vtrum scilicet promissum, et iuramentũ, aut promissum iuramento firmatũ sit sem-per servandum.

Et videtur, quod semper sint servanda iuramentũ, et promissio, et primo de promissi-one; nam quilibet tenetur servare fidelitatẽ.

Deo acceptam, et gratam; sed qui promissum non servat semper censetur stultus, et infidelis coram Deo, et per consequens nec acceptus, nec gratus Deo iuxta illud Ecc.[i] 5. displicet enim Domino infidelis, et stulta promissio: igitur semper tenemur promissionem servare.

2.° ea quæ sunt de Iure naturali sunt semper stabilia, et adimplenda, ut Aristoteles dicit 5. Ethicorum, et habetur institutis de Iure naturali, et in ca.° Ius naturale 1.ª dist; sed servare promissum est de Iure naturali, quum pertineat ad rationem Iustitiæ, et æquitatis naturalis, ut in eodem 5 Ethic. dicit Aristoteles: ergo semper est servandum.

3.° Omne debitum est solvendum, si possumus; sed servare promissum est debitum: ergo semper est solvendum.

4.° nam Matthæus 5. dicitur: redes Domino iuramenta tua, quum autem sine exceptione loquatur semper iuramentum est servandum.

5.° quia Num. 30. dicitur: si quis virorum

votum Domino voverit, aut se constrinxerit iu-
ramento non faciet irritũ verbũ suum, sed om-
ne, quod promisit, implebit.

In contrarium est nam maioris firmitatis
et roboris est promissũ Deo, quam homini;
sed promissum Deo non semper est servandũ,
præsertim quando est tale, quod servatũ vergit in
interitũ salutis æternæ vt habetur in cã. si vero
de Iure iurando: ergo Iuramentũ non est semper
servandũ.

2º nam virtus non est virtuti contraria,
Vt dicitur in prædicamentis; sed Iuramentũ est ac-
tus virtutis, quandoque autẽ esset contra vir-
tutẽ, aut in aliquod eius impedimentũ, si quis
servaret id quod iuravit, sicut si quis iurat se
facere aliquod peccatum, vel quum iurat desi-
tere ab aliquo opere virtutis: ergo iuramentũ
non est semper servandum.

3º nemo potest obligari ad duo opposita; sed
quandoque oppositũ est quod intendit iurans, et quod
intendit ille, cui iuramentũ præstatur: ergo iura-

mentũ non est semper servandũ.

4.° quandoque aliquis invitus compellitur ad hoc, vt sub iuramento aliquid promittat; sed tales sunt per Romanos Pontifices absoluti ã iuramẽtis nexibus, vt habetur in câ. si vero de iureiurando § 0 verũ: ergo iuramentũ non est semper servandum.

Pro responsione 1.ª notandum quod de vnaquaque re præcipue est iudicandum secundum suam radicem; Radix autẽ solutionis promissi videtur esse ex obligatione, qua verbo, aut signo exteriori homo se obligat, et astringit cum proposito aliquid pro alio faciendi; vnde quamdiu durat obligatio tamdiu debitũ videtur habere robur, et per consequens videtur homo ad id solvendũ teneri.

Durat autẽ obligatio in aliquibus promissionibus semper, vt quotties promittimus res, quę in omnẽ eventũ sunt bonę, vt dicere aliquam orationẽ pro alio &.ª Alię vero promissiones sunt, quę ipso facto sunt malę, et se ipsis diximuntur, et quę nunquã obligarunt, aut obligare

potuerunt, ut illę, quę sunt de simpliciter malo,
sicut si quis promittat homicidium facere, vel alias
proximo nocere, vel aliquod peccatum committere,
et talia etiā si iuramento firmentur, nunquam
obligant, et de tali promissione potest etiā intelligi
illud Eccl. displicet enim Deo infidelis, et stulta pro-
missio, et de regulis Iuris li. 6 dicitur: in ma-
le promissis Fidē prestitā non convenit observare,
et Isidorus dicit in male promissis rescinde Fidem,
unde qui implet talia promissa, quum non possint
bonū eventū habere peccat promittendo, et peccat
implendo. Alię vero sunt promissiones indifferentes,
et de talibus solet esse premissum dubiū scilicet de
his, quę possunt habere bonum, et malū eventum,
ut si quis dicat, ego promitto tibi facere in omni ne-
gotio, aut in tali particulari negocio; prima pro-
missio est stulta, etiā si honestetur dicendo salva
utilitate ecclesię, vel salvo honore Pontificis, quum
eius observatio possit manifeste habere malū eventū,
sicut fuit in promissione Iepte qui ita pollicitus est:
Quicumque primus fuerit egressus de foribus domus

mee, quicumque occurrerit reverterti in pace cũ holocaustũ offeram Domino Iud. 11, quę pollicitatio poterat malũ eventũ habere, si occurrisset ei aliquod animal non immolaticium, vt asinus, vel canis, vel homo, sicut facto evenit, nam occurrit ei vnigenita virgo; et ideo Hieronimus dicit, quod in vovendo fuit stultus, quia sal discretionis non adhibuit; si autẽ promissio fuit de aliquo particulari negocio honesto, aut si res communis proponatur cum conditione moderante, quę duo pacificantur, vt si dicam; promitto tibi favere in omnibus concernentibus vtilitatẽ Ecclesię, tunc respondendũ videtur, quod quum promissio, quę ligat, fundetur super honesto, et iusto, atque vtili his stantibus tenetur implere promissũ. sed si in aliquo particulari eveniat sit inhonestũ, et iniustũ, aut nocivum, quia ex eo quod est inhonestũ, est contra honestatem, et ex eo quod est iniustũ, est contra Iustitiam, et charitatẽ, et ex eo quod nocivũ, est contra vtilitatẽ, et per consequens non continet, quod decet, et quod licet, et quod expedit vt in ca. magnę de voto, et voti

redemptione perdit ratione debiti, ex obligatorii promissi, exempli gratia, promisi iurare te in aliqua re iusta, video tamen, quod nec mihi, nec tibi conducit, puta, quia tibi nihil proderit, et proximum scandalizabit, et maiora bona impediet non teneor servare promissum, perinde enim habetur promissum in tali casu, ac si esset stultum. Item si promisi te deffendere, et pro honore tuo, aut utilitate pugnare promissio est nulla, ut ex dictis patet: igitur in summa tunc tenetur quis ad promissum quando est de honesto, et iusto, et utili, et per impletionem eius non sequitur malum culpae, aut maius bonum impeditur.

2.° notandum circa iuramentum, quod obligatio refferetur ad aliquid quod est faciendum, vel dimittendum, unde non videtur respicere iuramentum assertorium, quod est de praesenti, vel de praeterito, nec etiam iuramentum de his, quae sunt per alias causas fienda, sicut si quis iuramento assereret quod cras erit pluvia, sed solum in his, quae sunt fienda per illum, qui iurat; sicut autem iuramentum assertorium,

quod est de praeterito, vel de praesenti, debet habere veritatem, ita etiam et Iuramentum de his, quae sunt fienda a nobis in futurum, et ideo utrumque Iuramentum habet quandam obligationem, diversimode tamen, quia in Iuramento, quod est de praeterito, vel praesenti est obligatio non respectu rei, quae iam fuit, vel est, sed respectu ipsius actus Iurandi, ut scilicet iuret id quod iam verum est, vel fuit. Sed in Iuramento, quod praestatur de his, quae sunt fienda a nobis, obligatio cadit e converso scilicet super rem quam quis Iuramento firmavit, tenetur enim aliquis, ut faciat verum esse id, quod iuravit, alioquin deest veritas a Iuramento. Si autem est talis res, quae in eius potestate non fuit, deest Iuramento discretionis Iudicium, nisi forte quod erat ei possibile, quando iuravit, reddatur ei impossibile per aliquem eventum, puta, quum quis iurat se pecuniam soluturum, quae ei postmodum vi, vel furto subtrahitur, tunc enim videtur esse excusatus a faciendo, quod iuravit, licet teneatur facere, quod in se est. Si vero sit quidem possible fieri, sed fieri non debeat, vel quia est per se malum, vel quia

est boni impedimentũ, tunc Iuramento deest Iustitia, et ideo Iuramentũ non est servandum in eo casu quo est peccatũ, vel boni impedimentũ, Secundum enim Augustinũ utrumque contrã servagit in deteriorẽ exitum. sic ergo dicendum est, quod quicumque iurat aliquid se facturum obligatur ad id faciendũ ad hoc quod veritas impleatur, si tamen alii duo comites adsint, scilicet Iudicium, et Iustitia. Pro cuius intellectu nota, quod Iuramentũ non est bonum, nisi ei, qui bene utitur eo. Ad bonũ autem usum Iuramenti duo requiruntur; primum quod quis non leviter, sed ex necessaria causa, et discrete iuret, et quantũ ad hoc requiritur Iudiciũ, scilicet discretionis ex parte Iurantis; secundum quantum ad id quod per Iuramentũ confirmatur, ut scilicet nec sit falsũ, nec aliquid illicitũ, et quantũ ad hoc requiritur veritas per quã quis Iuramento confirmat quod verum est, et etiã Iustitia per quã confirmat, quod licitum est; iudicio autẽ caret Iuramentũ incautũ, veritate autẽ iuramentũ mendax; Iustitia autẽ Iuramentũ iniquũ, sive illicitum; qui

dicantur committere iuramentum.

Et per hec patet responsio ad argumenta utriusque partis. Ad primum quum dicitur, quod quilibet tenetur servare fidelitatem Deo acceptam, dicendum, quod in tali casu non habet rationem fidelitatis, et per consequens nec rei Deo accepte, unde promissum nec iuramentum iuri cum premissis conditionibus non ligat.

Ad 2um. quod servare promissum est de Iure naturali quando non vergit in deteriorem eventum, et habet aliquam utilitatem; secus si vergat in malum eventum, aut nihil utilitatis afferat, in quo casu cessat ratio naturalis promissi, et debiti. unde Aristoteles 5. Ethic. ponit exemplum, quod licet de Iure naturali sit reddere depositum tamen furioso, aut invadenti patriam non est reddendum, quia secunda naturalis ratio maior, et fortior privat primam, et facit irritam rationem debiti in tali casu.

Ad 3um dicendum, quod servare promissum est debitum observatis, et intellectis predictis conditionibus,

quę semper debent intelligi in propositis, et in promissis, et in votis ac Iuramentis, vt potest haberi ex sententia Iacobi S.ᵗⁱ cap.º Pro cuius planiore intellectu nota, quod ille qui aliquid promittit, si habeat animum faciendi, quod promittit, non mentitur, quia non facit contra id, quod gerit in mente, si vero non faciat, quod promittit, tunc videtur infideliter agere per hoc quod animum mutat; potest tamē excusari ex duobus; vno modo si promisit id quod manifeste est illicitū, quia promittendo, peccavit, mutando autem propositum bene facit; Alio modo si sint mutatę conditiones personarū, et negociorū, vt Seneca dicit in li. de Benefi. Ad hoc quod homo teneatur facere, quod promisit, requiritur quod omnia immutata permaneāt, alioquin nec fuit mendax in promittendo, quod promisit, quod habebat in mente sub intellectis debitis conditionibus; nec etiā est infidelis non implendo, quod promisit, quia ędem conditiones non extiterunt. Vnde et Apostolus, non est mentitus, qui

non init contractum, quo se iuramento promiserat, redditur 2a. cau. 1. et hoc propter impedimenta, quę supervenerunt

Ad 4um. dicendum, quod loquitur Dominus quando Iuramentum est licitum, et honestum, et iustum, et ideo habet vim integram obligandi.

Ad 5um. idem dicendum est, non enim debet quis irritare votum, aut Iuramentum, aut promissum suum, quando servari potest sine offensa Creatoris, et servatio non vergit in detrimentum salutis ęternę.

Ad argumenta in contrarium, quę suo modo procedunt, potest etiam responderi. Ad primum quod tam promissum Deo, quam homini habet vim obligandi absolute, sed in casu propter rationes dictas cessat talis obligatio.

Ad 2um. dicendum, quod Iuramentum potest vergere in deteriorem exitum dupliciter. uno modo, quia ab ipso principio habet peiorem exitum, vel quia est secundum se malum, sicut

quum quis iurat se patraturum adulterium;
sive quia est maioris boni impeditivū, puta
quum aliquis iurat se non intraturum Reli-
gionē, vel quod non erit Clericus, vel quod non
acceptabit Prælationē in casu quo expediret eum
accipere, vel si quid aliud est eiusmodi; tale
enim Iuramentum à principio est illicitum,
differenter tamē, quia si quis iuret se facturū
aliquod peccatū, peccat Iurando, et peccat Iura-
mentū servando; si quis autem iurat se non
facturū aliquod melius bonū, quod tamē facere non
tenetur, peccat quidē iurando in quantū ponit
obicē Spiritui Sancto, qui est boni propositi
inspirator, non tamē peccat iuramentū servando,
sed multo melius facit, si non servet. Alio modo
vergit in deteriorē exitū propter aliquid, quod de
novo emerserat, quod fuit inpræmeditatū, sicut
contingit in iuramentā Herodis, qui iuravit
puellę saltanti se daturū, quod petisset, hoc
enim Iuramentū à Principe poterat esse lici-
tum, intellecta debita conditione, scilicet si peteret,

quod dare decreverat, sed impletio iuramenti fuit
illicita, unde Ambrosius dicit in 1°. de officiis, est
contra officiū nonnunquā premiū solvere sacra-
mentū, sicut Herodes, qui necē Ioānis pręstavit,
ne promissum negaret.

Ad 3um. dicendum, quod quando non est
eadem iurantis intentio, et eius cui iuratur, si
hoc provenit ex dolo iurantis debet servari iura-
mentū secundū sanū intellectum eius, cui iura-
mentū pręstatur, unde Isidorus dicit, quacumque
arte verborū quis iuret Deus tamen, qui con-
cientię testis est, ita accipit, sicut ille cui iuratur,
intelligit, et quod hoc intelligatur de doloso iuramē-
to patet per id quod subdit dicens: dupliciter reus
fit, qui et nomē Dei in vanū assumit, et proxi-
mū dolo capit. Si autem iurans dolū non pręten-
dat, obligatur secundū propriā intentionē, unde
Gregorius 27 Moraliū dicit, humanę aures talia ver-
ba nostra iudicant, qualia foris sonant; divina vero
iudicia talia foris audiunt, qualia ex intimis pro-
feruntur, verum tamen est, quod verba inter homines

in eo venire retineri debent, quando sine fraude

indubiũ veniunt, quẽ solent recte intelligentibus

generare, vt habetur in cã. ex litteris de sponsalibus.

Ad 4um. dicendũ, quod in iuramento, quod

quis facit coactus, duplex est obligatio; vna quidẽ,

qua obligatur homini, cui aliquid promittit, et

talis obligatio tollitur per coactionẽ, quia ille, qui

vim intulit, hoc meretur, scilicet, vt ei promissũ

non seruetur; Alia autẽ obligatio est, qua quis

obligatur Deo, vt impleat, quod promisit per nomẽ

eius, et talis obligatio non tollitur in foro consci-

entię, quia magis debet damnũ temporale susti-

nere, quã iuramentũ violare, potest tamẽ reper-

tere in Iudicio, quod solvit, vel Prelatto denuncia-

re non obstante quod contrariũ iurarit, quia

tale iuramentũ vergeret in deteriorẽ exitũ, esset

enim contra Iustitiã publicam. Romani autẽ

Pontifices ab huiusmodi iuramentis homines ab-

soluerunt, non quasi decernentes huiusmodi iu-

ramenta non esse obligatoria, sed quasi relaxan-

tes eiusmodi obligationes ex iusta causa.

His presuppositis de tractatu vinculi promissi, et iuramenti in communi descendendo ad particulare promissum, et iuramentum factum a Iosue, et Principibus Populi Gabaonitis super quibus predicta questio orta est. Queritur

Vtrum Iosue, et Principes Populi tenebantur servare foedus promissum iuratum, et initum cum Gabaonitis.

Et videtur quod non. Primo quia erat contra Domini preceptum, qui precepit omnes habitatores terre illius occidi, vt habetur Num. 33. et in pluribus aliis locis.

2.º Iuramentum condicionatum non obligat, deficiente conditione; sed hoc Iuramentum fuit condicionatum, scilicet si illi quibus fiebat, non essent de habitatoribus terre Promissionis, que conditio non fuit, vt patet Iosue 9: ergo non tenebantur servare.

3.º fraus, et dolus non debent alicui patrocinari; sed Gabaonite fraudulenter, et dolose egerunt verbis, et factis: ergo non debuit eis observari promissum,

etiam iuramento firmatum.

In contrarium est textus Josue 9: iuravimus eis in nomine Domini Dei Israel, et iccirco non possumus eos contingere, et sequitur; reserventur quidē, vt vivant, ne contra nos ira Domini concitetur, si peieraverimus; periuriū autē non incurritur, nisi per transgressionem iuramenti obligatorii, nec ira Domini concitatur, nisi propter illud, quod est illicitū fieri: ergo tale iuramentū fuit servandū.

Pro responsione notandū, quod triplici ratione fuit servandū dictū iuramentū; Prima accipitur ex parte Gabaonitarū, qui, vt dictū est, venerunt ad Josue in nomine Domini, scilicet volentes cultui eius subiici, vnde preceptū Domini de habitatorū terrę interfectione non videbatur ad eos debere extendi; erat enim datū ob malitiā habitatorū terrę, et obstinationē eorū in ea, vnde Josue 11 dicitur, Domini enim sententia fuerat, vt indurarentur corda eorū, et pugnarent contra Israel, et caderent, et non mererentur vllam

clementiam, depexixent, sicut præceperat Dominus Moisi. ex quo patet quod Gabaonitæ meruerunt clementiam, quandoquidem venerunt in nomine Domini, vt vero Deo, et cultui eius adhæserent, nec induati sunt, aut recurrere ad Deum distulerunt; Secunda ratio accipitur ex parte filiorum Israel quia excepto pacto, quod Raab fecerunt quod omni ex parte fuit magis particulare, vt patet Iosue 2. hoc fuit primum pactum, quod gentibus, ac extraneis fecerunt, vnde si iuiurandum occidendo Gabaonitas violassent quibus quod non occiderentur iam iuraverant, protinus fuisset divulgatum per gentes in circuitu habitantes, et fuissent filii Israel reputati infideles, aut fidefragi, et iuramenti transgressores in non parvum Populi illius scandalum, et per consequens in blasfemiam, et irreverentiam veri Dei, quem colebant, cuius dicebatur Populus peculiaris, et ab eo electus, vnde ad tanta mala vitanda servandum erat iuramentum; Tertia ratio accipitur ex parte Dei, qui longe propensior est ad miserandum, quam ad condemnandum, vnde credibile est,

quod Iosue ex familiari consilio Dei instinctuque Spiritus Sancti mortẽ eorũ corporalẽ mutavit in civilẽ, vt sic de suis mendaciis puniserentur, et iuramentũ servaretur, quod de morte corporali eis non inferenda intelligebatur; et quod Dominus hanc sententiã approbaverit patet ex hoc, quod propter iniustã afflictionẽ Gabaonitarũ factã per Saul venit fames in terra Israel tribus annis, et septẽ viri de stirpe Saul fuerũt crucifixi, vt habetur 2. Reg. 21; Glosa autẽ Augustini Iosue 10 super verbo in manus tuas tradidi illas, sic dicit, vbi nec consultus est Dominus vtrũ curandũ esset, sed vltimo suis recte subvenire volentibus futurã pronunciavit de eis victoriã, sic posset de Gabaonitis inconsultus manere, non quia interrogaverunt ipsũ, qui essent, quum mentirentur, nisi ei placuisset illa iuratio, quę subiectis parcere cogeret; crediderant enim Deo, quẽ audierant promisisse, quod illas gentes subverteret, et terrã earũ obtineret, et hanc eorũ fidem quodammodo remuneravit, quia non perdidit.

Ex quibus facile solvuntur argumenta in contrarium. Ad 1um. dicendum, quod præceptũ Domini non currebat contra Gabaonitas, ut ex dictis patet.

Ad 2um. dicendum, quod licet in tractatu cũ Gabaonitis fuit facta mentio de conditione illa, tamẽ quando postea iuraverunt Principes, non fuit posita sub forma iuramenti, et dato, quod fuisset posita, poterat tamẽ, et debebat servari iuramentum propter rationes prædictas.

Ad 3um. dicendum, quod fraus, et dolus proprie sunt mendacia in verbis, vel factis ordinata ad malũ finẽ, Mendacia autem, et fictiones Gabaonitarũ licet de se essent mala, tamen ordinabantur ab eis ad bonũ finem, scilicet ad salutẽ eorũ corporalẽ, et spiritualẽ, et ideo non ab re præstiterunt eis pium patrocinium, Deo sic ordinãte.

QVÆSTIO

Super versu: non fuit ante, et postea tam longa dies obediente Domino voci hominis: potest quæri, quæ fuit lon-

gior dies, scilicet an hæc, quę narra-
tur Josue 10 quum dicitur: stetit ita-
que Sol in medio Cœli, et non festi-
navit occubere spatio vnius diei: an
illa de qua sacra historia narrat
4. Reg. 20. dicens, et ait Ezechias: fa-
cile est vmbrā crescere decē line-
is, nec hoc volo, vt fiat sed vt rever-
tatur retrorsū 10 gradibus. Invoca-
vit itaque Isaias Propheta Dominū,
et reduxit vmbrā per lineas, quibus
iam descenderat in horologio Achaz
retrorsum 10 gradibus.

Et videtur, quod dies sub Ezechia fuit longior.
Primo, quia sol sub Ezechia retrocessit 10. lineis,
vel gradibus, vt habetur 4. Reg. 20. et Isa. 38. qui-
bus lineis, vel gradibus designantur 10 horę secū-
dum opinionē communiorē, vnde liquet, quod inre-
pedatione, et reditu ad pristinū locū fuit spatium
20 horarū, et cum aliis 10 horis, quibus sol processe-
rat versus occidentē ante suum miraculorum

reditum, et duabus horis, quę superexārant ei ad plenā diē artificialē 12 horarum conficiendā quando iussu Dei precibus Crocię redire cœpit fuere horę 32.

2.º nam Dionisius 7.ª epistola ad Pollycarpū dicere videtur, quod dies sub Ezechia fuit fere triplicata quoniā deffecerunt tantum horę quatuor nam secundū cū sol processerat de oriente in occidentem per 10 horas, et cetera, quę in precedenti argumento dicta sunt; dies autē quę sub Iosue fuit duplicata scilicet 24 horarū duntaxat.

In contrarium est sancta Scriptura, quę absolute dicit, quod non fuit tam longa dies antea, nec postea, sicut illa sub Iosue.

Pro responsione, et absolutione huius dubii 1.º notandū, quod in hoc dubio varii sunt modi dicendi; Quidam enim dicunt, quod in illa die sub Ezechia sol retrocessit subito, et ideo dies non fuit augmentata, nisi tantū 10 horis, quibus successive rediit ad locum, unde ante retrocesserat, et ulterius usque ad occasum descendit per duas horas, quia 10 horę diei transierant, quando sol retrocessit,

Et secundum hoc illa dies artificialis sub Ezechia,
de qua est sermo, fuit solũ 22 horarũ; dies autẽ
sub Josue fuit 24 horarũ, quia sol stetit immobilis
spatio unius diei artificialis, scilicet 12 horarum,
et postea cursu suo naturali ivit ad occasum, quia
secundũ hos coeperat stare in mane iuxta illud: irru-
it itaque Josue super eos repente tota nocte, et
quod dicitur: stetit sol in medio Coeli intelligunt, idest,
supra emisphaeriũ nostrũ, vel in orizonte orien-
tali, et sic illa dies fuit duplicata. Sed quoniã Eze-
chias petiit signũ, quod esset notabile ab omnibus, ut habetur
in dictis locis, et notabilius fuit signũ solis retro-
cedendo successive, et notius pluribus, quã si retro-
cessisset subito, praesertim quum de subita successi-
one nihil etiam ex circumstantiis scripturae con-
stet; ideo dicunt alii quod duae lineae in horologio Achaz
faciebant tantũ unã horã, et ideo sol retrocedendo
10 lineis successive, et redeundo ad locũ, unde re-
trocesserat, fecit tantũ 10 horas, et sic idẽ habetur,
quod prius, scilicet, quod dies sub Josue fu-
it longior duabus horis.

Alii vero innitentes dictis Dionisii, quę in argumentis recitata sunt, dicunt, quod dies sub Ezechia fuit longior, quia secundũ Dionisium illa Ezechię dies fuit fere triplicata, quia non defecerunt nisi tantũ 4 horę, præsupposito secundũ ipsũ, quod sol processerat ab ortu in occasum per 10 horas, et retrocessit successive per alias 10. et per alias 10. rediit ad locũ, vnde retrocesserat, et inde processit vltra per duas horas versus occidentẽ, et sic dies artificialis fuit per 20 horas augmentata, et sic continuit 32 horas, illa autẽ, quę sub Iosue 24 horarũ fuit, quia solũ fuit duplicata. Ad tertum autem contrariũ quum dicitur non fuit tam longa dies antea, nec postea, dicunt, quod hoc refertur ad tempus, in quo Iosue scripsit hunc librũ, quia post prædictã victoriã vixit longo tempore, et hunc librũ scripsit in fine vitę suę, et vsque ad id tempus non fuit tam longa dies ante victoriã dictã, nec post, per hoc tamẽ, vt dicunt, non excluditur, quin dies sub Ezechia, quę fuit post Iosue obitum fuit longior. Verum quoniã pium est sustinere sententias

Sacræ scripturæ in sanioré sensu, qui est ille, quē solent recte intelligentibus generare, vt habetur in cā. ex literis de sponsalibus, et scriptura absolute loquitur, quod non fuit tam longa dies ante, nec post, ideo non obstantibus prædictis.

2.º notandū, quod dies sub Iosue videtur fuisse longior, quod sic videtur posse deduci, vt habetur Iosue 4: filii Israel prima die mensis primi transiere Iordanē, qui apud eos incipit à prima lunatione propinquiore equinoctio vernali et 14.ma die eiusdē mensis celebraverunt Pascha, et postea 7. diebus obsederunt Hiericho, et postea miserunt exploratores ad civitatē Hay, postea bellatores contra eā, qui devicti fuerunt propter peccatū Achon, quo deprehenso, et punito cœperunt Hay, et Bethaven, quibus peractis venerunt Gabaonitæ, et confederati fuere filiis Israel, propter quā confederationem quinque Reges obsederunt eos, et Iosue rogatus ab eis, venit ad liberandū eos, pugnando contra Reges prædictos, in qua pugna fuit statio solis; In tot autem, et tantis agendis bene, et probabiliter potest

dici, quod fluxit tempus ab equinoctio vernali usque ad medietatē Iunii, vel circiter, tunc vero dies artificialis habet 18 horas, et tunc fuit duplicatus, ut dictum est, et per consequens fuit 36 horarum; dies autē sub Ezechia fuit 32 horarum ad plus, ut ex dictis patet, et sic videtur, quod sub Iosue fuit maior dies, pro cuius intellectu.

3º notandum, quod questio est de quantitate diei artificialis, et de eius augmento, quia dies augmentati sub Iosue, et sub Ezechia fuerunt artificiales; quantitas vero diei artificialis variatur secundū diversitatē clymatum, et secundū approPinquationē maiorē ad solsticium estivale, et hiemale, et ideo licet in omni clymate, et quolibet tēpore anni quelibet dies artificialis habeat 12 horas artificiales, tamē horas naturales habet aliquādo plures, aliquando pauciores; in tertio autē clymate dies brevissimus, scilicet quando sol est in solsticio hiemali habet 10 horas, longissimus vero scilicet quando sol est in solsticio estivali habet 12 horas. Questio autē nostra debet aplicari ad tertiū

clyma, quia in eo erat Hierusalē vbi erat Czechias, quando dies fuit ei prolongata, et similiter Iosue erat satis prope Hierusalē, quando ad eius petitionem prolongavit Dominus diē. vnde Si dicatur quod dies prolongata sub Iosue fuit in solsticio stivali, quod satis probabiliter potest dici eo quod eodē anno Iosue aliqualia bella peregerat, sequitur quod illa duplicata habuit 28 horas. Et si propter oppositionē dicatur, quod dies prolongata sub Czechia fuerit in solsticio hiemali, quod satis probabiliter potest dici, vt statim videbitur sic dies ille habuit tantū 26 horas naturales, et duas partes vnius horę naturalis, quia quatuor horę artificiales, quę deffiċiūt ā perfecta triplicatione illius diei non valerent, nisi tres horas, et tertiam partē vnius horę, et sic habetur, quod dies sub Iosue fuit longior in vna hora naturali, et tertia parte vnius horę naturalis. Probatio assumpti, scilicet quod probabiliter potest dici diē sub Czechia prolōgatā fuisse in solsticio hiemali, et hoc ratione climatis, quia in tertio clymate sol elevatur in meridie minoris diei

per 36 gradus fere, et ideo tempus est ibi tunc quale est apud nos in septimo clymate circa finẽ Februarii per 12 dies ante equinoctiũ vernale, quod est tempus satis aptũ ad procedendum ad bellum, quum non sit tempus nimis calidum, aut nimis frigidum. Dies autem prolongata fuit Ezechię ante percussionẽ exercitus Senacherib, vt ostenditur 4. Reg. 20 ex verbis illius: sed et de manu Regis Assiriorũ liberabo te, et civitatẽ hanc; percussio autẽ illa fuit, quando Senacherib veniebat cum exercitu magno contra Hierusalẽ, et sic patet propositũ, scilicet quod probabiliter potest dici illã diẽ in solsticio hiemali fuisse.

Ad dictũ autẽ Dionisii dicentis, quod illa dies sub Ezechia fuit 32 horarũ, quo duo argumenta in contrariũ nitebantur, dicendum, quod loquitur de horis artificialibus, et illę valerent tantum 26 horas naturales, et duas partes vnius horę, vt dictũ est. Hęc ad literam Magister Nicholaus in Postilla ordine, et aliis paucis additis.

QVÆSTIO.

Super versu: tulit itaque Jahel, uxor Abel clavum tabernaculi assumens pariter, et malleũ, et ingressa abscondite, et cum silentio posuit supra tempus capitis eius clavum percussumque malleo defixit in cerebrũ usque ad terram, qui soporẽ morti socians deffecit, et mortuus est. Judicum 4. pos[t] q[uae]ri.

Vtrum Jahel malefecerit interficiendo Siraram.

Et videtur quod malefecit. Primo quia dicitur in textu, quod erat tunc temporis pax inter Jabin Regẽ Chanaam, et domum Aber Cynei, unde patet, quod erat fedus inter eos, propter quod Syrara securius intravit tabernaculũ Jahel, unde et Jahel videtur egisse contra foedus initum, et per consequens contra dictamẽ Juris naturalis, quod semper, et apud omnes est illicitum.

2° quia blandis, et amicis verbis pollicita est ei securitatẽ, ut patet ex contextu his-

toris, et consequenter occidit cum latrone: ergo proditorie egit, et sic male.

3º conservatio hospitii est de iure naturali, ut Glossa dicit Ixv. 13; sed Sysara, ut hospes intravit tabernaculum Iahel, et eo iure ab ea exceptus est, ut ex textu patet: ergo illicite eum interfecit.

4º quia ut Augustinus dicit in 1º de civit. Dei qui sine aliqua publica administratione maleficum occiderit, velut homicida iudicabitur, et tanto amplius, quanto sibi potestatem a Deo non concessam usurpare non timuit: igitur Iahel, quae potestate publica non fungebatur eam sibi usurpavit, et per consequens male fecit.

In contrarium est, quod in cantico Delbore prophetisse, et Barach Ducis a Domino suscitati laudatur Iahel de eo facto, quum Iudicum 5. dicitur: benedicta inter mulieres Iahel, et additur percussit Sysaram, quaerens in capite vulneris locum.

Pro declaratione huius materiae, et solutione Dubii 1º notandum, quod in facto Iahelis aliqua fuerunt mala, et vituperatione digna, ut puta fal-

sitas in verbis, et signis, quibus praetendebat se velle
eū protegere, et celare, dicens: intra ad me Domi
ne mi, ne timeas. Quum tamē intenderet eum
occidere; et quod petenti aquā, lac dolose dedit. et de his
non comēdatur in scriptura, quia talia de genere
suo sunt mala, et voce non exprimunt, quod ex mente
conceptū, sed contrariū; sunt etiam contra veri-
tatem, et fallere intendunt, quę plane non possūt
beneficeri secundū Philosopha morales, nec secundū
nostros sanctos Doctores de hac materia loquē-
tes. sed comēdatur Jahel de bono affectu, quem ha-
buit erga liberationē Populi de manu tiranni,
quod fuit laudabile, sicut, et Judith commendatur
de manu affectu, quē habuit ad liberationē Populi
Israel de manu Holophernis, non autē de men-
dacijs, quę dixit in conspectu eius. similiter, et
obstetrices comendantur de bono affectu, et timo-
re Dei, et pietate erga Infantes, et parentes eorū,
non autē de mendacio quo se se excusaverūt
in conspectu Pharaonis, de quibus Exo. 1°. Sed quo-
niam quęstio non est nisi de occisione Sisarę,

dicendum, quod Jahel fecit rem licitam, et merito-
riam, licet sociaverit aliqua illicita, ut dictū est; scie-
bat enim, quod hic sisara erat idolatra, et cru-
delis Populi fidelis oppressor, cuius Fidei prætexta
erat, ut in responsione ad 1um. argumentum
exponetur, et ideo sicut membrum illius comu-
nitatis habuit titulū Iuris naturalis liberandi
corpus à tali infestatione, et communi pernicię.
Præterea convenit in facto Justitię divinę, et
eius executionē, ac Dei voluntatē, cuius signa mul-
ta, et magna manifeste videbat, quę syraram in
mortē, et præcipiciū petebant, vidit enim exer-
citum eius magnum, forteque debellatum
à paucis, et inermibus respectu eorū; unde Judicū
5°. dicitur in cantico: clipeus, et hasta si apparu-
erunt in 40 millibus virorum Israel, id est, non appadu-
erunt in Israel, qui erant 10 millium inermiū
numero, quum tamē hostes essēt numero 40 milliū
armatorum, vidit etiā, quod exercitus sisarę magis
fuit prostratus ictibus fulgurū, et lapidibus grādinū
Deo pro filiis Israel dimicante, quā bellatorum

gladii, unde constat, quod Dei opus conditum est; nec ab re creditur, quod speciali spiritus Sancti instinctu illustrata, et corroborata id fecit, maxime, quia Debora id eã facturã spiritu Prophetiç prędixerat.

2.° ad maiorẽ corroborationẽ dictorũ notãdum, quod omnis pars naturaliter est propter totum, quapropter videmus, quod si saluti totius corporis humani expediat pręcisio alicuius membri, puta, quũ est putridum, vel corruptivum aliorũ laudabiliter, et salubriter abscinditur, quęlibet autem persona singularis comparatur ad totam communitatem, sicut pars ad totũ, et ideo si quis sit perniciosus communitati, et corruptivus eius per aliquid genus peccati laudabiliter, et salubriter occiditur, ut cõmune bonũ conservetur; Modicum enim fermentũ totam massã corrumpit, ut dicitur 1.ª Cor. 5. sed si quęras, utrum hoc licite possit facere persona privata dicendũ quod non, nam quum talis occisio ordinetur ad bonũ Communitatis ad illũ solũ pertinebit, cui

cura communitatis conservandę incũbet, sicut non ad quęcumque, sed ad Medicum pertinet pręscindere membrum putridum, quando ei est cõmissa cura salutis totius corporis; cura autem communis boni comissa est Principibus habentibus publicã auctoritatẽ, et ideo eis solum licet malefactores occidere non autẽ privatis personis; nec obstat, quod in Divina lege in qua nihil mandatur illicitũ Moises pręcepit, quod vnusquisque occideret fratrem &c.ª vt patet Exo.º 32. nam ille aliquid facit cuius auctoritate fit, vt dicit Dionisius 12 cap.º coelestis Hierarchię, vnde et Augustinus 1.º civitate Dei dicit: non ipse occidit, qui ministerium debet iubenti, sicut adminiculũ gladiũs vtenti, vnde qui occidit ex mandato alterius non ipse occidit, sed mandans, sicut miles interficit hostem auctoritate Principũ, et minister latronẽ auctoritate Iudicis, cuius Iudicium est necessarium, vt sciatur an talis malefactor ob salutẽ publicam sit occidendus, licet enim liceat cuilibet privatę personę facere aliquid ad vtilitatẽ communẽ, quod nulli noceat,

si tamen fiat cum nocumento alterius non debet fieri proprio arbitrio, sed iudicio eius ad quem pertinet censere quid sit subtrahendũ partibus pro salute totius, hic autẽ aut est Deus, vel minister eius, vel persona publica, ut dictum est.

Et per hęc patet responsio ad argumenta. Ad 1um. dicendum, quod Iahel erat Cinea sicut et vir eius, quia descẽdebant ã Ietro cognato, id est socero Moisi, qui fuit conversus ad Fidẽ unius veri Dei sicut patet Exo. 18. et omnes descendentes ab eo nominati sunt Cinei ã Ietro, qui etiam dictus est Cineus, et servabant legem Moisi, et contrahebãt in cognatione sua, sicut Israelitę, unde ẽadem erat causa Israelitarũ, et Cineorũ, sicut corporis, et membrorũ, quã filii Cẽi cognati Moisi, qui dictus est Iethro, et Cin, et Cineus, et Obab ascenderunt de civitate Palmarũ, quę erat Hierico cum filiis Iuda in desertũ sortis eius, quod est ad meridiem Arath, et habitaverunt cum eo, ut habetur Iudicum 1°. postea vero Aber Cineus recesserat ã ceteris Cineis fratribus suis, qui erant in sorte Iudę,

et tetenderant tabernacula sua vsque ad vallem, quæ vocatur Sennim, et erat iuxta cedes, vnde erat Barach, vt patet Iudicũ 4. et ideo sicut Israelitæ, qui erant oppressi, et iure tributario subditi Iabin Regi Canaã, et Principi eius Sisaræ diuinitus moti per Delborã, et Barach licite rebellarunt Regi, et exercitũ eius prostiderunt, ita sine peccato, et nota potuit Iael, quæ erat illius communitatis pars, Ducem occidere, diuinitus enim id sicut et cetera eius prælii magnalia acta sunt, exterius enim fœdus tale, et pax seruanda erant.

Quidam vero aliter respondent dicentes, quod forte pax illa erat ex hoc, quod Aber soluebat Iabin tributum excessiuum, vt sic non perderet totum, quod habebat, et sic à tali iniusta exactione licite poterat per se, et suas liberari, occurrente facultate, et offerente se occasione; nec etiam in litera habetur, quod fuerit ibi fœdus amicitiæ, pactum, vel contractum inter eos iuramento firmatum, sed tantum dicitur, quod erat pax inter Iabin, et domũ Aber, quod potuit fieri modo iniusto prædicto. Item

dato, quod fuisset ibi foedus, vel pactum sub iuramento firmatum, tamen Iahel non tenebatur illud observare, ut videtur, quia in talibus foederibus, et pactis mulieres non vocantur, sed tantum viri; uxor autem non semper tenetur servare pacta, et iuramenta viri sui. Haec illi. Sed quoniam in hac responsione etiam nonnullae propositiones mihi dubiae interseruntur, ideo primus dicendi modus magis placuit, scilicet ut ex divina Iustitia, et instinctu soluta fuerit fasciculus impietatis.

Et per id, et ea, quae in notabilibus dicta sunt, patet responsio ad 2um.

Ad 3um dicendum, quod alta est Providentia Creatoris Mundi, atque Rectoris, et investigabiles viae eius, qui hostem suum, et Populi sui conclusit in manu feminae eligens infirma, et per ea fortia confundens, per ea magis ac magis Potentiam suam Fidelibus, et infidelibus palam faceret, unde nimirum omnia iura silent suprema conditore aliud inspirante, atque operante.

Ad 4um dicendum, quod Iahel non usurpavit

potestatē à Deo non sibi concessā imo pie, ac prudenter vsa est potestate divinitus sibi concessa, et ideo merito laudatur in cantico Judicū 5. à Delbora Prophetē, et à Duce exercitus Domini Barach, vt dictum est.

QVÆSTIO.

Super versu: mortuusque est Gedeon filius Joas in senectute bona Judicū 8. potest quæri vtrum Gedeon fuit mortuus in peccato mortali.

Et videtur quòd non. Primo quia finis est optimus, ac certissimus vitē, et mortis index; sed finis Gedeonis, qui ex sacra Historia pronunciatur fuit bonus, et ita index mortis in statu gratiē, quia dicitur mortuus in senectute bona: ergo videtur, quòd non est mortuus in peccato mortali.

2.° quia ad Hēbreos 11. nominatur in cathalogo sanctorū, qui Fide, et operibus Deo placuerunt, vnde de eis dicit Apostolus ibidē, quod per Fidem vicerūt Regna, operati sunt Justitiā: ergo non est mortuus in peccato mortali.

3.° quia non posset dici eum mortuum in peccato mortali nisi quia fecit Ephot, et ornamenta sacerdotalia, et usus est eis, offerendo sacrificiũ Domino domi suę; sed hoc potuit facere Divina dispensatione, vel de peccato ante mortẽ poenitere, ergo non est mortuus in peccato mortali; quo conjicitur fuisse usus, et etiã nescitur eo optulisse sacrificiũ Domino, quia in re duę transgressiones convenerunt.

Sed contrarium videtur per hoc, quod fecit Ephot post victoriã; prima quia quum Gedeon esset de Tribu Manasse, et non de genere sacerdotali, cui solum erat concessa oblatio sacrificii coram Domino, ut habetur Num. 3. rem illicitã fecit, et in ea ut apparet usque ad mortẽ perseveravit, quia non fit mentio in sacra scriptura, quod cessaverit, vel poenituerit, vel Altare demolitus fuerit, vel Ephot, et ornamenta dissolverit. Secunda, quia domi suę exercuit Divinum cultũ, sicut exercebatur in Silo, quod tamẽ erat illicitũ, ut habetur Josue 22. unde videtur coepisse, et

continuare, ac usque ad finē sine pœnitentia perseverasse, et sic in peccato vitam finisse.

2°. quia præbuit omni Israeli occasionem idolatrandi, ita enim dicit textus Judicum 8°, fecitque ex eo Gedeon ephot, et posuit illud in civitate sua, Ephra, fornicatusque est omnis Israel in eo, et factum est Gedeoni, et omni domui eius in ruinā; sed fornicatio in scriptura in tali materia accipitur pro idolatria, unde infra eodem octavo capº. dicitur, et fornicati sunt filii Israel in Baalim: et sic videtur, quod decessit in peccato mortali, quia tantis malis aditum dedit.

Pro responsione notandum, quod quæstio hæc est de facto, et ideirco difficilis cognitu, unde in similibus nihil certitudinis asserere possumus, nisi quatenus ex circumstantiis scripturæ, vel auctoritatibus sanctorū, vel humana coniectura id rimamur. dicunt igitur communiter Doctores nostri, quod mortuus est in statu gratiæ, quia textus ponit eum vita functum in senectute bona. Sed quidā eorum tenent, quod licet bene finierit,

tamen in facto illo memorato de Altari, et ephot, et
oblatione sacrificii peccavit mortaliter, sed ante
mortē poenitentiā egit, et sic in gratiā decessit;
et si dicatur, quod non apparuerunt signa poenitētię,
quia non illa destruxit, dicunt, quod poenituit circa
mortem, scilicet quum iam erat adeo debilis, quod
hoc facere per se non poterat; sed dicunt, quod pręcepit
filiis suis, vt id facerent, vel vt saltē illas vestes mitte-
rent, aut portarent ad locum Divini cultus; quod
si filii non fecerunt eis non Gedeoni est imputandū,
nec ex filiorū negligentia, vel potius malitia videtur
frustrata poenitentia Gedeonis. Verum quoniam
hic diffiniendi modus videtur inniti debilibus, aut
potius gratis concessis coniecturis, ideo dicunt alii,
quod Gedeon faciendo prędicta non peccavit, et ideo nō
fuit ei necessariū facere poenitentiā; licet enim
illicitū esset quamdiu arca Domini erat in Silo
alibi offerre sacrificium de cōmuni cursu, quia solū
licebat offerre sacrificiū in loco electo ā Domino, vt
erat cautum Deuteron. 12. et Iosue 22; sed ex speciali
dispensatione poterat alibi immolari, et sic construxit

Altare Samuel in Ramatha 1. Reg. 7. et Manue
pater Samsonis obtulit holocaustum Judicum 13. et
Helias in monte Carmeli 3. Reg. 18; sed ultra hoc nota,
quod a tempore quo arca fuit capta per Philisteos usque
ad tempus, in quo fuit posita in Templo per Salomonem
constructo arca non habuit stabilem mansionem,
quia tempore intermedio de loco ad locum frequenter
fuit transportata, et nonnunquam ad castra depor-
tata, et ideo sacrificia votiva ad quae offerenda ho-
mines non tenebantur, sed fiebant ex devotione po-
terant alibi offerri secundum devotionem, et voluntatem
offerentis, sicut et alia sacrificia poterant fieri
hoc modo tempore quo arca, et tabernaculum fuerunt
in deserto, eo quod arca adhuc non habebat stabilem
mansionem; tempore vero quo fuit in Silo, non fuit
licitum, quia tabernaculum, et arca longo tempore fuerunt
ibi, licet non ad semper. Sed addunt isti, quod forsitan
fuit concessum Gedeoni divinitus non solum pro illa
vice in gratiarum actionem post recentem victoriam
Altare, sed etiam pro toto tempore vitae suae, et per conse-
quens fuerunt ei concessa, ephot et alia vestes Sacerdotales;

quia vt dicunt, cui conceditur principale, conceditur et accessorium; vti autē dictū vestibus est propter oblationē sacrificiorū, vnde et est quidā annexū eis, et per consequens videtur ei concessum.

Verū quoniā in vtraque prędictarū opinionū videntur nonnulla gratis concessa, et quę ex Sacra scriptura, aut eius circunstantiis firmitatē non habent, et ideo secūdum Hieronymū eadem facilitate contemnuntur, qua aprobantur salvo meliori Iudicio, et scolastice disserendo videtur mihi dicendum.

Quod quantum potest coniici humana coniectura Gedeon mortuus est in statu gratię, et non in peccato mortali.

Primo, quia mortuus est in senectute bona, quod non consuevit dicere Scriptura, nisi de his, qui in gratia descesserunt, vt patet Gen. 15 vbi dicitur Abrae, quod esset sepeliendus in senectute bona; et Glosa exponit, id est descedēs in gratia, quia hoc non dicitur, nisi de iustis; et idem habetur Gen. 25, et Tobię 14.

2°. quia si ipse in hoc facto peccasset Dominus tanto tempore non tulisset, quinimo eũ, et forte etiã Populũ ob id castigasset, sicut eo tẽpore Zelotes praesertim contra idolatriã existens nihil dissimulabat.

3°. quia prospere, et pacifice in Fide veri Dei longo tempore gubernavit Populũ, vnde textus dixit: postquam autẽ mortuus est Gedeon aversi sunt filii Israel, vnde arguitur, quod suo tempore continuit eos in cultu Dei, et fuit Deo acceptus, et eũ timens, et humilis; nam Israelitis offerentibus ei, et filio, ac nepotibus suis dominiũ super Populũ respondit: non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus; sed dominabitur vobis Dominus. Et his adiũguntur tria prima argumenta, quę hanc conclusionẽ confirmabant.

Ad 1um. vero argumentũ in contrariũ dicendum, quod aut ibi nulla fuit transgressio, quia ex Divina dispensatione, et permissu id fecit, sicut Samuel, qui sacrificabat in Ramatha, vbi ędifficavit Altare, vt habetur 1°. Reg. 7. et sicut Elias, vt dictũ est,

et sicut Phanue pater Samson Iudicum 13; aut si pro-
pria auctoritate id fecit, et peccavit, de peccato ante
mortem poenituit. Sed forte obiiceres, quod si poe-
nituisset, Altare, et cetera destruxisset, posset dici, quod
forte destruxit, sed successores reparaverunt, vel for-
sitã praecepit successoribus, ut demolirentur, et ipsi non
fecerunt, et ita illorũ fuit culpa; vel, forte melius, quod
quamdiu vixit, non offendit illis utendo, quia fecit
ex divina dispensatione, et ideo non est suspicatus, quod
post mortẽ eius essent ibi fornicaturi filii Israel ã
Dei cultu recedendo, sicut non peccavit Moises faci-
endo, et dimittendo integrũ serpentẽ eneũ Num. 21,
cui filii Israel usque ad tempus Ezechię adolebant in-
censum, et ideo pia incensus Religione, et zelo Ezechi-
as confregit eũ, ut habetur 4. Reg. 18. Sed huic obstat,
quod textus ait: et factum est Gedeoni, et omni do-
mui eius in ruinã, potest dici, quod Gedeoni factũ
est in ruinã non ob propriã culpam, sed in poenã,
in quantũ bonum, et malũ, et bona fama, atque infa-
mia, et prosperitates, atque adversitates filiorum
redundant in decus, vel dedecus parentũ; pater enim

quodammodo manet in filio secundum illud ecc.[2] 30: mortuus est pater, et quasi non est mortuus, similē enim reliquit post se in vita sua, et sic ruinā filiorū Gedeonis per pænā redundavit in ipsū non per culpam, et ita occasionaliter illud factū fuit ei in ruinā. Sed et domui eius fuit etiam in ruinā culpę, eo quod abusa est domus eius tam vestibus, quam loco patri, et non eis concessis, et etiā pervertexunt cultū, et commutaverunt in Idolatriā.

Ad 2um. dicēdum, quod merito potest excusari Gedeon, quia nemo tenetur omne scandalū, quod ex bono facto suo oriri potest evitare. Opus autē eius fuit bonū, quia ad Divinū cultū exercendum, et ex Divina dispensatione concessū, vt dictum est; malū autē quod inde secutum est, non fuit ab eo intentum, vt perspicue patet; et ita non potest dici, quod ipse prębuit ei occasionem.

Quæstio.

Super versu: expletisque duobus mensibus reversa est ad patrem suum, et fecit ei sicut voverat Judicū 11:

Potest quæri, vtrum Iepthe morte corporali occidit filiã suã, sicut voverat, aut eã per mortẽ civilẽ, vel spiritualem Domino consecravit.

Et videtur, quod morte corporali eã optulit Domino in holocaustum. Primo auctoritate sticromini, qui præsupponens talẽ mortẽ dicit, quod Iepthe fuit indiscretus vovendo, et impius adimplendo.

2.º quia textus refert eam dixisse patri dimitte me, et plangam virginitatẽ meam, et postea additur: exinde mos increvit in Israel, vt post anni circulum conveniãt in vnũ filię Israel, et plangant filiam Iepthe; vnde videtur, quod fuit occisa.

3.º quia immolatio innocentis est Deo accepta, sicut patet Gñ. 22. vbi commendatur Abraam de hoc, quod voluit innocentem filium immolare; sed ad gratitudinẽ Iepthe pro tanto beneficio accepto pertinebat reddere vicẽ Domino, maxime solvendo votum, quod ei voverat: ergo vt vovit eã im̃olavit.

4.º si dicamus, quod non fuit occisa, cogimur dicere, quod fuit Deo consecrata ad virgi-

nitatẽ perpetuò servandã, sed hoc erat inhibitum Gen. 1. et 9. dicente Domino: crescite, et multiplicamini, et Deuteron. 7. non erit apud te sterilis utriusque sexus; observatio autẽ virginitatis excludit multiplicationẽ prolis: ergo videtur, quod fuerit illicita tempore legis, et propterea videtur inconvenienter dictum, quod filia Jepthe fuerit Domino consecrata, vel sacrificata per dedicationẽ virginitatis.

In contrarium est textus Judicũ 11. quũ dicit: reversa est ad patrem suum, et fecit ei sicut voverat.

Pro responsione ad quæstionẽ dicendum, quod hæc dubitatio est de facto, sicut et præcedens, et ideo de ea nihil certi potest haberi, nisi quatenus id expresse pronũciat Sacra Scriptura, vel ex eius circumstanciis conici, aut trahi potest: igitur sine præiudicio imo salvo meliore iudicio, et sine assertione, sed exercitũ gratia, dico quod filia Jepthe non fuit sacrificata Domino per mortem corporalẽ, ut literæ cortex videtur dicere, sed potius

per civilem, vel spiritualē eo modo quo Religiosi dicuntur mortui Mundo, eo modo dicendi, quo Apostolus dicit ad Gal. 6. per quem Mundus crucifixus est mihi, et ego Mundo; perfecti namque Religiosi dicuntur Mundo mortui in quantū à mundanis officiis sunt segregati, et divinis obsequiis prorsus mancipati. sic filia Jepthe fuit sacrificata Domino per observationē virginitatis ei vivendo, et vacando orationibus, et ieiuniis, et aliis piis operibus; et hoc dictum videtur consonū ei, quod dicitur Levit. vlt.o omnis consecratio, quę Domino offertur ab homine non redimetur, sed morte morietur, quę mors non potest intelligi mors corporalis, quia vt ibidē dicitur ager poterat Domino consecrari, qui tamē non est subiectū mortis; dicebatur tamē mori, quia transibat ad Ius sacerdotum, vel Templi, sicut bona ecclesię dicuntur mortua, similiter dicitur ibidem, quod homo poterat consecrari, non tamē propter hoc occidebatur, sed obsequiis Templi, et sacerdotum mancipabatur, et sic potest dici, quod filia Jepthe fuit consecrata,

seu sacrificatu Domino, quia fuit Divinis obsequiis deputatu.

Confirmatur, quia textus dicit: factus est spiritus Domini super Iepthe, scilicet ad pugnandū contra filios Amon, et tunc fecit votum prędictū, quod licet fuit indiscrete factū, non tamē erat intelligendū, aut implendū, nisi per modū licitū, discretum, et bonū, quia spiritus Domini non instigat, nisi ad bonū finē, licet in mediis aliquando videatur deviarē, quia potens est omnia quo vult cogere. Pręterea litera dicit, quod Iepthe concessit filię suę tempus duorū mensium; cum igitur esset Iudex Populi ā Domino, ut vir prudens electus non est verisimile, quod tempore intermedio non communicaverit votū suum sapientibus in lege presertim cum procul dubio iam esset apud omnes divulgatum; nullus autē talis potuit ei consulere tale votū implendū per corporalē innocentis mortem, cum hoc sit manifeste contra preceptū legis Exo. 20. et contra intentionē legis Levit. vlt.º et ideirco verisimile videtur

quod à sapientibus fuerit sibi dictum votum sane interpretatum, scilicet spiritualiter, ut dictum est implendum; unde quædam Glosa Hebraica super illud verbũ: dimitte me, ut circuïam montes dixit, idest, sapientes in lege, quia fortuitã invenient modũ relaxationis, seu interpretationis votitui; unde quidã Hebræorũ dicunt Fines summũ Sacerdotem id votum relaxare; Alii asserunt sapientes interpretatos non debere servari, nisi modo prædicto. Item ad Hebræos 11 ponitur Iepthe in Cathalogo Sanctorum; unde non videtur factum adeo enorme, indiscretum, et impium de eo deberi affirmari, nisi expresse Sacra scriptura id diceret.

Quia tamen hæc assertio non constat necessario respondebimus ad argumenta utriusque partis. Ad 1um. quod Hieronimus non loquitur absolute, sed condicionaliter, scilicet, quod si Iepthe ita confuse, et materialiter vovit, et immature, ac crude implevit, fuit vovendo indiscretus, et implendo impius, non tamẽ excludit potuisset interpretari per sapientes, et relaxari, ut dictum est. Vel dicendum

quod locutus est secundum superficiem literæ, quam communiter sequitur. Vel dicendum, quod Hieronimus fuit illius opinionis, sed nec cogit nos, nec adimit facultatem nobis interpretandi, et investigandi alias rationes per corpus Sacræ Scripturæ discurrendo.

Ad 2um. dicendum, quod Iepthe in principio credidit filiã esse occidendam, et similiter ipsa audito verbo patris, et ideo dixit: dimitte me &c.a sed inter implendum vterque eorũ potuit melius cogitare, et dubitare, et peritiores, ac sacerdotes consulere, et ex eorũ consultatione sententiam comutare; Nec obstat, quod mansit consuetudo plãgendi eã apud filias Israel, nam hoc factum est in memoriã obedientiæ eius, quæ adeo memoranda fuit, quia vsque ad mortẽ corporalem se optulit Patri, et obedivit vsque ad mortem civilẽ, vel spiritualẽ, vt et filiæ Israelis docerentur obedire parentibus.

Ad 3um. dicendum, quod non est simile Quia Abraã habuit de occisione filiĳ expressum

præceptum Dei. omnis autẽ homo quantumcũque
inocens est debitor mortis propter peccatum
primorum parentum ipsi Deo, qui hoc debitũ
potest repettere quando, et quo modo voluerit; vnde
benefecit Abraã volens Deo obedire in filii sui im-
molatione. Sed quod aliquis ex voto emisso inter-
ficiat innocẽtẽ est illicitum.

Ad 1um. dicendũ, quod illud præceptum: cres-
cite, et multiplicamini, datũ est primis parenti-
bus, et postea Noe exeunti de arca post diluviũ,
scilicet quando erat necessaria multiplicatio ob
hominũ paucitatẽ, vt augeretur cultus divinus,
et ideo multiplicato genere humano cessavit il-
lud præceptum in personis particularibus, quia
Comunitas est prona ad generandũ, quum
sit naturalissimũ opus, vt dicitur 2. de Anima.
Quod autem additur illud Deuteron. 7: non erit
apud te sterilis, non est præceptũ, vt patet con-
textũ Historiæ inspicienti, sed est quædam
promissio bonorum observantibus legem Do-
mini, quod erunt prolis, et posteritatis pleni;

sicut etiam tempore Evangelii multiplicatio prolis personis existentibus in matrimonio reputatur beneficium Divinum; per hoc tamen non excluditur quin virginitatis observatio sit Deo acceptior, quę tamen in paucioribus reperitur, propter quod dicitur à Domino Mathei 19: sunt eunuchi, qui se castraverunt propter Regnum Celorum: Qui potest capere capiat, quasi dicat, pauci capiunt, et ideo pauci tales inveniuntur.

Quod autem observatio virginitatis non solum tempore Evangelii, sed etiam tempore veteris testamenti fuerit laudabilis, et Deo accepta, patet per exempla: Quia Helias Propheta, qui fuit valde perfectus, et Deo acceptus virginitatē servavit, ut habetur ex verbis Gregorii Omelia 19. super Evangelia: Rasias etiam 2. Machab. 14. comendatur de hoc, quod propositū continentię tenuit: Beata etiam Virgo Maria votum virginitatis emisit: Et Sanctus Joseph sponsus eius cum ea, ut Doctores catholici tenent; et tamē adhuc erat status veteris testamenti: Paulus etiā

Apostolus quum adhuc esset legis veteris emulator, et sancti Evangelii persecutor virginitatẽ servaverit; unde constat, quod à tempore legis fuit observatio virginitatis Deo accepta, et grata.

Ad argumentũ in contrarium dicendum, quod scriptura dicit, quod fecit ei, sicut voverat, non dicit, quod occiderit eã, sed quod votum implevit, quod est intelligendum per modum licitum, sicut superius est expressum, imo vero si eam occidisset nullo modo votũ implevisset. Quia emissio voti non potest fieri nisi de bono, Quia consiliũ aut est de bono, aut de meliori; unde Glosa sup. illud Psalmi: vovete, et reddite, dicit vovere voluntati consulitur, consiliũ autẽ semper est de meliori; unde implere votũ illo modo, nec fuisset bonũ, nec melius; et ideo argumentũ magis facit ad propositũ, quã oppositũ, quia talis non fuisset impletio, sed transgressio, ut dictum est.

QUÆSTIO.

Super versu: moriatur Anima mea cum Philistiim Iudicum 16.

quod exponitur Anima mea, id
est totum compositum, quod est
corruptibile accipiendo partem pro
toto sinodochice, quia Anima est
immortalis. Vel accipitur Anima
pro vita temporali, sicut sępius fit
in vtroque testamento: potest quę-
ri, vtrum licuit Sansoni seipsũ,
et illos Philistęos peccatores occidere.

Et videtur, quod licuit de seipso. Primo quia ho-
micidiũ non est peccatũ, nisi in quantũ Iusti-
tię contrariatur, sed nemo potest sibi ipsi
iniustitiã facere, vt probatur 5. Ethic: ergo nullus
peccat occidendo se ipsũ.

2.° occidere malefactores, licet habenti
publicã potestatẽ; sed nonnunquã, qui habet pu-
blicã potestatẽ est malefactor: ergo licet ei
occidere se ipsũ.

3.° licitum est, quod quis spontanee mi-
nus periculũ subeat, vt maius periculum vitet,
sicut est licitũ, vt aliquis etiã sibi ipsi amputet

membrũ putridum, vt totũ corpus salvetur; sed quandoque aliquis per occisionẽ sui ipsius vitat maius malũ, vel miserã vitam, vel turpitudinẽ alicuius peccati: ergo licet alicui occidere se ipsum.

4.° quia quidã Razias se ipsũ interfecit, eligens nobiliter mori potius, quam subditus fieri peccatoribus, et contra natales suos iniuriis agi; sed nihil nobiliter, et fortiter factum est illicitum: ergo occidere se ipsum non est illicitum.

5.° quod in sacra Scriptura præcipitur, et laudatur est licitum; sed interfectio peccatorum præcipitur Exod. 22. cum dicitur: maleficos non patieris vivere, et David se cõmendat in Psalmo dicens: in matutino interficiebam omnes peccatores terræ.

In contrarium est Augustinus, qui in 1.° de civit. Dei dicit: restat, vt de homine intelligamus illud, quod dictum est: non occides: ergo nec alterum, nec te, nec enim aliud quam hominem occidit, qui se ipsum occidit.

Pro solutione notandum, quod in dicta quęstione, aut loquimur de lege communi, id est, de lege naturali hominibus com̃uniter indita, vel diuinitus, aut humanitus promulgata, et sic nemini licet occidere se ipsũ, quod tripliciter ostenditur; primo quia naturaliter quęlibet res se ipsã amat ad quod sequitur, quod quęlibet res se se conseruat in esse, et corrũpẽti quoad potest resistit; vnde Boetius 3. de consõ. dicit: Omne namque animal tueri salutẽ laborat, mortem vero perniciemque deuitat; et ideo quod aliquis se ipsũ occidat est contra inclinationem naturalẽ, et etiã contra charitatẽ, qua quilibet tenetur se ipsũ diligere; vnde occisio sui ipsius est peccatum mortale, vt pote contra legẽ naturalem, et contra charitatẽ existens. Secundo quia quęlibet pars id quod est, est totius; quilibet autẽ homo est pars com̃unitatis, et ita id quod est, est com̃unitatis; vnde in hoc quod se ipsũ interficit iniuriã communitati facit, vt patet per Phũm. 5º ethic. Tertio quia vita est quoddam donum diuinitus homini concessum, et eius potestati subiectũ, qui occidit, et viuere

facit; unde qui se ipsum vita privat in Deũ peccat, sicut, qui alienũ servum interficit, peccat in Dominum, cuius est servus; et sicut peccat ille qui usurpat Iudiciũ sibi de re non ei commissa. Ad solum enim Deũ pertinet Iudiciũ mortis, et vitę secundũ illud Deuteron. 32: ego occidam, et ego vivere faciam.

Aut loquimur de lege speciali, vel singulari, scilicet in aliquo casu à Domino directo, et ordinato ad aliquod bonũ secundũ solertissimã Dei Providentiã, cuius investigabiles sunt vię, et inscrutabilia Iudicia, sicut contigit in Sanson, qui haud dubie per se non intendit se ipsum occidere, sed idũ per accidens, quia scilicet non poterat blasfemos Divini nominis occidere ita plures, et congregatos pręsertim quum esset orbatus luminibus, nisi se ipsũ cum eis occidisset. Apparuit pręterea voluntas Domini, ut hoc fieret, quia procul dubio ipse ad hoc faciendum Sansoni tribuit fortitudinẽ; nec se occidendo tali instinctu peccavit, quoniam manum Domini patientur tulit, et executioni mandavit. Quilibet enim debet Deo suo vitam, et mortẽ, vitam tanquam

Creatori, et Gubernatori suo in spiritualibus, et temporalibus, mortem vero ex destitutione Iusti- tiæ originalis propter culpam originalē primi parentis, per quã ipse, et posteritas privati dono fu- erunt restituti naturæ, et liberæ Dei voluntati, qui quando, et quomodo vult potest hoc debitũ repetere; et ideo Samson non peccavit secum alios occidendo ex Dei voluntate, et instinctu divino maxime Deo ad hoc opportunitatē, et facultatē præbente; unde et Augustinus 1°. de Civit. Dei dicit: non Samson excu- satur aliter quod se ipsũ cum hostibus ruina do- mus oppresserit, nisi quod latenter Spiritus sanc- tus hoc iusserat, qui per illũ miracula fa- ciebat, et eandē rationē assignat de quibusdam sanctis feminis, quæ tempore persecutionis se ipsas occiderunt, quarũ memoria in ecclesia cele- bratur. Nec est dubitandum, quod de peccatis prius perpetratis poenituit Samson, quia Dei veram Fidē habebat, ut ex contextu Sacræ Historiæ, et ad Heb. 11. plane constat, et quod illa mors poena su- orũ peccatorũ fuit, quam non solũ patienter, et obe-

dientes acceptavit, sed etiam pro ea Dominũ rogavit dicens Domine Deus memento mei, et redde mihi nunc fortitudinẽ pristinã Deus meus &c. unde merito ad Heb. 11. computatur in cathalogo Sanctorũ; et eodẽ modo dicendũ est, quod meruit, et non peccavit peccatores occidendo ad detestationẽ idolatriç, et Gloriã Dei, et Justitiç Divinç executionẽ. Quod de re latius Judicũ 4. disertum est.

Per quç patet responsio ad argumenta in contrariũ. Ad 1um. dicendum, quod homicidiũ est peccatũ non solũ, quia contrariatur Justitiç, sed etiã quia contrariatur charitati, quã quilibet debet sibi ipsi, ex qua parte occisio sui ipsius est peccatum per comparationẽ ad se ipsum; per comparationem autẽ ad communitatem, et ad Deum habet rationẽ peccati etiam per oppositionẽ ad Justitiã.

Ad 2um. dicendũ, quod ille, qui habet publicam potestatẽ potest licite malefactorẽ occidere, per hoc, quod potest de ipso iudicare; nullus autẽ est Judex sui ipsius, ut dicitur 3. Politicç; unde non licet habenti publicam potestatẽ se ipsũ occidere propter quodcũque peccatũ,

licet tamē ei se aliorū Iudicio cōmittere.

Ad 3um. dicendum, quod homo constituitur Dominus sui ipsius per liberum arbitriū, et ideo libere potest homo de se ipso disponere, quantum ad ea, quę pertinent ad hanc vitam, quę hominis libero arbitrio regitur, sed transitus de hac vita ad aliam vitam feliciorem non subiacet libero arbitrio hominis, sed potestati Divinę; et ideo non licet homini se ipsū interficere, vt ad feliciorem transeat vitam; similiter etiam nec vt quasdam miserias pręsentis vitę evadat. Quia vltimum malorū huius vitę, et maxime terribile est mors, vt dicitur 3. Ethic; et ideo inferre sibi mortē ad alias huius vitę miserias evadendas est assumere maius malum ad minoris mali vitationem; similiter etiā non licet se ipsum interficere propter aliquod peccatū cōmissum; tum, quia in hoc sibi maxime nocet, quod sibi adimit necessarium pœnitentię tempus; tum etiā, quia malefactorem occidere non licet, nisi per Iudicium publicę potestatis; Similiter etiam nec licet mulieri se ipsā occidere,

ne ab alio corrumpatur, quia non debet contra
se comittere crimẽ maximũ, quod est occidere se
ipsum, ut vitet minus crimen alienum; non enim
est crimẽ mulieris per violentiã violatę, si con-
sensu non ausit, quia non inquinatur corpus,
nisi de consensu mentis, ut Lucia dixit. Constat
autem fornicationẽ minus esse peccatũ, vel adul-
terium, quam homicidium, et pręcipue sui ipsius,
quod est gravissimum; quia sibi ipsi nocet, cui ma-
ximã dilectionẽ debet; et etiam periculosissimũ,
quia non superest tempus, ut per pœnitentiã ex-
pietur. Similiter etiam nulli licet se ipsũ occidere
ob timorẽ, ne consentiat in peccatum, quia non
sunt facienda mala, ut veniant bona, ut dicit Apos-
tolus Rõ. 3. vel ut vitẽtur mala, pręsertim mi-
nora, et minus certa; incertũ enim est an ali-
quis in futurũ consentiat in peccatum; potens
est enim Deus hominẽ quacumque tentatione
superveniente liberare ã peccato.

Ad 4um. dicendum, quod ad fortitudinem
pertinet quod aliquis ab alio mortẽ pati non reffugiat

propter bonum virtutis, et vt vitet peccatum, sed quod quis sibi ipsi mortē inferat, vt vitet mala poenalia habet quidē quandam speciem fortitudinis propter quod quidam se ipsos occiderunt estimantes se fortiter agere, ē quorū numero Razias fuit; non tamē eiusmodi est vera fortitudo, sed magis languor, aut mollicies quędā animi non valentis mala poenalia sustinere, vt patet per Philm. 3°. Ethic. et per Augustinū 1°. civit. Dei.

Ad 5um. dicendū, quod in sacra scriptura non precipitur peccatores occidere, nisi habenti publicā potestatē, et iuste, quod iustū est exequendo, et sic David fecit; quamvis interficere omnes peccatores possit intelligi non solū de morte corporali, sed etiā de civili, vel per depositionē ab officiis, et administrationibus, quas male exercebant. Vel intelligitur desiderio peccata abolendi non omne genus peccatorū occidendi, quia nec hoc licitū erat.

Quæstio.

Super verbis: et scietis, et videbitis, quia grande malum feceritis

vobis in conspectu Domini peten-

tes super vos Regẽ 1.ª Reg. 12: potest

quæri vtrum filii Israel pecca-

verunt, petendo super se Regem.

Et videtur, quod non Primo, quia petere illud, quod

est bonum simpliciter, et de dictamine rectæ rationis

non est peccatum; gubernatio autem Populi per

Regẽ est optima, vt Philus. dicit 3. Politicæ, et per conse-

quens est maxime secundum dictamẽ rationis rectæ,

quæ magis respicit bonum commune, quã particulare:

ergo Regẽ sibi petere non fuit peccatum.

2.º illud, quod lege Divina conceditur est li-

citum, et per consequens non est peccatum, quia

lege Divina nullũ peccatum conceditur; sed Deuteron.

17. ca.º concedit lex Divina filiis Israel constitutio-

nẽ Regis, vbi dicitur: quum ingressus fueris ter-

ram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi &.ª

sequitur: et dixeris; constituam super me Regẽ &.ª

sequitur: eũ constitues, quem Dominus Deus tuus

elegerit: ergo licuit eis Regẽ super se petere.

3.º ã sufficienti divisione; nãi aut Populus

petiit sibi Regem absolutę potestatis, et non limitatę iuribus, et rationibus secundum Dei voluntatē moderatis; aut petiit Regē bonū, et divinę legi subiectū, nec proprio bono, sed communi utilitati Populi studētē; primū est contra naturam, et ideo incredibile, quia nemo sibi malum appetit, nec procurat, et sic Populus non potuit petere Tirannū, maxime, quia tirannis filiorū Samuelis prębuit eis occasionē petendi Regem, ita enim reffert textus 1. Reg. 8: factum est autem, cum senuisset Samuel, posuit filios suos Iudices in Israel, et infra, et non ambulaverūt filii illius in viis eius, sed declinaverunt post avaritiā, acceperūtque munera, et perverterūt iudiciū; unde constat, quod filii Israel non petebant Sillā cupientes vitare Caribdim: ergo petierunt Regē non dyscholū, sed bonū, non tirannum, sed patrē communi bono utilem, et ita non peccaverunt.

In contrarium est textus in fronte quęstioni positus et 1. Reg. 8°. dicit Samueli Dominus: non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem

super eos iuxta omnia opera sua, quæ fecerunt à die, qua eduxi eos &c.ª

Pro responsione ad quæstionē V.ª est notandum, quod Rex, sive Rector à regendo dicitur duplex autē est modus regiminis unus Iustus, et Rectus. Alius iniquus, et declinans à rectitudine. Recte autē regitur, aut dirigitur unumquodque quando ad finē convenientē deducitur; non recte vero quando ad finē non convenientē deducitur. Alius autem est finis conveniens multitudini liberorum, alius servorum; nam liber est, qui sui causa est; servus autem qui id quod est alterius est. Si ergo liberorum multitudo à regente ad bonum commune multitudinis ordinetur, erit regimen rectum, et iustum, quale convenit liberis. Si vero non ad bonū multitudinis comune, sed ad bonū privatū regentis regimen ordinetur, erit regimē iniustum, atque perversum; unde et Dominus talibus Rectoribus comminatur per Ezechielē dicens: veh Pastoribus, qui pascebant semetipsos; nonne greges

à Pastoribus pascuntur. Si ergo regimen in-
iustũ per unum tantum fiat, qui sua comõda
ex regimine quærat non autẽ bonũ multitudi-
nis sibi subiectæ, talis Rector vocatur tirañus.
Si vero iniustum regimen non per unũ fiat, sed
per plures paucos vocatur græce oligarchia,
id est paucorũ Principatus, scilicet quañdo pau-
ci propter divitias opprimunt Plebẽ sola plu-
ralitate à Tiranno differentes. Si vero iniquũ
regimen exerceatur per multos dicitur græce
democratia, id est, multorũ Principatus, quañdo
scilicet Populus plebeorũ per potentiã multitudi-
nis opprimunt divites, et sic totus Populus erit,
quasi unus tirannus. Et similiter distingu-
itur iustũ regimẽ, si enim Administretur
per aliquã multitudinẽ communi utilitati
intendentẽ vocatur græce pollitia, ut pote quũ
multitudo bellatorum in civitate, vel Provincia
dominatur; si vero Administretur per pau-
cos virtute præditos tale regimẽ vocatur græ-
ce Aristocratia, id est optimatum, vel optimorũ,

vel virtute præditorũ Principatur. Si vero iustũ Regimen ad unum tantum pertineat ille proprie Rex dicitur; unde Dominus per Ezechi. dicit: servus meus David Rex super omnes erit, et Pastor unus erit omniũ eorũ. Ex quo manifeste ostenditur, quod de ratione Regis est, quod sit, qui præest, et quod sit Pastor commune multitudinis bonũ, et non suum quærens; unde, qui perfectã comũnitatẽ regit, id est, civitatẽ, vel Provinciã ad subditorum utilitatẽ antonomaticè, Rex vocatur; qui vero domũ regit, non Rex, sed pater familias dicitur, qui aliquatenus Regi assimilatur, et ob id Reges Populorũ aliquando patres vocantur. ex quibus constat quid Regis nomine importetur.

2º notandũ, quod circa peccatũ, quod incurrerunt filii Israel petendo sibi Regẽ fuerunt tres modi dicendi. Primus postillatoris, et quorũdã antiquorũ Hæbræorũ, et catholicorũ, qui dixerũt, quod quum Regnũ sit optimũ gubernationis

genus quæcumque gentes petiverent, et constitu-
issent Regẽ non peccaverent; filii autem Israel Re-
gem petendo peccaverunt, quia non communi
lege se regebat, vt patet per duas auctoritates
allegatas ex ca. 12. primi Reg. vbi etiã narratur
miraculũ divinitus datum ad confirmationem
verborum Samuelis arguentis Populũ de pec-
cato. et Ratio fuit, quia Deus Populũ Israel ele-
git sibi in specialẽ, et pecculiarẽ præ cæteris Populis,
vt patet Deuteron. 7. vbi dicitur: te elegit Domi-
nus Deus tuus, vt sis ei Populus pecculiaris,
et ideo Deus voluit esse Rex immediatus illius
Populi, propter quod, et legẽ dedit, et in monte Si-
nai per se ipsum, id est, per Angelũ in per-
sona Dei loquentẽ, et non per hominẽ medi-
atorẽ, propter quod voluit homines guberna-
tores illius Populi ab ipso immediate institui
tanquã eius vicarii essent, et non Reges, aut
Domini, vt patet de Moise, et Iosue, et Iudicibus
sequentibus, de quibus dicitur in li. Iudicum:
suscitavit eis Dominus talẽ, vel talem, quapropter

filii Israel peccaverunt contra ordinationē Domini petendo super se Regē hominē mortalem, quū tale dominium retinuisset sibi Dominus pro singulari privilegio, et utilitate eorū; semper enim optime, et ad eorum utilitatē eos gubernavit quamdiu boni subditi fuerunt; fecissetque semper sic si Populus ille semper in Domino perstitisset. Hæc illi.

2.us modus dicendi est Domini Burgensis, qui confutans dictū modum, dicit, quod bene possunt stare, quod gens aliqua habeat Regem mortalē, et tamē habeat Deum Regē, et Gubernatorē principalem, quod confirmat per exēpla; nā et si ecclesia, et Populus Christianus habet Rectores in spiritualibus, ut Papam, et alios Pontifices, et in temporalibus, ut Imperatorem, et alios Reges, et Principes, et eis est subiectus, non tamen abiicit per hoc Regnū principale, et immediatum Dei; quinimo cuncta Regna terrena, quando Regno Dei sunt contraria, contempnit, ut clare patuit in Primitiva ecclesia

tempore Apostolorũ, et aliorũ Martirũ.

2.º instat, quia si talis petitio fuisset peccatum, non fuisset abolitũ, manente Regno, et Rege, quẽ petierunt. ex quibus concludit, quod Populus, petendo sibi Regẽ, non peccavit, maxime, quia erat ei Divinitus concessum, vt patet Deuteron. 17. et vt det modum sententię suę addit, quod Regis constitutio contingit bipharię, scilicet vno modo secundum potestatẽ regendi illimitatam; alio modo secundum potestatẽ limitatam; primo modo constituitur Rex absolutus legibus potens regere pro libitu voluntatis, sicut sunt Imperator, et alii Reges tam catholici, quam Infideles; secundo modo constituitur Rex obligatus ad servandum leges ad se, et subditos suos pertinentes. dicit ergo quod Deus concessit eis petere, et eligere super se Regem secundo modo, scilicet cum limitata potestate, et servatis certis conditionibus Divinitus institutis ad compescendam Regis potentiã, ne facile in tirannidẽ laberetur; vnde Deuteron. 17. vbi eis facultatẽ constituendi Regẽ concessit,

eis addidit quasdam regulas tam in modo eli-
gendi, quam in modo vivendi ipsius Regis in se, et
etiam quo ad Deum se habendi, et quo ad subditos,
quæ regulæ omnino contradicunt communibus re-
gulis aliarũ gentium. In modo namque eligendi
ad cavendas violentias, et fraudes, quæ in similibus
electionibus solent contingere, instituit, ut expec-
taretur Iudicium Divinum; unde ait: eũ constitues,
quem Dominus Deus tuus elegerit. Secundo ad
vitandum imitationẽ, et consuetudinẽ aliarum
nationum addit: non poteris alterius gentis
hominẽ Regẽ facere. Tertio instruit Regi mul-
tiplicationẽ equorum, curruum, et uxorum,
et immensorũ argenti, et auri ponderum, quæ
sunt tirannidis seminaria. Quarto instituit,
ut Rex semper legeret, et cogitaret de lege Dei,
ut continuus esset in Dei timore, et obedientia, quũ
dicit: describet sibi Deuteronomiũ legis huius &ca legetque
illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere
Deum &ca. Quinto præcepit ne superbe, seu tiranice
contemneret, seu opprimeret subditos, quum addit:

nei elevatum cor eius in superbiam super fratres suos &ca. quę omnia contradicunt 1.º modo Regnandi, qui est communis aliis gentibus, seu nationibus.

Constat autem quod filii Israel institutionē Regis primo modo eis non concesso, imo vero interpretative eis prohibito petierunt Regem, vt patet per verba principalia suę petitionis ca.º 8.º 1.º Reg. quum dicunt: constitue nobis Regē, vt iudicet nos, sicut et vniversę habent nationes; non enim solum petebant esse sub Rege modo eis ā Domino concesso, qui est secundus modus, sed quod Rex iudicaret eos modo quo Reges communiter iudicabant gentes, scilicet absolute, et absque limitatione potestatis, et temperie appetitus, prout moris communis erat inter gentes pręsertim eo tempore; et ideo sequitur: displicuit sermo in oculis samuelis, eo quod dixissent: da nobis Regem, vt iudicet nos; non enim displicuisset si Regem simpliciter petiissent, modo eis ā Domino concesso, sed propter

istã additione, vt iudicet nos, sicut gentes, quod intelligitur primo modo prędicto; vnde et sequitur: dixit Dominus &c.a non te abiecerunt, sed me, petendo enim Regem cum potestate, et Iurisdictione absoluta, sicut inter gentes implicite petebãt ipsũ contra modum instituendi Regem sibi concessum. Vnde et quamprimum Deus mandavit Samueli, vt protestaretur Populo Ius Regis tali scilicet primo modo regnaturi dicens: filios vestros tollet &c.a et concludit: vosque eritis ei servi, quod proprie est Tirannorum, qui suis subditis, vt servis principantur, quod totum occasione plenissime potestatis Regi concessum est, ad communẽ modum gentium, de quibus Dominus Lu. 22. dicit: Reges gentium dominantur eorum. Hęc Burgensis, ex quibus concludit, quod Populus non peccavit, petendo Regem; sed non petendo eo modo quo ei Dominus concesserat, et facta pœnitentia de peccato suorum ei concessit habere Regem.

Tertius modus dicendi quorũdam est, quod

filii Israel peccaverunt petendo Regẽ, non solũ prædicto modo, sed etiam afficiendo iniuria Samuelem iustum Iudicem à Deo constitutum, licet enim filii sui, quos constituerat Iudices, peccaverent, vt patet in principio dicti octavi capituli, non tamen ex hoc in scriptura legitur imposita culpa Samueli, sicut Heli fuit coniecta ex peccato filiorũ 1. Reg. 2. et Ratio differentiæ est, quia peccata filiorũ Heli erant publica, seu notoria tam sibi, quã Populo; peccata vero filiorũ Samuelis non ita erant publica, seu manifesta; peccabant enim accipiendo munera, et pervertendo Iudiciũ, quod sæpe fit oculte, et colorate, et sic præsumẽdũ est, quod Samuele ignorante, hoc fecissent, præsertim quia non reffertur antea monitus, et reprehensus sicut Heli; Inde. vt Samuel ostenderet innocentiã suam vt 1. Reg. 12. dicitur: requisivit Populum præsentãdo ei filios suos, vt redderent de se ipsis rationem dicendo: ego senui, et filii mei vobiscum sunt quasi dicat, vt puniatis eos secundum delicta eorum. Secundo requirit eos de se ipso dicens:

ego Pastor sum, loquimini de me coram Domino, et coram Christo eius. vtrū bovem cuius quā tulleṁ &c.a vsque ibi Testis est Dominus, quia non inveneritis quicpiam in manu mea; et sic patet, quod ipse volebat se purgare ab infamia suę depositionis. Concordat cum hoc Glosa, quę super illud verbum non te abiecerunt, se me interlinealiter dicit: qui vos sprevit, me sprevit, in quo patet, quod quum Samuel constitutus ā Deo sine causa sperrebatur, Deus ipse videbatur sperni, in quo manifeste peccabant, etiā si petere Regem post obitum Samuelis foret licitum eo modo, quo petere debuerūt, de quo peccato videntur pœnituisse, quandoquidē Samuelē postea tam in vita, quam in morte valde honorifice tractaverunt, vt constat ex contextu Sacrę historię. Et nota, quod hic tertius modus respondendi ad quęstionē non excludit primū. ex vtroque enim posset formari vna sufficiens responsio, videlicet quod Iudęi peccaverunt petendo Regem non simpliciter, sed quia Samuelē

abiecerunt sine sui culpa usque ad abiectionem Dei iuxta textum: non enim te abiecerunt sed me; et Glosa interlinearis dicit: qui vos spernit, me spernit, abiiciendo enim alterũ, abiiciebant utrũque.

Ex tribus dictis modis dicendi, primus scilicet postillatoris magis mihi placet, nimirum quia plane apparet ex contextu Sacræ Scripturæ Deum sicut illum Populum sibi in Populũ singulariter elegit ita voluisse, et elegisse singularẽ modum regendi eum, scilicet quando Deum offendebat, castigando eum, ut filiũ, peracta autẽ poenitentia suscitando ei redemptorẽ, et gubernatorẽ, ut patet ex decursu Sacræ Scripturæ ab exitu de Egipto usque ad constitutionẽ Saulis, quando petierunt Regẽ humana institutione, sicut habebãt ceteræ nationes; unde et sacra narratio habet congregati universi seniores natu, dixerunt ad Samuelẽ, constitue nobis Regem, ut iudicet nos, sicut ceteræ nationes; non enim dixerunt, pete nobis ã Deo Regem &ª; quo pacto si petiissent forsitam non peccassent, nec Dei ordinationi con-

traxemissent; ceterum quum de peccato sic commisso poenituissent, et suum errorem correxissent Samuele veniam eis impetrante peccatũ eorũ deletum est, ut patet 1. Reg̃. 12. in textu iuncta Glosa interlineari. Constat autẽ, quod Rex tunc non fuit constitutus quemadmodum fuit petitus nam petebatur constitui ordinatione humana, et hoc fuit peccatum; sed petitio, ut sic non habuit effectũ; quia institutus est electione, et unctione Dei; unde non fuit peccatum sub Rege sic constituto permanere. Ex quibus patet responsio ad quęstionẽ; quia peccaverunt petendo sibi Regem contra Dei voluntatẽ, qui eis speciali munere pręerat, non ut ceteris Nationibus.

Ad argumenta autem Burgensis contra Postillatorem tenendo partẽ affirmativam quęstionis, dicendum. Ad 1um quum dicit, quod ex hoc, quod petierunt Regem, non excluserunt Deum immediatum habere Regem, quia bene se compatiuntur aliquã gentem habere Regẽ mortalẽ, et Deum immortalem habere prin-

cipalem Gubernatorem, et Regem, et ita non peccaverunt, Regem petendo, quia Deum non exclu- serunt, sicut hodie Christiana Natio, habendo summum Principem spiritualem, vel temporalem, Imperatorem, vel Regem, non excludit Dei do- minium immediatum. Dicendum, quod, sicut dic- tum est, hoc singulare voluit Deus in singulariter sibi Populo electo, ut pecculiari, ut ipse solus no- minaretur Rex; non enim ignorabat, quod per generalem influentiam esset Rex, et Gu- bernator, et eius Populi, et cunctorum aliorum; unde Dominus dicit: non te abiecerunt, sed me; et Glosa: qui vos spernit, me spernit; et se- cundum dictum modum non stat, quod Deus fuisset Rex, et Gubernator, postulato, et optento tali Rege, nisi generali influentia, quam Populus abiicere non potuit; nec valent exem- pla de Papa, et Imperatore, aut Regibus; distin- guenda enim sunt tempora, illo enim tem- pore noluit Deus, ut in illo Populo nominaretur aliquis Rex; sed postea indulsit, ut essent Principes,

et Reges in Nationibus, qui nihilominus ab eo consti-

tuuntur iuxta illud Ro. 13: omnis potestas à Domino

Deo est; et Augustinus 5º. civit. Dei prorsus, inquit,

Divina Providentia Regna constituuntur humana.

Ad 2um. quum dicit, quod petere Regem non fuit

peccatũ, nam perseverante peccato, non censetur de-

letum. Constat autem ex Historia Sacra, quod per-

severaverũt in sua petitione, et impetrato Rege

votique potiti sub Regio Imperio permanserũt:

ergo videtur non fuisse peccatum. Dicendum

quod petere Regẽ absolute non fuit peccatum,

sed petere contra Dei ordinationẽ, quũ autẽ de peccato pœ-

nituerũt, et de manu Domini mediatore Samuele elec-

tũ, et unctũ susceperũt Regẽ, sub Dei ordinatione, et sine pecca-

to permanserũt; et sic patet responsio ad motiva Domini Burgẽsis.

Ad argumenta vero principalia Dicendum.

Ad 1um. quod non inficiamur Regnũ inter hu-

mana Regimina esse optimũ, non tamen

hoc excludit, quod Regimen, aut Regnum Dei

sit melius; tum quia Deus infinitè perfecti-

onis, et bonitatis est ergà genus humanũ; tum quia

numquam mutatur, aut labitur in corruptionem, vel tirannidem, sicut Regnũ humanum.

Ad 2um. dicendum, quod illud, quod habetur Deuteron. 17. de constitutione Regis quantũ spectat ad Populum non fuit concessio proprie dicta, sed magis permissio, sicut repudium vxoris fuit permissum ad duritiam cordis eorum; sicut igitur in repudio, si contingeret, fuit præceptum, quod darent libellum repudii, sic in hoc casu fuit provisum ab illo, cui omnia futura sunt præsentia, quod quando omnino Regem habere vellent, susciperent electum a Domino, et de fratribus suis, non de gentibus, aut extraneis &c.a

Ad 3um. dicendum, quod filii Israel nõ petierunt Regẽ absolutę, vel illimitatę, aut tirãnicę potestatis, quia nemo sanę mentis subditus talẽ sibi Regẽ cupit, aut petit; sed petiit Regem contra voluntatẽ Dei, qui volebat hoc singulare in illo Populo, ut Rex ipse nominaretur, et quando expediret Populo ipse sua solerti Providentia sibi de Gubernatore provideret. etiam petierunt contra

Dei ordinationẽ, quum enim à Deo petere debuissent, petierunt à Samuele dicentes: constitue nobis Regem, vt iudicet nos, sicut et ceteræ habent Nationes; in hoc etiam peccaverunt, quod petierunt, vt haberent Regem Iudicẽ, sicut ceteræ Nationes, quum Deus speciali munere, et gratia ab aliis Nationibus eos segregaverat, et se eis in Ducem, et Regem singulari modo præbuerat, et propter hæc peccaverunt, vt dictum est; non quia Tirannum sibi in Regem petierunt.

QVÆSTIO.

Super versu: adiuravit autẽ Saul Populum dicens: maledictus vir, qui comederit panem vsque ad vesperam donec vlciscar de inimicis meis 1.a Reg. 14. quod exponitur: adiuravit, id est iureiurando constrinxit: maledictus vir, id est morti adiudicatus; vnde contra filiũ dixit Saul infra:

hęc faciat mihi Deus, et hęc addat, quia morte morieris Jonatha. Qui comederit panẽ, id est, quemcumque cibũ. Jonathas enim nõ comedit panem, sed mel: potest quęri, vtrũ hic Saul iurando peccavit.

Et videtur, quod non. Primo, quia vt dicit Ambrosius affectus tuus operi tuo nomẽ imponit; sed affectus Saulis fuit bonus, scilicet, vt idolatrę, et hostes nominis Dei dissiparentur, quod nõ solum erat licitum, sed bonũ, et meritorium: igitur non peccavit.

2.° Si Saul iurando peccasset, Jonathas comedendo contra pręceptum patris non peccasset, quod videtur falsũ, quia ob id factũ Deus cessavit dare responsum, vt patet in textu.

3.° quia si Saul peccasset, Deo non displicuisset transgressio sui Juramenti; sed videtur, quod displicuit, quia suo Judicio revelavit per sortes transgressorẽ Jonatham: ergo Saul non peccavit.

In contrarium facit, quod dicitur Hieremiæ 4: iurabis, vivit Dominus in veritate, in Iudicio, et Iustitia; quod exponens Hieronimus dicit: animadvertendum est quod Iusiurandum hos habet comites, scilicet veritatem, Iudicium, et Iustitiam; sed iuramento Saulis defuit Iudicium, scilicet discretionis sine qua sacrificium in oculis Domini nullũ est, præcipiente eo in omni sacrificio offerri sal; fuit etiam iniustum, quia ob levem culpam per quam gravẽ pœnam comminatus est: ergo iurando peccavit, quod etiam communiter tenetur ã catholicis Doctoribus.

Pro responsione notandum, quod iuramentum non est bonum nisi ei qui bene utitur iuramento. Ad bonum autem usum iuramenti duo requiruntur; primo quidem, quod aliquid non leviter, sed ex necessaria causa, et discrete iuret, et quantum ad hoc requiritur Iudicium, scilicet discretionis ex parte iurantis. Secundum quantum ad id quod per iuramentum confirmatur, ut scilicet nec sit falsum, nec sit aliquid illicitũ,

et quantum ad hoc requiritur veritas, per quā aliquis Iuramento confirmat, quod verum est, et Iustitia, per quam confirmat, quod est licitum; Iudicio autem caret Iuramentum incautum, veritate autem Iuramentum mendax; Iustitia autem Iuramentum iniquum, sive illicitū; quibus prępositis.

2.° notandum, quod Saul in pręfato Iuramento peccavit bipharium; primo quia male iuravit; secundo quia peius implere voluit. Primum declaratur sic, quia licet Iuramentum sit bonū in neccessitate, et cum debitis circumstantiis, si tamen hęc defficiant, est malum; sic autem fuit in proposito, quia Deus miraculose victoriam sufficientē dederat; unde non erat neccesse ulterius insequi hostes absque divino consilio, et responso, quod Saul non expectavit, ut Historia refferet; fuit pręterea tale Iuramentum indiscretum, et incautum, quia pręcipiendo, ut Populus non comederet usque ad vesperam, non excepit

verbo, aut sensu casum neccessitatis; quod patet, quia Ionathã filiũ suum, qui in neccessitate positus modicum mellis comederat, voluit omnino occidere; casus autem neccessitatis ab omni lege, et præcepto intelligitur exceptus; unde regula Iuris est, quod non est licitum in lege, neccessitas licitum facit, et ideo peccavit Saul non excipiendo expresse, vel tacite, quod debuit. Item peccavit, quia Iuramentũ eius vergebat in peiorem exitum, quia si Populus ieiuniis, ac labore fatigatus aliquid cibi accepisset, maior plaga in hostibus facta fuisset; unde Ionathas dixit: vidistis ipsi quia illuminati sunt oculi mei, eo quod gustaverim paululum de mele isto, quanto magis si comedisset Populus &ra. et concludit nonne maior plaga facta fuisset in Philistiim? Item peccavit, quia præbuit occasionẽ peccandi toti Populo, qui propter eius Iuramentũ non fuit ausus sumere aliquem cibum usque ad vesperam, propter quod veniente vespera Populus lassus, et famelicus ex festinatione comedẽdi peccavit comedens cum

sanguine, ut Sacra narrat historia. Ex quibus concluditur, quod Saul primo peccavit temerarie iurando, secundo impie adimplendo, quantũ fuit in se, quia Jonatham primogenitum, et virũ electum, et Deo acceptum, et per quem Dominus prębuerat miraculosã victoriã de facto voluit occidere ob levissimam causam, non admittendo iustam excusationẽ. Unde et super temerariũ, et indiscretum iuramentum impia verba confirmatoria addidit replicans: hęc faciat mihi Deus, et hęc addat, quia morte morieris Jonatha, unde et in tali replicatione, ac confirmatione Juramenti iterum peccavit.

Et per hęc patet responsio ad argumenta in contrarium. Ad 1um igitur dicendum, quod bonitas motivi non iustificat factum malũ, Si enim quis motus pietate furetur, ut pauperi prębeat eleemosinã, aut quis concubinę indulgeat, ut filios, qui Deum laudent, procreet, non excusatur; non enim ut ait Apostolus Ro. 3: sunt facienda mala, ut veniant bona.

Ad 2um. dicendum, quod Ionathas comedendo mel non peccavit; tum quia præceptum patris non audierat; unde id fecit per ignorantiam facti, quæ prorsus excusat; unde textus dicit: porro Ionathas non audierat, quum adiuraret pater eius Populũ; tum quia positus in necessitate comedit; ex labore enim prælii, et ieiunii, et calore solis adeo fatigatus, ac lassus erat, ut eius oculi, cæterique sensus caligarẽt, ac pœnè defficerent, quapropter textus reffert, quod gustato modico mellis oculi eius fuere reffecti, siquidẽ confortato corde, et resumptis viribus etiã sensus restituuntur.

Ad 3um. dicendum, quod Dei responsa dantur ex eius mera gratia, et voluntate, et similiter subtrahuntur propter iudicia sua ignota nobis notissima sibi; aliquando sine peccato; aliquando propter peccatũ; nonnunquã vero, ut det aditum manifestandi aliquid occultũ, sicut in Ionatha; voluit enim Deus, ut in commisso deprehenderetur ad declarationẽ suæ innocentiæ

et instructionē Populi; sciebāt enim multi ipsum comedisse, qui tamen ignorabant eius necessitatē, et iuramenti patris sui indirectionē, et ideo potuissent contra eius innocentiam scandalizari reputando eum transgressorem, et ideo Deus voluit, quod publice deprehenderetur, ut coram omnibus se excusando eius innocentia declararetur, et per consequens per Populum, sicut innocens liberaretur, reputando eius mortem iniustam.

Quaestio.

Super versu: igitur quandocūque spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharā, et percutiebat manu sua, et refocillabatur Saul, et levius habebat. Recedebat enim ab eo spiritus malus 1°. Reg. 16: potest quaeri, utrum mali spiritus, qui daemones appellātur, possint allici, vel cogi per aliquas res sensibiles, vel corporales, vel verba,

vel melodiam, vel fumos, vel

virtutem lapidum, vel herbarum &c.

Et videtur, quod possint. 1°. nam Augustinus 10 civit. Dei introducit verba Porphirii dicentis, quod quidam vir in caldea tactus invidia adjuratas spirituales potentias precibus alligavit, ne ab alio postulata concederent; et in 21 eiusdē libri dicit: non potuit primus nisi dæmonibus dicentibus disci quid quisque eorū appetat, quid exhorreat, quo invitetur nomine, quo cogatur: ergo dæmones ab aliquibus coguntur ad aliqua facienda.

2°. quicumque aliquid facit contra suā voluntatē aliquo modo cogitur; sed dæmones aliquando faciunt aliquid contra suam voluntatem per Magos adjurati; est enim voluntas dæmonis semper ad inducendum homines in peccatum, et tamen aliquis magica arte ad turpem amorē incitatus eadem arte, a violentia incitationis solvitur: ergo dæmones coguntur a Magis, et non nisi per aliqua sensibilia: ergo per aliqua sensibilia, vel alliciuntur, vel coguntur.

3°. nam de Salomone legitur, quod fecit quosdam exorcismos, quibus cogebantur Dæmones recedere à corporibus obsessis: ergo Dæmones possunt cogi per adiurationes.

4°. si Dæmones advocati à Magis, veniūt, hoc esse non potest, nisi quia alliciuntur, aut quia coguntur; sed non semper advocati alliciuntur; advocantur enim aliquando per ea, quæ odiunt, sicut per virginitatem imprecantis puellæ, quum tamen ipsi ad incestus concubitus homines inducere conētur: ergo videtur, quod aliquando coguntur.

5°. studium Dæmonum est avertere homines à Deo; sed ipsi advocati per aliqua, quæ Dei reverentiā sonant, sicut per invocationē Divinæ Maiestatis adveniunt: ergo non propria voluntate hoc faciunt; sed coacti.

6°. si alliciuntur aliquibus sensibilibus non alliciuntur eis sicut animalia cibis, sed sicut spiritus signis quæcumque delectationi congruunt per varia genera lapidū, herbarum,

lignorum, animaliũ, carminũ, rituum, vt Augustinus dicit 21 de civit. Dei. Sed signis allici non videntur, cuius enim est signis allici, cuius est signis uti quodquidem est solum habentis sensũ; nam signum est quod prȩter speciem, quã ingerit sensibus aliquid aliud in cognitionẽ trahit: ergo Dȩmones nullo modo alliciuntur, sed magis coguntur.

7º Math. vltimo dixit quidã ad Iesum Domine miserere filio meo, quia lunaticus est, et male patitur. In Marco autem dicitur: attuli filiũ meũ ad te habentem spiritum mutum; dicit autẽ Glosa super verbo prȩdicto Mathȩi, hunc Marcus surdum, et mutum dicit, quem Mathȩus nominat lunaticũ; non quod Luna Dȩmonibus serviat, sed Dȩmon Lunȩ cursum observans homines corrumpit: videtur ergo quod per observationem coelestiũ corporum, et aliorum corporatiũ Dȩmones ad aliquid faciendũ cogantur.

8º. quum Dȩmones ex superbia peccaverint, non est probabile, quod alliciuntur illis, quȩ

eorum excellentiæ derogare videntur; advocã-
tur autem per convocationes virtutis ipsorum, et
per mendacia incredibilia, quæ derogant scientiæ
ipsorum; vnde Augustinus 10 de civit. Dei intro-
ducit verba Porphirii sic dicentis, quid est homo
vitio cuilibet obnoxius, intendit, minatur eaque
terrorat falso, vt ex eis extorqueat veritatem; nã
et coelũ se collidere minatur, et alia similia ho-
mini impossibilia, vt illi dii tanquã insipientissi-
mi pueri falsis, et ridiculosis comminationibus
territi, quæ imperantur, efficiant: ergo Dæmones
non alliciuntur, sed coguntur advocati.

9.° voluntas Dæmonis ad hoc tendit, vt ho-
mines in culturam idolorum deiiciat, quodquidẽ
præcipue fit per hoc, quod spiritus Dæmonum
imaginibus assunt; si autẽ propria sponte
advocati venirent semper ad talia venirent;
non autem sæpe perveniunt, nisi certis tempori-
bus observatis, et determinatis carminibus,
et ritibus imaginibus consecratis, vel potius
execratis: non ergo Dæmones advocantur, quasi

allecti, sed quasi coacti.

Decimo aliquando Dæmones magicis artibus advocantur, vt homines ad turpem amorem inclinẽt, hoc autẽ Dæmones propria voluntate facere intendunt: non ergo esset opus, vt allicerẽtur, sed semper hoc facerent advocati; non semper autem hoc faciunt: ergo quando faciunt advocantur, non vt allecti, sed quasi coacti.

Vndecimo Nigromãtici observant certas Constellationes ad invocandos Dæmones; non autẽ invocarentur per corpora coelestia, nisi eis subiacerent: ergo subiacent actionibus coelestiũ corporũ, et similiter aliorũ corporũ, et sic coguntur eis.

Duodecimo probatur idem per exempla; dicitur enim 1. Reg. 16. quod quandocumque spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat cithanã, et percutiebat manu sua, et reffocillabatur Saul, et levius habebat; recedebat enim ab eo spiritus malus.

Item Thobię 6. dixit Angelus Raphael de iecore

piscis, quod si super carbones poneretur, fumus eius, extricaret omne genus Demoniorum, sive a viro, sive a femina; odor autē huius fumi non est res spiritualis.

Item in musica Guidonis dicitur, quod sūt quidam Demones, qui melodiam sustinere non valent.

Item Josephus in li. de bello Judaico dicit, quod in exercitu Titi, quum obsideret Hierusalē, erat quidam, qui per lapidē Anuli Demones expellebat a corporibus obsessis.

Sed posset quisquam dicere, quod licet Demones non possint cogi per sensibilia supradicta, tamen mediantibus dictis sensibilibus virtus Divina per imprecationes ministrorū, scilicet Magorum, et sui similiū id efficit. Contra; nam cogere Demones ex virtute Divina est per donum gratię, quo perficiuntur ordo coelestiū Potestatum; hoc autē donum gratię non adest infidelibus, et scelesatis hominibus, quales sunt Magi, et talia ministeria Demonum exercentes: ergo etiam vir-

tute Divina Dæmones cogere non possunt. Itē facere ea, quæ Divina virtute principaliter fiunt, non est peccatum, sicut facere miracula: si ergo Magi virtute Divina Dæmones cogerēt, utendo magicis artibus, non peccarent, quod patet esse falsum: non ergo Dæmones virtute Divina coguntur.

Sed contra est, quod maior potestas non cogitur ā minori; sed non est potestas in terra, quæ comparetur potestati Dæmonum, ut dicitur Iob 41: ergo. Confirmatur, quia agens est superius patiente, ut Augustinus dicit l. 12. super Gen. ad lit. et Aristoteles 3. de Anima dicit: omne agens principalius est passo: ergo nulla inferiora ordine naturæ cogunt Dæmones. Item non est eiusdem invocari, et cogi; invocantur enim maiores, ut Porphirius dicit, sed peioribus imperatur; Dæmones autē veniunt advocati: ergo non coguntur.

Pro responsione ad quæstionē 1°. notandum, quod circa Dæmones fuit triplex opinio; prima Peri-

patheticorum, qui posuerunt Dæmones non esse, sed quod ea, quæ attribuuntur Dæmonibus secundū artē nigromanticam fiunt virtute coelestium corporū; et hoc est quod Augustinus 10 civit. Dei introducit dictum ā Porphirio, quod fabricātur in terra ab hominibus potestates idoneæ siderum variis effectibus exequendis. Sed hæc positio est manifeste falsa; experimento enim scitur multa per Dæmones fieri ad quæ nullo modo virtus coelestium corporum sufficeret, puta, quod Arreptitii loquuntur lingua ignota, et quod recitant versus, et auctoritates, quas nunquam sciverunt, et quod nigromantici faciunt statuas loqui, et moveri, et similia; ex quibus Platonici fuerūt moti, ut ponerent Dæmones esse animalia corpore aerea, animo passiva, ut ab Apuleio dictum Augustinus introducit 8.° civit. Dei; ponebant enim Platonici naturā Dæmonum esse mediam inter intelligentias, quæ sunt substantiæ meræ spirituales, et homines habentes corpora ex quatuor elementis constituta;

et secundum hanc Platonicorum opinionẽ, quæ est secunda, si esset vera non inconveniret, quod Dæmones allicerentur, et cogerentur per virtutẽ aliquorũ cælestium, vel inferiorum; Sed hæc opinio, et secundum Aristotelẽ 12. Metha. et secundum omnes catholicos habetur falsa. Quorum est tertia opinio, quod Dæmones sunt substantiæ spirituales, sive intellectuales corporibus non unitæ, quod naturalia remanserunt in eis integra, licet per malitiã sint depravati; ex quo aperte concluditur, quod non subduntur actionibus cœlestiũ corporũ, et minus aliorũ inferiorum corporalium; nec per se, nec per accidens, nec directe, nec indirecte.

2.º notandum, quod circa effectus magicarum artium multiplex fuit opinio; Alexander enim dixit, quod effectus magicarũ artium fit per aliquas potentias, et virtutes in rebus inferioribus generatas ex virtutibus quorundam inferiorum corporum cum observatione cœlestium motuum; Unde Augustinus 10 civit. Dei.

dicit, quod Porphirio videtur herbis, et lapidibus, et animantibus, et quibusdam sonis, ac vocibus, et figurationibus, atque figmentis quibusdam, etiam observatis in cœli conversione motibus siderum fabricari in terra ab hominibus potestates idoneas siderum variis effectibus exequendis. Quę positio est insufficiens, licet enim ad aliqua, quę magicis artibus fieri videntur naturalium corporum superiorum, et inferiorum vires sufficere possunt, sicut ad quandã corporum transmutationes, quędam tamen fiunt magicis artibus, ad quę nulla via corporalis se extendere potest. constat enim, quod locutio non est nisi ab intellectu; per magicas autẽ artes aliquę locutiones aliquorũ respondentium audiuntur, unde oportet, quod hoc fiat per aliquẽ intellectum, et pręcipue quum de aliquibus occultis per eiusmodi responsa homines doceantur; nec potest dici, quod hoc fiat per immutationẽ imaginationis solius per modum pręstigii. Quia tunc istę voces non ab hom-

nibus circumstantibus audiverant; nec solum
à vigilantibus, et habentibus sensus solutos
istę voces audiri possent; unde relinquitur, quod
fiant, vel ex virtute Animę hominis magicis ar-
tibus utentis, aut fiant ab aliquo exteriori intellec-
tum habente; primum autem esse non potest,
quod dupliciter patet; primo quidem quia Anima
hominis ex sua virtute non potest venire ad cog-
nitionē ignotorum, nisi per aliqua sibi nota;
unde ex voluntate hominis non potest fieri reve-
latio ocultorum, quę fit per magicas artes, quum
ad huiusmodi occulta scienda non sufficiant prin-
cipia rationis; Secundo quia si sua virtute
Anima Magi faceret tales effectus, non indigeret
uti invocationibus, aut aliquibus huiusmodi ex-
terioribus rebus. Constat autē, quod huiusmodi
effectus magicarū artium per aliquos exteriores
spiritus fiunt; non autem per spiritus iustos,
et bonos, quod quidem ex duobus patet; primo quia
boni spiritus familiaritatem suam scelleratis
hominibus non exiberent; quales plerumque

sunt magicarum artium executores; secundo quia non cooperantur hominibus ad illicita perpetranda, quod sepe fit per magicas artes; superest autẽ, vt hoc fiat per malos spiritus, quos Dęmones appellamus; qui Dęmones possunt intelligi cogi dupliciter; vno modo per aliquam superiorẽ virtutem, quę eis necessitatem faciendi inducat; alio modo per modum illicionis, sicut homines dicuntur ad aliquid cogi, cuius concupiscentia illiciuntur; neutro autem modo rebus corporalibus per se loquendo Dęmones cogi possunt, nisi supponãtur habere corpora aerea naturaliter sibi vnita, et per consequens habere sensibiles affectiones ad modum aliorum animalium, sicut et Apuleius posuit, Dęmones esse animalia corpore aerea animo passiva; sic enim cogi possent vtroque modo corporali virtute, et corporum coelestiũ, ex quorũ impressionibus in aliquas passiones inducerẽtur, et etiã inferioribus corporibus, in quibus delectarẽtur, sicut Apuleius dicit, et delectãtur infu-

nis sacrificiorum, et in aliquibus eiusmodi;
quia vero falsitas eius opinionis esse se convicit,
superest, quod Demones per quos magicę artes
complemētū habent, et coguntur, et alliciuntur;
coguntur autē ā superiori, quandoque quidem
ab ipso Deo, quandoque vero ā Sanctis, et Angelis,
et hominibus virtute Dei; nam ad ordinem
potestatum pertinere dicitur Demones arcere;
Sancti autē homines sicut dono virtutū parti-
cipant, in quantū miracula faciunt, ita dono
potestatū, in quantū Demonia eiciunt; coguntur
etiam interdum ab ipsis superioribus Demo-
nibus, quę quidē sola coactio per magicas
artes fieri potest; coguntur et quasi allecti
per artes magicas, non quidem rebus corpora-
libus propter se ipsas, sed propter aliquid ali-
ud. Primo quidem quia propter huiusmodi
res corporales sciunt facilius posse compleri
effectū ad quē invocantur, et hoc ipsi appetunt,
vt scilicet eorū virtus admirabilis habeatur,
et ob hoc sub certa constellatione advocati magis

adveniunt. Secundo inquantum huiusmodi corporalia sunt signa aliquorum spiritualium, quibus delectantur; unde Augustinus dicit 21. civit. Dei, quod alliciuntur Demones his rebus nõ tanquã animal cibis, sed quasi spiritus signis; quia enim homines in signũ subiectionis Deo sacrificiũ offerunt, et prostrationes faciunt, gaudent huius reverentię signa sibi exhiberi; alliciuntur autẽ diversi Demones diversis signis secundum quod diversa signa magis conveniunt ipsorũ affectui. Tertio alliciuntur his corporalibus rebus inquantũ homines per eas in peccatum adducuntur, et inde est, quod alliciuntur mendaciis, et his, quę homines in horrorẽ, et in peccatum inducere possunt.

3.º notandum, quod specialiter loquendo circa vim, et potestatẽ, quã melodia potest habere in Demones, Magister Nicolaus sic dicit: videtur autẽ rationabiliter concedendum, quod per melodiam, seu per aliqua alia sensibilia

possunt afflicti à Dæmonibus levius ferre. Primo quia quum actus activorum sint paciente disposito 2. de Anima Dæmones non possunt materiam corporalē transmutare secundum suam voluntatē; sed hoc faciunt mediantibus activis corporalibus, propter quod in suis actibus homines affligendo aliquando considerant dispositionē materię corporalis; vnde et dicuntur aliqui lunatici Mathæi 4. et 17. qui secundū variā dispositionē Lunę affliguntur à Dæmonibus ex Divina tamē permissione, Quia Luna habet dominiū super humidū, et secūdū hoc cerebrum hominis, quod inter omnes partes corporis est magis humidum aptius est ad suscipiendum actionem Dæmonis uno tempore, quam alio secundum varium Lunę motum; et eodem modo ad contrarium per medicinā, seu per aliquā rē sensibilē potest causari dispositio in corpore humano, per quam minus subiicitur actioni Dæmonum, et sic afflictio ab eis causata diminuitur, et alleviatur.

Secundo potest contingere, quia ad afflictionem requiritur perceptio. Delectatio autem est coniunctio convenientis cum conveniente cum perceptione eiusdem ita quod ubi nulla est perceptio, atque coniunctio, nulla est delectatio, et eodem modo est de tristitia, seu afflictione, quæ est de præsenti malo, seu coniuncto cum perceptione eiusdem, et ideo illud, quod diminuit perceptionem huiusmodi, diminuit, et alleviat afflictionem. Melodia vero attrahit ad se mentis attentionem, et retrahit ab afflictionis perceptione, sed dæmonem affligentem non potest expellere.

4.° notandum, quod Dominus Burgensis tenet non solum per melodiam, et alia oblectamenta, et medicamenta sensibilia afflictos a dæmonibus posse levius ferre suam passionem, ut Magister Nicholaus dicit, sed etiam a tali invasione, et passione per tale medium posse totaliter liberari. Quod sic probatur: dæmones non possunt materiam corporalem ad nutum transmutare, nisi mediantibus activis, et

passivis: igitur nec passionare, nisi mediantibus activis corporalibus, quę disponunt materiam ad suscipiendum actionē afflictivam in corporibus obsessis: ex qua ratione infert, quod per aliquā rem sensibilē potest causari dispositio in corpore humano per quā non sit aptū ad suscipiendum actionē Dęmonis. corroborat hoc exemplo dicens, nam sicut mania, quę est ira permanens secundum Damascenū, quę secundum Phum. 4. Ethic. dicitur amaritudo, quę est maxime dispositiva ad mentis alienationē secundum sententiā Medicorum, et per consequens ad suscipiendum afflictionē Dęmonis, quę quidem maniaca passio sicut potest alienari per sensibilia medicamina, sic et penitus curari, quum sit morbus separabilis, et per consequens sic curata cessat talis dispositio in corpore humano ad suscipiendum afflictionē Dęmonum correspondentē tali dispositioni, et sic penitus recedet talis afflictio Dęmonis activa recedente passiva dispo-

sitione sibi correspondente in homine observo.
Hæc ratio convinceret si nunquam Dæmon
posset invadere hominē, vel etiam aliud animal,
nisi aplicando activa passivis, quod solum ha-
bet verum quando ministrat aliquas trans-
mutationes naturaliū, vel accidentalium for-
marum, vt ostendit Augustinus 3. Trinit. sed
quum non sit potestas super terrā, quæ ei va-
leat comparari, vt dicitur Job 41. et Apostolus
- - - dicit an ignoratis altitudinē Sathanæ?
Potest hominē invadere, concutere, impellere,
torquere intus et in cute iussu, aut permissu
Dei, vt patet in exemplo Saul 1. Reg. 16. et
in grege porcorū, quos in mare præcipites
egit, et sic dicta ratio non necessario con-
cludit; multi enim absque dubio potuerunt ha-
bere talem dispositionē, vt invaderentur, qui
non fuerunt invasi, et Saul, qui fortasse in
nullo ad talē invasionem erat dispositus in-
vasionē perculit; nimirū dicit enim textus
Spiritus Domini recessit ā Saul, et exagitabat

cum spiritus nequã à Domino, scilicet tribuente potestatẽ vexandi, vt Glosa Gregorii dicit; quæ vexatio aliquando fit præviis dispositionibus, aliquando non, vt dictum est. Secundo instat Burgensis dicens: si melodia habet efficaciã ad causandum talẽ dispositionẽ in Anima hominis, quod recipiat, vel recuperet donum Prophetiæ amissum, vel sublatum, vt patet de Heliseo 4. Reg. 3. quod Prophetiæ donũ est supernaturale à fortiori posset causare in corpore humano talẽ dispositionẽ, quod non recipiat invasionẽ, et impressionẽ Dæmonũ, quæ est naturalis virtus enim activa, quæ potest in maius, potest in minus. Dicendum, quod Heliseus non recepit actum Prophetiæ solũ per dispositionẽ ex melodia in eo causatam, licet elevata fuerit mens eius ad suscipiendum revelationẽ per melodiam, sed revelatio fuit ei facta voluntate, et opera Dei iuxta illud Petri 2a. cap. 1o. non voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed spiritu Dei locuti sunt sancti Dei homines;

potuit etiam concurrere meritum psalentis, et Dei laus, quam psalter decantabat ad provocandum Deum, ut illuminaret Prophetam; sicut enim virtus corporalis non potest in spiritum, ita virtus creata non se extendit ad habitus, vel actus supernaturales. Nec regula illa virtus activa, quæ potest in maius, potest in minus, militat in proposito; non enim habet locum, nisi in essentialiter subordinatis in eodem genere, sicut portans 10 libras, potest portare quinque, et ignis calefaciens idriam aquæ, potest calefacere medietatem; sed in diversis generibus non valet; non enim sequitur homo generat hominem: ergo equum, vel ignem, vel homo potest portare magnum lapidem: igitur magnum ignem licet sit levior. Quod autem Saul reffocillaretur, et levius haberet ad sonum citharæ David, non abre creditur id factum divinitus ob meritum David carmentis Deo suaves, acceptasque laudes. Nec obstat, quod textus non facit mentionem

de tali merito, vel laudibus; nemo enim nescit quod scriptura raro omnia refert; sed necessaria, et quæ ad suum propositum faciunt, explicat, non pauca vero sedulioris, ut in opere Domini se se exerceant, scrutanda relinquit; dicere autem; hoc Scriptura non exprimit: ergo non est credendum, est error Vdefistarũ, et Husitarum Bohemorum.

Ex dictis satis superque constat responsio ad argumenta principalia in contrarium.

Ad 1um. dicendum, quod Dæmones dicuntur cogi per magicas artes modis dictis in secundo notabili.

Ad 2um. dicendum, quod in hoc ipso Dæmoni satisfit. sed per hoc, quod aliquid malũ impedit, et ad aliquod bonum cooperatur, facilius in sui familiaritatẽ, et admirationem homines trahit, nam et ipsi se transfigurant in Angelos lucis, ut habetur 2. Cor. 11.

Ad 3um. dicendum, quod si Salomon fecit suos exorcismos eo tempore, quo erat

in statu salutis, potuit esse in illis exorzis-
mis vis cogendi Dæmones ex virtute divina,
si autē fecit illo tempore, quo idola adoravit,
vt intelligatur cum per magicas artes fecisse,
non fuit in ezorzismis illis vis cogendi Dæ-
mones, nisi modo prædicto.

Ad 4um. dicendum, quod à virginibus
advocati adveniunt, vt ex hoc in suæ divinitatis
opinionē homines adducant, quasi mundiciam
ament.

Ad 5um. dicendum, quod in hoc etiam
quod ad invocationem divinæ virtutis adveniūt,
volunt intelligi, quod non sunt à divina Justi-
tia omnino exclusi; non enim sic divinitatē
appetunt, vt summo Deo proxius æquari velint,
sed sub eo divinitatis cultum sibi ab homini-
bus exhiberi gaudent.

Ad 6um. dicendum, quod Dæmones non
dicuntur allici signis, quia ipsi signis vtantur;
sed quia homines signis vti consueverunt, de-
lectatur in signis, quibus homines vtuntur

propter signatum.

Ad 7um. dicendum, quod sicut Glossa ibidem dicit Dęmones certis periodis Lunę homines magis affligunt, ut Dei creaturas infament, in hoc scilicet, quod credantur servire Dęmonibus, et per hoc homines in errorē mittant, ut Hieronimus, et Chrisostomus dicunt; vel fit quia cum non possint operari aliquos effectus, nisi mediantibus naturalibus virtutibus considerant corporū aptitudines ad effectus intentos, cum autē cerebrum inter ceteras corporis partes sit humidissimū, ut Aristoteles dicit maxime subiicitur operationi Lunę, quę ex sua proprietate habet movere humorem; in cerebro autē perficiuntur omnes virtutes animales, ideo Dęmones secundum certa augmenta Lunę perturbant hominis fantasiam, quando considerant cerebrū ad hoc esse dispositum.

Ad 8um. dicendum, quod licet prędicta medicamina in derogationem virtutis Dęmonum

esse videantur, tamen hoc ipsum eis est delectabile, quod homines in mendaciis confidant, quia ipse mendax est, et pater mendacii.

Ad 9um dicendum, quod ad imagines vocati adveniunt certis horis, et signis rationibus prędictis.

Ad Decimū dicendū, quod licet semper Dęmones homines desiderent pertrahere in peccata, tunc tamē magis ad hoc nituntur, quando magis ad hoc homines inclinantur, et quando plures possūt inducere in peccatum.

Ad vndecimum dicendum, quod Dęmones advocati in certis constellationibus propter duo veniunt; primo quidē, vt homines in hunc errorē inducant, vt credant aliquod numen esse in stellis; 2.° quia considerant secundum aliquas certas constellationes naturā corporalē magis esse dispositam ad effectus pro quibus advocantur.

Ad Duodecimū dicendum, quod per melodiam virtute naturali Saul levius poterat ferre, sed per eam, vt sic Dęmon non poterat cogi, nec recedebat, sed potius virtute Divina immediate, vel mediantibus

Sanctis Angelis ex merito David, qui divinas

laudes canebat in cithara pro salute Saulis, sicut

per orationes sanctorum frequenter leguntur dę-

mones expulsi ā corporibus obsessis. Melodia etiā

hoc aliquo modo faciebat non agendo in dęmonem,

sed in quantū devotionē David excitabat; sicut legi-

tur 4. Reg. 3. quod Heliseus fecit adduci psaltem, ut

mens eius in Deum elevaretur, et sic esset aptior

ad suscipiendam revelationē, et eodem modo in

proposito mens David magis elevabatur in Deū,

et eius laudes ad expellendum Dęmonē erant

efficaciores apud Deum.

Ad illud Thob. 6. de iecore piscis, dicendū, quod

liber Thobię non est de canone; unde licet recipi-

atur in ecclesia ad lectionem pro populi ędifica-

tione, non tamē est efficax ad decisionem ali-

cuius dubii, ut Hieronimus dicit in prologo Gale-

ato; potest tamē dici, quod fumus illius iecoris non

expulit Dęmonē, sed meritum orationis Thobię, quod

per odorē fumi figurabatur; et hoc patet per illud,

quod ibidem dicitur, quod Angelus Raphael apprehendit

Demonē, et religavit eū in superioribus Egipti. Ex quis patet, quod non ex virtute pisci iecoris, sed virtute Angeli sancti voluntatē divinam exequentis, Demon ille fuit expulsus, et ita fuisset in quacūque alia persona, ubi talis oratio, et a divina ordinatio affuisset; et hoc modo sunt intelligenda verba Angeli Raphael.

Nec de dicto illius Guidonis in sua musica est curandum, quum nullius sit auctoritatis; potest etiam dici, quod per melodiam repelluntur ob sanctitatē melodiā facientis, ut dictum est de David, vel propter malitiam facientis, vel Demonis, utpote si fiat ad hoc, ut reverentia Deo debita Demoni tribuatur, cuius Demon est cupidus, et sic recedunt Demones non sicut coacti, sed voluntarie, ut tales homines in errore, et in sua servitute teneāt, quod maxime cupiunt.

Et eodem modo dicendum est de illo, qui in exercitu Titi Demones expellebat; hoc enim arte magica faciebat per pacta tacita, vel expressa cum Demonibus inita, quibus fingunt se expelli,

ut homines in errore, et in sua servitute manuteneant, ut dictum est. De hac materia Sanctus Thomas 1. p. q. 115. a. 5. et po.ª q. 6. a. 10. et in multis aliis locis.

QVÆSTIO.

Super versu: cum ergo surrexisset Philisteus, et veniret, et appropinquaret contra David, festinavit David, et occurrit ad pugnam ex adverso Philistei 1. Reg. 17. potest quæri, utrũ duellũ, vel sĩgulare certamẽ sit licitũ.

Et videtur quod sit licitũ. Primo quia David iniit cum Golia tale certamen, ut sacra narrat historia; quod factũ non solum non reprehenditur, sed comendatur: ergo duellũ est licitum.

2.° quia sicut est licitum alicui bellare ad sui corporis deffensionẽ, ita videtur esse licitum bellare, et per consequens duellare ad rerũ suarũ conservationẽ; sed illud proculdubio est licitũ, ut pote de iure naturali: ergo et hoc erit licitum.

3º. licitum est habenti curã communitatis minora mala permittere ad evitandum maiora, sicut licite permittuntur meretrices in comũnitatibus, ne omnia turbẽtur libidinibus, vt Augustinus dicit: ergo quando aliqui devastant, et depopulantur Provinciã, vel subditos alterutrum; si tale malũ potest alterius, vel vtriusque periculo terminari, licitum erit, vt duello dirimatur, et terminetur.

4º. quilibet curã comũnitatis gerens tenetur conari, impedire, et oviare, ne multiplicentur homicidia, et furta, et rapinę, et pauperũ oppressiones; sed ex hoc, quod nemo aliũ posset appellare ad duellũ multi auderent comittere dicta crimina, qui compescerentur timentes, si talia facerent provocari ad singulare certamẽ: ergo licitũ est duellare, vel singulare certamen inire.

5º. licitum videtur, quod ã multis viris magnę auctoritatis, et qui sapientiũ consilio regebant, ac Deum timebant, et probatę vitę, ac famę erant, actitatum est; sed Ludovicus Rex

Francię, et Carolus Magnus, Rex Alfonsus Octa-
vus, et non pauci alii Principes seculares, etetiā
Ecclesiastici Pontifices habentes iurisdictionem
temporalē, non solū duella permiserunt, sed auc-
toritatē suā interposuerūt, vt etiā fertur fecisse
summum Pontificē inter Carolū de Valoys Regē
Apulię, et Petrū Regem Aragonum, quod adeo
in consuetudinē omni ferme tempore, et apud om-
nes Nationes tractū est, vt esse licitū nemo
ambigat: ergo

In contrarium est auctoritas Nicholai
Papę, et habetur 2. q. 5. ca.º Monomachiā, vbi dicitur,
quod licet legatur sic certasse David, et Goliam,
nusquā tamē, vt pro lege teneatur alicubi divina
sanxit auctoritas, quum hęc, et huiuscemodi sec-
tantes Deum solū modo tentare videantur. Et
in ca.º dilecti filii de purgatione vulgari dicitur, quū
igitur huiusmodi iudicium sit pęnitus interdictum,
vt pote in quo Deus tentari videtur, mandamus
quatenus dictos fratres, et alios, vt ab huiuscemōi
conversorum gravamine omnino desistant per

censurā ecclesiasticā appellatione remota compellas.
Et in ca.° curam suscepti eodem titulo dicit
Celestinus tertius, quod nec super ecclesiarū posse-
ssionibus, aut aliis causibus debēt duella tollerari.
Et in lege unica de gladiatoribus dicitur, cruenta
spectacula in ocio civili, et domestica quiete nō
placēt, quapropter omnino gladiatores esse prohibemus.
Ex quibus satis superius constat eiusmodi congressus,
tam auctoritate Divina, quam humana, scilicet Pon-
tificia, et Cesarea fuisse prohibitos.
Confirmatur etiam dicta sententiā auctori-
tate Augustini in libro de libero arbitrio dicentis:
quomodo possum arbitrari istos carere libidine,
qui pro his quoque rebus gladiantur, quas possūt
amittere inviti, inter quas res ponitur vita propria.
Est etiā huic parti consentanea ratio; nam in
duello datur potestas, vel saltē conceditur licentia
utrique pugilū occidendi alterū. Cum igitur
alter pugilum presumatur iñocens, videtur dari
facultas occidendi innocentē, quod prorsus est
illicitū, ut pote contra dictamē iuris naturalis,

et contra præceptum Decalogi: non occides: ergo duellum est illicitum.

Pro declaratione huius dubii 1°. notandum, quod duellũ dicitur, quasi duorum bellũ, scilicet singulare certamẽ unius cum altero, quod quadriphariã potest contingere, secundum quatuor fines, quibus contingit variari; nam uno modo potest fieri singulare certamẽ cũ hasta, telo, vel ense, vel aliis instrumentis bellicis animo se exercendi ad prælium, et vires, atque artem, et dexteritatem dimicandi in iusto bello comparandi, et hoc proviso circunspecte, quod non possit contingere periculũ, non solum potest esse viribus licitum, sed meritorium; pertinet enim ad disciplinã militarẽ, quæ proculdubio et licita, et bene merens de Republica est, quando recto fine, et prudenter agitur. Alio modo potest fieri singulare certamen ostentandarũ virium gratia, vel mercenaria cupiditate quemadmodum pro spectaculis antiquitus in theatris circulis, aut in arena fiebat, et hoc est

omnino execrabile, et illicitū, ac per legem civilē damnatum in lege unica iam dicta de gladiatoribus in volumine, de quibus Augustinus 3°. civit. Dei dicit: nemo mihi dicat magnus ille, atque ille, quia cum illo, et illo pugnavit, et vicit; pugnāt etiā gladiatores, habet præmia laudis, et illa crudelitas, sed puto esse satius cuiuslibet inertiæ pœnas luere, quā illorū armorū gloriā quærere.

3°. modo dicitur duellum, vel singulare certamen, aut duorum pugna quando fit ea intentionē, ut per victoriam unius appareat Iustitia quasi per divinum Iudicium tribuens victoriā alteri parti declaretur vincentem habere Iustitiā, et victū non habere; In quo casu est communis sententia omnium doctorum, quod duellū est illicitū, tam ex parte provocantis, quam ex parte recipientis, et etiam ex parte iudicantis, et suam auctoritatem interponentis, et omniū consulentiū, ac favorē præstantium, quia manifestum est in tali casu tentari Deum, contra præceptū Domini Deuteron. 6: non tentabis Dominū Deum tuum; tentare enim Deum

est quærere experimentũ de Dei virtute absque
inevitabili necessitate, et hoc est peccatũ, quia
quandocumque homo habet aliquid quod potest fa-
cere secundum viam humanam ad evaden-
dum periculum, vel ad decernẽdum dubiũ, nõ debet
illud omittere, et divinũ experimẽtũ, ac iudicium quærere.
4.º modo potest fieri duellũ non intentione expectãdi
Iudiciũ divinũ, sed vt per proprias vires, vel peritiã di-
micandi artem, vel per fortunã, vel omnibus si-
mul, aut aliquibus eorũ concurrentibus aliqua
controversia criminalis, vel civilis inter du-
ellantes terminetur, et dirimatur, et etiam sic
accipiendo duellũ dicunt aliqui, quod omnino
est illicitũ; non solũ ã parte provocantis,
et etiã iudicantis, vel suã auctoritatẽ inter-
ponentis, sed etiam ex parte recipientis, aut
acceptantis; magis enim videtur sustinere
debere rerum suarum expoliationẽ, et persona-
rũ suspensionẽ, et mortẽ, quã duellum inire
etiam dato quod se reputet innocẽtem, et
assignat rationẽ, Quia intentio sic ineuntis

duellum, et interficere adversarium suum, quod nulli privato licet. Adducunt etiam ad hoc dictum Augustini in libro de libero arbitrio dicentis: quomodo possum arbitrari, istos carere libidine, qui pro his quoque rebus gladiantur, quas possunt amittere inviti, inter quas ponit vitā propriam.

Sed quibusdam videtur hic sermo durius culus, unde dicunt, quod si provocatus ad duellū non possit declinare, ut pote quia denegantur ei aliæ probationes, et si appellat, non defferetur appellationi suæ, et si non acceptat, reputabitur à vulgo, aut non habere Iustitiā, aut esse ignarum, timidum, et effeminatū, et per consequens erit infamis, poterit licite se deffendere duellando, non solū in causa criminali pro vita sua tuenda, sed etiam in civili; et addunt isti, quod in casu, quo aliqui nobiles habent inter se bellum, quod possunt movere ex longa consuetudine, quamvis habeant superiorē, ut in nonnullis Provinciis, et Regnis fieri consuevit, et alter vastat terrā alterius ferro, et igni, et

~~et~~ subditi, qui sunt innocentes multum pati-
untur in personis, et rebus, et contingit aliquando,
quod unus provocat aliū coram Principe ad duellū,
et alius libenter acceptat absque ulla recusatione;
si Iudex in tali casu probabiliter videat, quod
prædicta vastatio subditorū innocentiū per tale
duellū terminabitur, non videtur Iudex peccare,
tale duellum permittendo. Et ratio est secundū
Ca, quia ei qui curā alicuius communi-
tatis gerit, convenit, ut minora mala permittat,
ut evitētur maiora; sicut licite permittuntur
meretrices in civitatibus, ne omnia turbentur
libidinibus, ut Augustinus dicit; et huic dicto se-
cundū eos videtur convenire sententia S.^ti^
Thomę 2.2. q. 95. art.^o^ 8.º ad ultimum, ubi dicit,
quod quando in duello non expectatur aliquis
miraculosus eventus, sicut est in proposito, tunc
tale duellū appropinquat ad cōmunē ratio-
nē sortium; sortibus autē uti, ut dicunt in
pluribus casibus est licitum: ergo.

2.º notandum, quod iuxta quę in duello

loquuntur nullũ casũ excipiunt, vt ex auctori-
tatibus in contrariũ allegatis perlucide apparet;
ne igitur ab eis declinemus, et saniorem
dictarũ opinionũ sequamur, dicendum, quod
in nullo casu auctoritate humana est licitum
ablaxe. Ad cuius evidentiã considerandum est,
quod licet habenti curã alicuius communitatis
sit licitum permittere minora mala, vt ma-
iora evitetur, vt patet de exemplo meretricii, quã
etiã rẽ natura nos docet, quę ad evitandum to-
tius corporis excidiũ permittit manus percussi-
onẽ, et abcisionẽ; nemini tamẽ conceditur fa-
cere mala, vt veniant bona secundum Aposto-
lũ Ro. 3. vnde in Glosa 2. Reg. 21. dicitur: va-
na spe securitatis à Diabolo deluduntur, qui
dicunt faciamus mala, vt veniant bona; talium
enim damnatio iusta est; cuius ratio est, quia
ad faciendum actum bonũ non solũ est necessa-
ria bonitas finis, sed necesse est, vt concurrãt
cęterę circumstantię, vt declarat Sanctus Thomas
1.2. q.18. a. 4. ad vltimũ; et ideo licet tollerare mere-

-tricium propter bonũ finẽ sit permissum;

nunquã tamẽ facere meretriciũ, aut commit-

tere, seu eidẽ auxiliũ, vel consiliũ prę̄stare est

licitũ; sed constat, quod Principes, seu Iudices

duellorũ non solũ concurrũt in huiusmodi

duellis, permittendo, seu tollerando, sed etiã fa-

ciendo, seu auxiliũ prę̄stando, et hoc multipliciter;

primo, quia de eorũ mandato, et auctoritate or-

dinantur, seu assignãtur loca, et tempora du-

ellandi; dantur etiã duellantibus conservatores,

seu rectores, qui eos ã fraudibus custodiant, quę

possũt contingere in paritate armorũ, et secu-

ritate personarũ, et providetur, vt neuter possit

iuvari ab amicis, vel fautoribus. Similiter

Principes, seu Iudices, quorũ auctoritate duella

exercentur manifeste prę̄stãt auctoritatẽ duellis,

quum controversias duellãtium diffiniunt, vel

prę̄cipiunt decidi, seu diffiniri in curiis suis

secundum duelli finẽ, scilicet quod si actor vi-

cat in duello, reus habetur pro condemnato, et

devicto, tanquã si actor intentionẽ suã legitime

probasset, et e contra. Et super hoc conuenerunt
ferre sententiam verbo, et scripto auctoritate
Judiciali, sicut fit in aliis casibus per legitimam
probationem. Vnde constat, quod ipsi prædicti Prin-
cipes, seu Judices non solū debēt dici tollerantes
minora mala, vt evitētur maiora, sed facientes
mala, vt bona eveniant, vel vt mala maiora
evitentur, quod nullo modo licet quantumcūque
malū, quod comittitur sit modici nocumenti, et
bonum, quod inde expectatur maximę vtilitatis;
nam secundū Augustinū non est licitum menda-
ciū perniciosū proferre pro salute totius Mundi.
Vnde etiā in casibus per opinionē contrariam
positis non excusantur a peccato Judices ex
bonitate finis, quum necesse sit Principi per
vias humanas rectas, et legitimas talia diffini-
re, non per illas, quę Divino Juri obviant, vt Ste-
phanus Papa in ca.o consuluisti 2. q. 5. dicit: spon-
tanea confessione, vel testiū aprobatione publi-
cata delicta habito prę oculis Dei timore concessa
sūt nostro regimini iudicari; occulta vero, et incognita

illi sunt relinquenda, qui solus novit conditio-

nem hominũ; et ibidẽ, quod sanctorũ Patrum

documento sancitũ non est superstitiosa adinvẽ-

tione non est præsumẽdum. Itẽ si in casu posito

in dicta opinione nemo duellãtiũ est immunis

ã culpa, eo quod voluntarie, et sponte se offerũt

ad hoc aliis viis secundũ iuris ordinẽ prætermissis

a fortiori Iudices, qui voluntarie hoc approbãt, et præ-

dictis modis ad id cooperãtur spretis iuridicis viis, et

mediis sunt culpabiliores. Unde regula Rõ. 1°. dicit:

quĩ digni sũt morte, non solũ, qui faciũt, sed qui

consentiunt facientibus.

Nec facit pro dicta opinione sententia

Sancti Thomę, si recte intelligatur; dicit enim

in loco allegato, quod iudicium ferri cãdentis in

aliquo convenit cũ sortibus, scilicet in quantũ

ordinatur ad alicuius facti oculti inquisitionẽ

per aliquod factũ ab homine, sed differt ã iudicio

sortiũ in quantũ expectatur in iudicio ferri

cãdentis aliquis miraculosus effectus, quod non

contingit in ratione communi sortium; et paucis

interpositis addit quod duella in quibus non expectatur miraculosus effectus, scilicet quando pugiles sūt pęnitus pares arte, et robore magis accedūt ad comūnē rationē sortiū, quam examinatio ferri cādentis, vbi expectatur miraculū Divinū; sed ex hoc non tollitur quin Iudiciū duelli illicitū reddatur ex duobus, quę ipsemet Sanctus Doctor ponit in dicto loco, tanquā illicita; primū quia ordinatur ad iudicanda oculta, quę Divino Iudicio reservantur, iuxta illud

nolite ante tempus Iudicare quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarū. 2um. quia huiusmodi Iudiciū non est aliqua lege sancitū, vnde in dicto decreto Stephanus Papa dicit: ferri cādentis, vel aquę ferventis examinatione confessionē extorqueri à quolibet sacri non censēt canones, et quod sanctorū Patrum documento sancitū non est superstitiosa adinventione non est pręsumendū.

Nec valet, quod quidam dicūt, quod duellū non sēper ordinatur ad inquirendū oculta, quę Divino

Iudicio reservatur, quia in aliquo casu, puta, quando pugiles sunt omnino, et in omnibus pares non expectatur miraculorum eventus. Dico, quod nemo, nisi mentis inops nescit illud David 1.a Re. 11. no̅ est vere u̅, varius est eventus belli, et nunc hunc, nunc illud consumit gladius; omnis enim historia tam sacra, qua̅ secularis, et etia̅ experientia longissima docet nos, non consistere victoriam in fortitudine, aut multitudine, aut arte, aut exercicio, aut causa, aut innocentia, sed in voluntate illius, cuius Iudicia abyssus multa, et viæ investigabiles, licet semper Iudicia iusta, quonia̅ iustus Dominus. Unde in omni duello occulte, et tacite ocultu̅ Dei iudiciu̅ illicite expectatur. Mille enim casus contingunt in eiusmodi, et millia temeraria iudicia.

Nec valet quod 2.o obiiciunt, quod si omne quod non est divina lege sancitu̅ non est Iudicibus licitum: ergo etia̅ meretriciu̅ non licite permitteretur a̅ Iudicibus. Dico, quod non sane assumunt decretu̅ Stephani Papæ, quod asserit

ad suum propositũ S.ti Thomas; nam duellum non est sancitum, nec permissum, imo sine aliqua exceptione prohibitũ in multis Iuribus, vt ex dictis constat; meretriciũ vero nec est sancitũ, nec prohibitũ, sed ratione permissũ, vt dictũ est. Et sic patet, quod nec Iudicibus concedere, nec pugilibus congredi in aliquo casu est licitum.

Et per hec patet responsio ad argumenta in contrariũ. Ad primũ igitur dicendum, quod David iniit cum Golia singulare certamen, aut inspirante, et instigante eum eius Spiritu Sancto, aut expresse revelante, quod volebat eũ triumphare de Golia, et Philistim, et mediante illa victoria declarare Iustitiã, et Gloriã suam contra eos; vnde procedens contra Philisteũ dixit: tu venis ad me cum gladio, et hasta, et clipeo; Ego autẽ venio ad te in nomine Domini; Vnde exemplũ David vbi manifesta fuit manus Dei non est comparandũ aliis duellis.

Ad 2um. dicendum, quod non est similis

ratio de bello, et duello; nã ad hoc, quod bellum sit iustũ requiritur auctoritas Principis, et causa iusta, et intentio recta, quibus concurrẽtibus bellũ est licitũ. Sed hęc non possunt in duello concurrere; nullus enim Princeps potest talẽ auctoritatẽ iuste pręstare, ut ex dictis constat; nec potest esse iusta causa tentandi Deũ implicite, vel explicite quandoquidẽ aliis viis humanis potest providere; nec potest esse recta intentio, ubi odiũ proximi, et occidendi eum ardet cupido. Nec obstat, quod dicitur esse de Iure naturali deffensio proprię salutis, et rerũ suarũ conservatio; multũ enim interest inter deffendere se, et sua cũ moderamine inculpatę tutelę, et ad singulare certamẽ prodire, et in mortẽ alterius machinari, et quantũ in se est eã efficere, quod non solũ est contra Ius naturale, sed etiã contra divinũ et humanũ.

Ad 3um. dicendũ, quod sicut sępe dictũ est, licet liceat minus malũ permittere, ut evitetur maius; non tamẽ licet malũ, vel minimũ facere,

ut euitetur maius, vel ut veniat bonū secundū regulā Apostoli Ro. 3. unde humanis damnis, et casibus per humanas, et licitas remedias consulendū est, et non per duellū, quod merito est prohibitū, et illicitum.

Ad 4um. dicendum, quod ratio illa non valet; nā ita est ad oppositū, sicut ad propositū; sicut enim videtur sequi, quod concesso duello multi timentes prouocari per alios ad singulare certamē cessarent ā malis, et ideo gerenti curā communitatis licebit licentiā duellandi præstare, ne multiplicetur homicidia, ita etiā concesso duello illi, qui proprijs viribus sunt robustiores, vel arte, et usu bellandi magis eruditi, et desteri alios debiliores audacter opprimerēt de suis viribus confidentes, et sic non timerēt ad duellū prouocari, aut alios contra se insurgere, aut sibi resistere.

Ad 5um. dicendum, quod non omnia gesta catholicorū Principū tam spiritualium, quam secularium probare cogimur; in multis

enim deliquimus omnes, et maxime Princi-
pes, quibus arduu, atque difficile est, vt apud Gor-
giã Plato ait in magna peccandi licentia se
ipsos continere; vnde coru bona opera trahen-
da sunt ad consequentiã non errata. Ceteru
multa tenuit, vt vera antiquitas, quę procesu
temporis, vt fulva luce clarius sit detecta mul-
ta, vt bona, quę liquido cognita sut mala; mul-
ta, vt licita, quę clare inventa sunt illicita; vnde
Aristoteles 2. suę Theologię ait: quantu autẽ vim
habeat, quod consuetu est, leges ostendut, in qui-
bus fabularia, et puerilia magis valẽt cogni-
tione de his, id est, veridica cognitione de his;
potuit ergo contingere, quod licet boni essẽt
Principes, et boni coru consiliarii tamẽ ex
consuetudine putarẽt duellu licitu, et ipsum
non metirẽtur secundum Deu, et conscię-
tiã, sicut etiã faciebãt in purgationibus vul-
garibus, quia tamẽ per successiones tẽporu
crevit divinę cognitionis augmẽtu, multamaṛ
gis exacte, et accurate examinata, et trutinata

sunt, et ex tali examine veritas conscientiæ appareat, et sic fuit de duello, et aliis purgationibus vulgaribus.

Quæstio.

Super textu: nunc scies, quæ facturus est servus tuus 1. Reg. 28: potest quæri, utrum David peccaverit se offerendo Achis Regi Geth Philistæo dictis verbis.

Et videtur quod peccavit. Primo quia si intendebat opere implere, quod ore dicebat, cogitabat pugnare pro infidelibus contra fideles, quod erat illicitũ, et peccatũ. Si vero hoc non intẽdebat, sed contrariũ, scilicet iuvare filios Israel contra Philisteos, sicut suspicati sũt Satrapæ Philistinorũ cũ facturũ, ut dicitur 1. Reg. 29. fuit fictus falsus, et proditor, et ingratus intẽdens nocere ei, quem pollicebatur adiuvare, et malũ retribuere ei, a quo beneficia receperat.

2° quia quilibet fidelis magis tenetur proximis, et fratribus subvenire, præsertim tempore

necessitatis, quā extraneis, quod ipse David insinuat in Psalmo dicēs: propter fratres meos, et proximos meos loquebar pacē de te; sed David visus est velle, et miti in contrarium, unde super dictis verbis dicit Glosa interlinearis nunc scies quia factus est servus tuus, scilicet pro te contra inimicos tuos, qui proculdubio erāt filii Israel.

3º nam verba secundo dicta in sacra Scriptura denotāt firmitatē, et certitudinem juxta illud Gn. 41: quod autē vidisti secundo ad eamdē rem pertinēs somniū, firmitatis indiciū est. sed David confirmavit secundo eamdē sententiā, ut patet 1. Reg. 29. dicens: quid enim feci, aut quid invenisti in servo tuo ā die, qua fuit in conspectu tuo usque in diē hanc, ut non veniam, et pugnē contra inimicos Domini mei Regis.

In contrariū videtur piū excusare David ā peccato, ubi in contrariū non est aperta Sacræ Historiæ sententia.

Notandū, quod circa solutionē huius dubii sunt duo modi dicendi; unus Magistri Nicolai dicentis, quod David intēdebat deffendere ipsū Achis, cui tenebatur pro beneficiis ab eo receptis, scilicet quià Achis eū benignè excceperat fugientē à Saul, et subdit, quod hoc faciendo non peccasset duplici ratione; una accepta ex parte ipsius Achis, si habuit iustū bellū contra Saul; quod potuit contingere, si Saul, qui erat arrepticius aliqua pacta, seu iuramenta cum Achis, et Philisteis inita forte fregerat, quià talia etiā hostibus sūt tenenda. Unde et Sedechias 2. Paral. 36. arguitur, quod violaverit iuramentū Nabuchodonosor præstitum; nam et si filii Israel non possēt inire perpetua fœdera cum Philisteis, eo quod habitabāt in terra eis divinitus promissa, tamē ex causa rationabili poterant facere treugas ad tempus, et iuramento firmare. Secunda ratio accipitur ex parte ipsius David, qui habebat ius in Regno Israel, et ideo poterat illud acquirere

vi armorũ sese offerente occasione, et in tali

bello, scilicet iusto poterat licite vti Philistino-

rũ auxilio; Cogitabat enim probabiliter, quod

si Philistæi haberẽt victoriã Achis Rex eorũ,

qui erat ei amicus, eũ iuvaret ad possidẽdũ

Regnũ, quia non intẽdebãt ipsũ occupare, quod

patet, quia maxima victoria habita non oc-

cuparunt Regnũ, sed in Patriã suã reversi sũt,

et Isboseth, qui maior natu remãsit ex Saul

successit in Regno, vt patet 2. Reg. 2. Nec illa.

Sed Domino Burgensi videtur dicta

ratio non sufficere ad excusãdũ David si con-

tra Israel pugnavisset; nã tametsi Deo iubente

fuisset per Samuelẽ inunctus in Regẽ, vt ha-

betur 1a. Reg. 16. non tamẽ sequitur ex hoc, quod

habuisset Ius in Regno ad executionẽ Regię

potestatis in populo Israel, donec Populus rece-

pisset eũ in Regẽ supra se, cuius ratio est;

nã in institutione Regis ã Deo in lege ordi-

nata duo requirebãtur; vnũ ex parte insti-

tuentis, scilicet, quod Rex eligeretur per Dei

Providentiam; Aliud ex parte Populi, scilicet, quod talẽ electum à Deo in Regem Populus reciperet acceptando ipsũ electũ in Regẽ supra se, quod clare denotãt verba Deuteron. 17. vbi de Regis institutione agitur, quum dicitur: ipsũ ponas superte Regẽ, quem Dominus Deus tuus elegerit. Ex quibus patet, quod acceptatio Populi exigebatur ad execitionẽ Regis potestatis post divinã electionẽ. Quod exemplũ in ipso Saul patet observatum, qui licet prius fuerat divinitus vnctus in Regẽ per Samuelẽ, vt patet 1. Reg. 10. postea fuit receptus à Populo, vt patet 1. Reg. 11.

Prædicta confirmãtur, quia si per solam vnctionẽ David fuisset Rex, et habuisset Ius ad Regnũ ante mortẽ Saul, et antequã à Populo fuisset receptus in Regẽ, tunc Saul persequendo hostiliter David fuisset proditor, et maiestatis læsor, et per consequens meritorie, et licite debuisset, et potuisset David cũ occidere, tanquã sibi subditũ proditorem, cuius oppositũ fecit offerente se opportunitate, vt patet 1. Reg. 24. vbi servis suis volentibus occidere

Saulē ait: absit ā me facere rem hanc Domino meo Christo Domini; in quibus verbis duo ostendit; primum quod talis occisio esset nefanda, et illicita, quum dicit absit &c.ª Secundum, quod reddens rationē primi confitetur, quod Saul erat Dominus ipsius David, quod non potuisset esse, si David pro tunc fuisset Rex Israel; et eodem libro cap.º 26. dicit similia verba, et addit: vivit Dominus, nisi Dominus percusserit eū, vel dies eius venerit, vel in prælio descēdens &c.ª quasi dicat licet Saul sit dignus morte, quia me innocētē persequitur, et propter aliā suā facinora; non tamē sū superior eo, ut possim eū iudicare, sed Deū solū habet Iudicē; unde infert absit ā me, ut mittā manū meā in Christū Domini. ex quibus liquido apparet, quod David reputabat Saulē dū vivebat Regē, et Dominū suū, licet tirannū, et pessimū. Prætereа licet David fuerit unctus divinitus in Regem, fuit tamē postea institutus in Regē Iudæ super tribū suam in ebron, ut patet 2. Reg. 2. et postea per alias tribus

super Israel, vt patet 2. Reg. 5. Vnde quum David nũquã fuerit institutus Rex per Populũ in vita Saulis, sequitur quód nũquã in eodẽ tempore habuit Ius in Regno, licet haberet Ius ad Regnũ, nec habuit executionẽ Regiæ potestatis.

Nec valet si dicatur contra præmissa, quód David vocat Saulẽ Dominũ suum ex quadã humilitate, seu reverentia vnctionis, quã habuerat, non autẽ ratione superioritatis, aut maioritatis; nam hoc esset directe contra rationẽ Christi factã Pharisæis Mathæi 12. vbi dicit: si ergo David vocat eũ dominũ, quo modo est filius eius? Christus enim voluit ostendere Pharisæis, quód in Christo præmisso erat Divina natura ex eo quód David, quum esset pater eius, vocabat eũ Dominũ, quum dixit: dixit Dominus Domino meo, vnde in Xpto ponenda erat alia excellentior natura, quã humana per quam Christus esset superior, et Dominus ipsius David. Siquidem ratio Christi non esset efficax, si rationabiliter posset dici, quod David ex humilitate, seu reverẽtia

vnctionis Christi futuri vocabat eum Dominũ; Vnde necesse est dicere, quod vivente Saul, David post primã vnctionẽ erat inferior, et subditus ipsi Sauli, et sic non potuit, vivente Saule, Regnũ Israel quoquo modo sibi vendicare.

Nec alia ratio per postillatorẽ adducta potest David excusare; tum quia non apparet in textu, quod Saul fregerit aliqua pacta, vel iuramenta cũ Philistęis inita, sicut constat de Sedechia cum Nabuchodonosor; tũ, quia posito, quod Achis haberet iustã causã contra Saulẽ, non sequeretur, quod bellũ David esset iustũ. Ad quod requiritur auctoritas Principis, quã Achis non potuit pręstare David, quum non esset eius Princeps; nec causa iusta, nec intentio recta in hoc casu potuerũt concurrere, quę tria ad iustũ bellũ sũt necessaria, vt S.tus Thomas tenet 2.2. q. 40. a. 1.

Et ideo ad excusandũ in hoc loco David ã peccato gravi, posset dici, quod nũquã determinavit se ad pugnandum contra Filios Israel, nec contra Regẽ suum Saul; vnde verisimiliter pręsumendũ

est, quod David, qui in factis suis a Deo dirigebatur singulariter, et familiariter videns se in ea perplexitate se Divinę Providentię cōmisit, ita enim facere consueverat iuxta illud, quod dicit: providebam Dominū in conspectu meo semper, quoniā a dextris est mihi, ne cōmovear; vnde proculdubio dicendo indeterminata verba, expectabat determinatū Dei responsū per opus ipsū, aut per inspirationē, aut revelationē, et ita evenit, vt disponente Domino ab vtroque inconvenienti fuerit liberatus, et pręliū eius fuit in hostes Domini Amalechitas, et in liberationē sui Populi, et rerū suarū conversum.

Et per hoc patet responsio ad argumenta in contrariū. Ad 1um. dicendū, quod in re illa dubia nihil certi constituerat, quod satis colligitur ex indeterminatione verborū, quibus cum Regem usus; cum enim esset vir Dei expectans expectabat Dominū, qui intendit ei.

Ad 2um. dicendum, quod verba Mosę non coartant nos, vt eā sequi teneamur, quā vis possemus

dicere tenendo eam, quod ista sunt indeterminata;
verba eius, sicut verba textus; non enim dixit
tu scies, quod pugnabo contra inimicos tuos, sed
nunc scies, quid faciet servus tuus contra inimi-
cos tuos, quod duplicē sensū patiebatur, vt dictū est.

Ad 3um. dicendum, quod quando David pro-
tulit illa verba, vt non veniam, et pugnem contra
inimicos Domini mei Regis, iam viderat viam,
qua Dominus perplexitatē eius declinaverat,
et ideo se fidelē, et gratū ostendēs quandoquidem
iam certior erat de non pugnando contra Dei
Populū sermonem determinatoē protulit, in
quo forte venialiter peccavit; nec est necesse
à tali peccato virū in tanta angustia, et anxie-
tate positū excusare, qui Regno divinitus fretus
maiora cōmisit. Nec putaverim omnino illicitū
ei cogitare posse licite pugnare contra Saul, et
contra Populū Domini, quē Saul, et in manum
Spiritus nequā sepe Dominus tradidit, et paulo
post in manus Philistin vsque ad mortē suā,
et filiorū dedit, Populū quoque Dominus meritus

suis exigentibus in manus hostium puniendũ tradebat sæpius; nimirũ igitur potuit impune cogitare per eũ, sicut per Philistæos, aut cum Philistæis Deũ velle posse vindictã suam exequi, qui Saulis posteritatẽ ob necem Gabaonitarum, mediante David, vindictã exercens delevit, et peccatores etiã per bonos Angelos punit, cuius exẽplum in subversione Sodomorũ, et Civitatũ vicinarum manifestũ est.

QVÆSTIO

Super versu: dixit autẽ Samuel ad Saul 1. Reg. 28: potes quæri, vtrũ ille, qui apparuit Sauli fuit verus Samuel, vel aliquis spiritus malignus sub imagine eius.

Et videtur primo quod fuerit verus Samuel. Primo quia scriptura aperte loquitur tanquam de persona Samuelis, nominans ipsum sæpius proprio nomine; vnde videtur derogare suę certitudini, si ipse non fuit.

2.° quia si erat spiritus malignus, qui

se nomine Prophetæ intitulavit, aut hoc fuit, Deo permittente, vel sine eius permissu, hoc non est dicendũ, quod sine eius permissu, quia nihil fit in terra, nisi aut Deo agente, aut permittente; nec videtur, quod cum eius permissu, quia cederet in dedecus Sancti Prophetæ: ergo non fuit verus Samuel.

3º ad verũ Prophetã pertinet dicere veritatẽ de futuris contingentibus, et non ad spiritum malignum, qui est mendax, et pater mẽdacii, ut dicitur Joan. 8º; sed ille qui apparuit dixit certam veritatem de futuris contingentibus, scilicet de morte Saul, et filiorũ eius, et quod debellandus erat exercitus eius: ergo non videtur fuisse malignus spiritus, sed verus Propheta Samuel.

4º quia Eccl.ᶜᵃ 46 dicitur de Samuele: et post hoc dormivit, et notũ fecit Regi, et ostendit illi finẽ vitę suę; sed dormire non convenit Spiritui maligno: ergo fuit verus Samuel.

In contrarium est Glosa Eccl. 29. quæ dicit: Phitonissa non suscitavit Samuelē, sed evocavit Dæmonē.

2° convenientius erat, quod Deus respōderet Sauli per Prophetas vivos, quam per mortuos; sed per vivos noluit respondere, vt textus dicit 1. Reg. 28: non respondit ei, nec per Sacerdotes, nec per Prophetas: ergo minus rationabile videtur, quod responderit per Prophetā mortuum.

3° ille, qui apparuit dixit Sauli: eras mecum eris; cum igitur Saul esset reprobatus, et igni Gehennæ mācipandus, vt Augustinus dicit, et habetur 26. q. 5. cā. nec mirum; videtur, quod ille, qui sibi apparuit, fuerit malignus spiritus, qui erat de inferorū consortio, et non Samuel, qui proculdubio erat de consortio Sanctorum.

4° nullus Angelus bonus permittit se adorari, iuxta illud Angeli dicentis Ioanni Apoc. 22: cave ne feceris conservus enim tuus sū,

et fratrũ suorũ: ergo multo minus homo sanc-
tus id permitteret. Quum igitur ille, qui appa-
ruit, permiserit se adorari à Saule, ut textus
refert, videtur, quod non fuerit verus Samuel,
sed malignus spiritus, qui est talis honoris
percupidus, ut patet Matth. 4.

3.o si fuit Samuel, aut apparuit divina
virtute, hoc dispensante, aut magica arte id
procurante; non primũ, quia sic multũ fa-
visset Deus arti magicę faciens apparere Sa-
muelẽ ad invocationẽ Phitonissę, quod omnino
videtur irrationabile; nec 2.um quia ars
magica nullã vim habet de se, sed Dęmones
per aliquod pactũ cũ ipsis magis inita volun-
tarie apparẽt, vel aliquod faciũt, ut homines te-
neant in errore. Si igitur Samuel virtute
magica apparuit, hoc fuit, quia Dęmon
ipsũ adduxit; et tunc quęritur aut fuit addu-
tus voluntarie, et sic convenerit Dęmoni, et
in malo actu, quod est inconveniens, quum
esset in parte Sanctorũ; aut coactus per

Dæmonē, et hoc videtur inconveniens, quia Dæmones super sanctos deffunctos nullā habet potestatē: ergo non videtur fuisse Samuelem.

Pro solutione dicti dubii 1.° notandum est, quod dicta difficultas oritur super facto, et ideo nihil certi in ea potest determinari, nisi quod ex circumstancia historiæ potest conijci. Vnde ex hoc inter catholicos varius fuit dicendi modus; nam Augustinus qui operosius hunc passū disputavit, ponit duas opiniones, aut dicendi modos in epistola ad Felicianū, quos etiam reffert Glosa ordinaria super dictū locum. 1. Reg. 28.

Primus modus est quod fuerit Anima Samuelis ipsi Sauli apparens, et exponit, quod hoc potuit contīgere dupliciter; vno modo per Dæmonē eā ad hoc adducentē tamen permissione divina ex aliqua ratione nobis occulta, sicut Christus permisit se ā Diabolo assumi, et super pinaculū Templi constitui, et iterū

super montẽ excelsum celsum[?], vt habetur Matthęi 4. et ideo nullũ inconveniens videtur, quod talis permissus fuerit facere in Anima Samuelis, quę incomparabiliter Christo fuit minor, et aliquã figurã facere, seu ostendere, per quam appareret Sauli, quasi in proprio corpore, et habitu, vt litera prętendit. secundo modo potuit contingere, quod appareret Anima Samuelis non arte magica, seu potestate diabolica ã Deo permissa, sed Divina virtute, hoc faciente, ex sua Providentia, quę Phitonissã, et Dęmonẽ latebat, vt Sauli propter sua demerita sententia Divina super eum futura de proximo per Samuelẽ denunciaretur, sicut per ipsum viventẽ reprobatio ã Regno fuerat prænunciata.

Secundus dicendi modus est secundum eundẽ Augustinũ in eadem epistola, quod non fuit Samuel, sed immundus spiritus apparens in Samuelis imagine; dicit enim Apostolus 2. Cor. 11, quod ipse Sathanas trans-

figurat se in Angelũ lucis, et multo fortius videtur, quod se potuit transformare in similitudinẽ Samuelis, Deo tamẽ hoc permittente in vtraque transfiguratione, sine cuius permissione nihil potest facere.

Tertium modum dicendi ponit Dominus Burgensis; nam coactus illa auctoritate Ecc.i 46: post hoc dormivit, et notum fecit Regi, et ostendit illi finẽ vitę suę, quum de eodẽ supposito dicat, quod dormivit, quod non convenit Dęmoni, et quod notum fecit finẽ Regi, concludit: ergo videtur non fuisse Dęmonẽ, sed Samuelẽ; vt autẽ salvet opinionẽ Augustini, quę videtur tenere, quod fuit Dęmon, invenit modũ novũ dicens, quod verũ corpus Samuelis in sepulchro iacens cũ proprio habitu, in quo sepultus fuerat virtute magica Deo permittente apparuit ipsi Sauli, in quo corpore Dęmon loquebatur, ex quo, vt dicit non attribuitur Samueli aliquod inconveniens, quum tale corpus post Animę separationẽ careat intellectu, et sensu, et per consequens

non habeat velle, aut nolle; et hic modus divinan-
di est propriè negromãticus; Negron enim græce
mortuus, Mantio divinatio nuncupatur; vnde ni-
gromantia dicitur divinatio per mortuos, et addit,
quod huic sententiæ consonat dictũ Samuelis in
eodem capº conquerentis his verbis: quare in-
quietasti me, vt suscitarer? Quod potest refferri
ad corpus Samuelis tantũ quod Samuel nomina-
tur, sicut corpora defunctorũ nominãtur in sa-
cra Scriptura eisdẽ nominibus, quibus viventes
solebant nominari, vt patet Gn. vltº ibi sepeli-
erunt Abraã, et Sarram vxorẽ eius &ª et addit
Burgensis, quod hic modus dicendi non est alius
ab illo, quo Augustinus ad simplicianũ dicit
sic: Vel non vere spiritus Samuelis à requie
sua est excitatus, sed aliquod fantasma, et illu-
sio &ª Vbi est notandũ secundũ Burgensem
quod non dixit, non vere corpus Samuelis est ex-
citatũ, sed spiritus Samuelis; excludit enim spi-
ritũ Samuelis à suscitatione, non tamen eius
corpus, quodquidem corpus cum illusione imaginaria

diaboli vivũ apparebat, et loquebatur dæmõ per ipsũ.

2.° est notanda differentia trium Doctorũ memoratorũ, scilicet Augustini, Nicholai, et Burgensis; nam licet Augustinus duas opiniones ponat in epistola ad Simplicianũ tamẽ in secundam opinionẽ videtur magis declinare, videlicet quod nõ fuit verus Samuel, qui Sauli apparuit, sed malignus spiritus, qui eius similitudinẽ induit, et in ea Regi respondit, et hanc partẽ sine esitatione alterius partis asseruit, et deffendit Augustinus in libro de Civit. Dei, et ponitur in Decreto 26. q. 5. ca.° necmirũ.

Nicolaus vero de Lira post narrationem utriusque opinionis Augustini præmissa excusatione si decretũ prædictum, ut ei videtur non sit determinatio ecclesiæ, aut si aliud canonicum non obstet, et sine assertione tenet esse probabiliorẽ primã opinionẽ Beati Augustini, scilicet quod Anima Samuelis virtute divina, et eius dispensatione apparuit modo prædicto, ad anunciandũ Sauli divinã sententiã, et dicit se ita tenere, quia huic parti magis videtur con-

cordare textus Sacrę Scripturę tam in 1.° Regū,
quam Ecc.i 46. Item faciunt ad hoc ratione, aliquę
in argumentis huius dubii factę pro hac parte; et
præterea dicit hoc tenere Hębræos Doctores; dicit
adhuc hanc suā opinionē videri similē ei, quę habe-
tur in libro Numerorū in casu aliqualiter simili;
nam ibidē c.a 22. et 23. dicitur, quod Balaam Magus,
et Ariolus quater quęsivit responsū Dęmonis bis
in domo sua, et bis cum Balach, et tunc secundū
omnes Doctores catholicos Dęmon virtute divina
fuit prohibitus dare sibi responsū, et Angelus bonus
dedit ei responsū suę voluntati contrariū; nec
Deus, aut Angelus bonus favit mago, aut magi-
cę arti, quinimo effectum magicę artis impedivit;
et sic videtur in proposito rationabiliter posse dici,
quod Dęmon fuit prohibitus venire ad vocationē
Phitonissę. Ad hoc enim illa ars ordinatur, ut
ab omnibus tenetur, et patet per Glosā super Craiam
superius memoratam in primo argumēto in
contrariū, et divina virtute, et voluntate apparuit Sa-
muel anūcians Sauli contrariū suę volūtati. Nęc ille.

Burgensis autẽ, vt dictũ est in vltima parte primi notabilis dictã opinionem aliquo modo declinavit non tenẽs primam, quam Augustinus ad Simplicianũ narravit, et quam tenet Nicholaus, scilicet quod fuerit Anima Samuelis vera; nec tenet, quod fuerit Dęmon Samuelis imaginẽ indutus, et habitum, vt magis videtur asserere Augustinus, sed quod verũ corpus Samuelis de sepulchro ubi et sicut iacebat arte magica Deo permittẽte sine cuius opere, aut permissu nihil fit, apparuit Sauli; quẽ modum dicendi confirmat, vt in fine primi notabilis dictũ est.

Tertio notandum quod quemvis prędictorũ triũ modorũ quilibet catholicus potest sibi eligere dum tamẽ cum ea temperie, quę catholicum tractatorẽ decet, eũ teneat, videlicet si sacrę Scripturę, aut determinationi Ecclesię nullatenus contradicat, aut si ipsũ non pertinaciter teneat. Sacra vero scriptura in hoc passu varie, vt ex dictis patet ã cathocis exponitur; nec videtur Ecclesia hactenus in hoc articulo aliquid determinasse, nam decretũ

illud est Augustini, vt dictum est, qui in 2.° sua

parte ad Simplicianũ narrat, quamuis in secundã

videatur propensior; nec vult aliquẽ Doctorem

esse aliũ in scriptis suis, nisi qualis ipse est

erga scripta aliorũ; denique non omnes sententię

Doctorum in decretis contentę habẽt gradum auc-

toritatis, quę nos cogat ad ita tenendũ, pręsertim

quando loquuntur circa expositiones sacrę

Scripturę, vt constat ex dictis Augustini in

expositione Fidei ad Hieronimũ, quę sententia

ponitur in decretis ca.° Ego solis. 9. dist. et idẽ

vult Augustinus 4. super Gñ. ad lit. Idem etiã

Conuincitur, quia post compilationẽ decretorũ

expositores sacrę Scripturę pędictos duos mo-

dos recitauerũt, et scripserũt, tanquã probabi-

les, quod non fecissẽt, si alter eorum fuisset ab

Ecclesia determinatus, nisi forte ex ignorantia

talis determinationis, quę non videtur eis im-

putãda, et ita quo ad dictos duos modos pędic-

tos restat vnicuique dicendi libertas. Vnde quo-

niam Sanctus Thomas Doctor eximię aucto-

xitatis, et magni sensus in multis locis hunc passũ tetigit, et in neutrum duorũ modorum prius per Augustinũ recitatorũ declinavit, præsumptuosum est mihi visum, si sapiam aliquid plus quã oportet sapere, imo vero piumesse sapere ad sobrietatẽ, et eũ probatũ ducẽ sequi, ut igitur studiosis omnimoda libertas maneat sentiendi, ut libet.

Ad argumenta omnium trium modorũ dicendi respondebo. Ad Ium. dicendũ quod propter illam rationẽ Hebræi, et qui eos in hac parte sequuntur nimis adhærentes literæ dixerũt, quod ubicumque nominatur Samuel intelligatur vera persona Samuelis, et non eius similitudo, cuius tamẽ contrariũ late satis ostenditur per exempla Beati Augustini, quæ ponũtur in dicto cao. nec mirum 26. q. 5; Rerum enim similitudines in Sacra scriptura sæpe nominãtur nominibus rerũ verarũ, ut patet Gen. 41. ubi dicitur, quod Pharao vidit septem spicas, et septẽ boves, et tamẽ certũ est, quod non vidit, nisi earũ simi-

litudines; et eodem modo sicut dicit Augustinus effigies Samuelis per Dæmonē representata hic vocatur nomine ipsius secūdū dictū dicēdi modum; nec ex hoc scriptura inducit aliquid falsum, sicut nec Gn̄. 41. ubi similitudines boū dicuntur boves quin potius Scriptura præbet studio secūdū occasionē quærendi sanum intellectū ex circumstantiis facti; et simile habetur in aliis Scripturæ locis.

Ad 2um. dicēdū, quod sicut non est dedecori Angelo lucis, quod, Deo permittente, Sathanas se transfiguret in Angelū lucis Deo ob aliquā rationē, aut occultā ejus judicium permittente, ita non inconvenit, quod, Deo permittente, Diabolus acceperit effigiē, et nomē Samuelis, ut qui responsū per magā quæsivit a Dæmone, qui per artem magicā respondere solebat ab eo, qui se mentitus est, esse Samuelē, merito deciperetur.

Ad 3um. dicēdū, quod non inconvenit Dæmones veraciter prædicere aliqua futura cōtingentia,

quæ habent per revelationē à Sanctis Angelis secūdum Divinam ordinationē nobis occultam, et aliquando coguntur ad hoc, sicut patet in multis locis, et experimentis; et potest dici, quod sic fuit in proposito ad denūciandū sententiā Divinam ipsi Sauli, quia non erat dignus, quod sibi responderetur per Prophetas, aut per sanctos Angelos.

Ad 4um. dicendum secundum Thomā 1a. parte q. 89. a. 8. ad 2um. quod illa apparitio fuit procurata per Dæmones, quibus sensus potest valere, si ecclesiastici auctoritas non recipiatur, propter hoc quod inter canonicas scripturas apud Hebræos non habetur; unde et Hieronimus in prologo galeato, qui præmittitur libris Regū, postquā exposuit, qui libri sacri essent canonici, addidit quicquid extra hos est inter apocrypha est ponendū, et concludit; igitur sapiētia, quæ vulgo Salomonis inscribitur, et Jesu filii Sirach liber l. Ecclesiasticus, et Judith, et Thobias, et Pastor non sunt in canone. Ex quibus constat illud dictū Ecclesiastici non nos cogere, sed posse haberi,

sitat opinio vnius Doctoris, nisi ecclesia determinaret contrarium.

Ad argumentum vero secundi modi dicendi respondendum est. Ad 1um. quod Phitonissa non excitavit Samuelē, sed illū Deus apparere fecit, vt dictum est, sed illa vocavit Demonē, qui tamē fuit prohibitus venire, et sic illa Glosa non est huic modo dicendi contraria, quamvis non sit magnę auctoritatis, quū sit quędā Glosa Magistralis.

Ad 2um. dicendum, quod non fuit sine causa, quod Deus magis respondit Sauli per Samuelem iam deffunctum, quā per Prophetam vivum, vt divina sententia super Saulē futura de proximo propter sua demerita per Samuelem anunciaretur, sicut per ipsū viventem reprobatio ā Regno sibi ante fuerat denunciata.

Ad 3um. dicendum, quod Samuel dixit Sauli ipsum fore in crastino secum, idest, in statu deffunctorū; nec plus sonat illa litera; nam si sonaret in statu Sanctorū, vt argumentū prętendit, eadē ratione adduceretur ad oppositum, quia dixit Sauli

eras tu, et filii tui eritis mecū. Ionathas autē ibidem interfectus erat valde bonus, et perfectus, vt patet ex pluribus locis Historię Sacrę primi Regum; vnde non debet esse dubium quin receptus fuerit in consortio Sanctorū; vnde si ex Saule arguitur, Dęmonē apparuisse, eadē ratione ex Ionatha arguetur, apparuisse Samuelē.

Ad 4um. dicendū quod Samuel permisit se adorari adoratione Dulię; nec hoc fuit illicitum; sicut et David permisit se adorari à Nathā Propheta, vt habetur 3. Reg. 1°. et similes adorationes habentur in multis locis Sacrę Scripturę.

Ad 5um. dicendum, quod Samuel fuit adductus virtute Divina, aut permissu Dei non in favorē artis magicę, sed magis in impedimētū, vt dictū est in responsione ad 1um. et ad 2um. argumentū huius partis.

Ad argumenta vero, et modum dicendi Burgensis potest dici, quod nulla ratione cogimur suā opinionē tenere; nam si Dęmon assumpsisset, vt potuit, corpus aereū in similitudine corporis,

et habitus Samuelis, ita vere potuisset dici Samuel ex illa similitudine sic accepta, sicut si fuisset verum corpus eius de sepulchro acceptum, vt dictũ est.

Nec favet huic opinioni illud verbum quare inquietasti me, vt suscitarer? nam quũ illud corpus careret intellectu, et sensu, et velle, et nolle, vt etiã confitetur Burgensis nõ potuit se vere dicere inquietatũ, aut suscitatũ. Et si forte dicatur illa verba, et modos dicendi à Dęmone fuisse confictos, non videtur, quod oportuit, aut decuit ad fictiones, et mendacia Dęmonũ verum Prophetę corpus instrumẽtum pręsentare. Nec videtur artẽ nigromãticã, quę in corporibus mortuorũ divinare consuevit sine Dei singulari permissione ad Sanctorũ corpora se posse extendere; et quum de tali permissione per Sacrã Historiã non constet, aut rationi videatur conventaneũ, non videtur admittendũ. Nec videtur hęc opinio recte interpretata Augustinũ, quum dicit, vel non vere

Spiritus Samuelis à requie sua est excitatus, sed aliquod fantasma, et illusio, quia licet ex dictis excludatur spiritus Samuelis, non tamē concluditur corpus eius, sed aliquod fantasma, et illusio, quę ad prestigia pertinent; nam si fuisset corpus reale, et verū Samuelis, quod in sepulchro iacuerat, non fuisset fantasma, aut illusio, vt Augustinus dixit; licet enim locutio fuisset illusoria, apparitio tamē fuisset realis, et vera, quod videtur contra verba Augustini. Postremo tametsi Dęmon fuisset coniunctus illi corpori, vt motor secundū quod hęc opinio pretendit, illud tamē coniunctū non posset vere dici Propheta, et exaltare vocē suam de terra, vt Ecclesiasticus dicit, cui hęc opinio multū adheret.

Ex quibus satis superque patet libertas eligendi, quam partem quis maluerit.

QVÆSTIO.

Superveniu: Arripuit itaque Saul gladium suum, et irruit super eum 1. Reg. 31: poterquęri,

Utrum Saul fuit damnatus.

Et videtur, quod non. Primo quia 1. Reg. 28 dicitur Samuelem sibi dixisse: tu, et filii tui eras eritis mecum, quod videtur intelligendum, idest in parte Iustorum; tum quia procul dubio Samuel in illa parte erat; tum quia Ionathas, qui erat sanctus, et bonus credendus est fuisse in parte sanctorum receptus.

2° quia 1. Reg. 9. dicitur, quod Saul erat electus, et bonus, et non erat vir in filiis Israel melior illo; unde licet postea multipliciter, et graviter peccaverit, videtur Divinę Pietati congruum ut propter præcedentem bonitatem dederit ei Dominus pœnitentię fructum ad evadendum Gehennę pœnam, licet non ad retinendam successionem Regię dignitatis. sine pœnitentia enim sunt dona, et vocatio Dei, ut Apostolus dicit Ro. 11.

3° nam ut dicitur 2. Machabeorum 14. Razias videtur se interfecisse, et Samson, ut habetur Iudicum 16. et aliquę feminę, quas Augustinus meminit 1. Civit. Dei, ne a Barbaris

illuderetur, qui tamē comēdatur: ergo et Saul, qui eadem ratione se occidit, non fuit damnatus.

4° nam Ezechielis 18. dicitur: si autē impius egerit poenitētiam ab omnibus peccatis suis, quę operatus est, vita vivet, et non morietur; sed Saulem egisse poenitentiam convincitur eo quod audita Domini sententia sibi per Samuelē anunciata patienter acceptavit eā, ut sic Dei voluntas impleretur, quod non videtur verisimile fuisse sine dono poenitentię; unde sumpto modico cibo pro sustētatione naturę ambulavit per totā noctē, ut veniret ad prœliū in eo moriturus secundū divinum Iudicium. Nec Jonathā, et Abinadab, et Melchisue filios suos ā prœlio prohibuit in se, et filiis suis divinā sententiā patienter acceptans.

In contrariū est quod homicidium sui ipsius est gravissimū peccatū in genere homicidii; sed Saul occidendo seipsum mortuus est, ut textus dicit: ergo in gravissimo peccato mortuus est; et sic cadens in fine peccati in ęternū

permanet damnatus iuxta illud Eccel. 11: si ceciderit lignũ ad Austrũ, sive ad Aquilonẽ in quocũque loco ceciderit, ibi erit.

2º quia 1º Paral. 10. dicitur: mortuus est ergo Saul propter iniquitates suas eo quod prævaricatus sit mandatũ Domini, quod præceperat, et non custodierat illud sed insuper etiam Phitonissam consuluerit; nec speraverit in Domino.

Pro solutione huius dubii 1º est notandũ, quod communiter Doctores Hebræi tenẽt, quod Saul fuit salvatus propter aliquas rationes in principio dubii tactas. Catholici autem Doctores nostri concorditer tenẽt fuisse damnatum. Quia vero quæstio est de facto, et auctoritas, aut ratio cogens ad neutrã partẽ invenitur, quinimo tã auctoritates, quam rationes vtriusque partis pro vtraque parte solent exponi, et solvi; nec hactenus nisi memoria nos fallit, invenitur aliquid determinatũ ab ecclesia, licet vnicuique, vt lubet opinari, et ideo sine præiudicio alterius partis maxime quia Magister Nicolaus magis ei

adhesit tenebimus cum catholicis quoniam re
vera rationes pro hac parte videntur validio
res, et auctoritates sacrę scripturę ad hoc magis
videntur declinare. circumstantia enim scriptu-
rarum, vt Augustinus in li. 83. q. dicit illuminat
sententiam; Pro cuius partis corroboratione

2.º notandum, quod occidere seipsum, vt
probat S.tus Thomas 2.2. q. 64. ar. 5. est omnino illi-
citum, et maximum peccatũ in hoc genere; pri-
mo quia est magis contra naturalẽ inclinati-
onẽ. Secundo quia est in iniuriam communi-
tatis, cuius quilibet homo est pars, vt patet 1.º Po-
litice, et 5. Ethic. Tertio quia vsurpat Iudiciũ, quod
solius Dei est, vt dicitur Deuteron. 32: ego occi-
dam, et ego vivere faciam; et 1. Reg. 2: Dominus
mortificat, et vivificat; vnde qui se ipsũ vita
privat in Deum peccat, sicut qui alienũ servũ
interficit, peccat in Dominũ, cuius est servus,
et pręcipue est gravissimũ, quia gravissime,
et periculosissime sibi nocet, quia non superest
ei tempus, imo omne subsidium sibi intercipit,

et præcludit, atque præcidit expiandi peccati homi-
cidii proprii per pœnitentiam, quum post mortẽ
nullus sit pœnitentiæ locus. Prætereà est contra
Dei præceptũ; unde Augustinus 1°. Civit Dei
dicit: restat, ut de homine intelligamus illud,
quod dictum est: non occides, nec alterũ: ergo
nec te; nec enim aliud, quam hominẽ occidit, qui
se ipsũ occidit. Quum igitur Saul se ipsum
occiderit, peccatum grande commisit, in quo ni fallor
mortuus est, et sic videtur damnatus. Nec
obstat, quod Hebræi dicũt, quod Saul se occidit, ne
in propria persona ludibria pateretur contra
Dei honorem, aut ne in persona eius Deus
irrideretur ab infidelibus; nam quanto maiora,
et ignominiosiora ludibria, et tormenta pati-
untur milites Dei pro eo certantes in agone,
tanto manifestius splendet in eis Divina
virtus, robur, et honor, ut patet in Christi Mar-
tiribus. Unde et Saul, si eam gratiã, quam Divi-
nitus nostri Martires assecuti sunt, adeptus
fuisset, sperasset in Domino, qui potens est ho-

minē, et maxime pœnitentē liberare ā qua-
cūque tentatione superveniente, et potissimū
ā peccato, et non se occideret, quod est pessimū
facinus, vt dictum est.

Denique sola bonitas finis non tollit ma-
litiā actus humani, si talis actus secundum
speciē suam, aut secūdū alias circunstantias
sit malus; non enim sunt facienda mala, vt
veniant bona Rō. 3. licet sint toleranda sint mi-
nora mala, vt vitentur maiora: non ergo prop-
ter finē excusandi vituperium Dei se debuit occi-
dere Saul.

Præterea si Saul excusatus fuisset ā re-
atu proprii homicidii ratione prędicta; pari modo
excusaretur Amelechita si ipsum Saulē ob eā-
dem rationē occidisset, cuius contrariū patet
2. Reg. 1. vbi habetur, quod David, qui fuit Rex
Iustus audita excusatione Amalechitę ipsum
pręcepit occidi.

Adhuc quia vt dicit Augustinus 1.° ci-
vit. Dei ca.° 11: mala mors putanda non est, quā

bona vita præcurrexit: ergo à contrario etiam

mors Sauli, quam mala vita præcessit non est

præsumenda bona, ob quam causam dicit Psalmista

Psalmo 33: mors peccatorum pessima, et Psalmo

115: preciosa in conspectu Domini mors sanc-

-torum eius. Constat autem de continuata malitia

vitæ Saulis à tempore reprobationis, quando

coepit eum vexare spiritus nequam, scilicet quod

tot annos David iustum, et de eo, et Populo Dei

continuo bene merentem fere usque ad mor-

tem acerbe, dure, atque impie persecutus est.

Sed et nefandam, ac inauditam crudelitatem, quam

in Achimelech summum sacerdotem, et octoginta

quinque viros vestitos ephod lineo, et totam

Nobe civitatem sacerdotum, scilicet viros, et

mulieres, et parvulos, et lactentes, bovemque,

et asinum, et ovem, quæ omnia in ore gladii per-

cussit, ut habetur 1. Reg. 22. id ipsum testatur,

et nulli dubium quin multa alia crimina

commisit. sed in hoc, et aliis non omnia

scripta sunt in Sacra scriptura; crimina enim

interdum, vt contra Faustũ dicit Augustinus criminibus vindicantur, et supplicia peccatorũ non sũt tormenta, sed vitiorũ incrementa; et Apostolus 1.ᵃ Thimot. 5. quorundam hominũ peccata manifesta sunt præcedẽtia ad Iudiciũ. Vnde mirari satis non possum quomodo vita Saulis pessima, et ad finẽ vsque vitę continuata ob nullũ, aut levissimũ pœnitentię indicium ã damnatione excusari possit, maxime quum sacra Scriptura post lapsũ eius, vt pluximũ de eo, quasi de reprobo, et pertinaci loquatur; præsertim 1. Reg. 14. vbi iuxta Hebraicam veritatem dicit, quod quocũque se vertebat, impie agebat, et historiã eius claudit 1. Paral. 10 dicens: mortuus est Saul propter iniquitates suas &c.ª

Postremo si difficillimũ est, et pęnè impossibile in morte meminisse Dei dicente Propheta, quoniã non est in morte, qui memor sit tui, in morte acerba angustiarũ, ac dolorum plena hominẽ, qui pœnitere nesciebat, nec fructũ pœnitentię meruerat, et inter

se occidendum, quod est peccatũ gravissimum, non videtur verisimile, quod poenituerit; cui sententię consonat verba Augustini in sermone innocētiũ dicentis: hac animadversione percutitur peccator, ut moriens, obliviscatur sui, qui, dũ viveret, oblitus est Dei.

Ut autẽ studiosis praebeamus meditãdi materiã, ac sacras litteras scrutandi, ad argumenta utriusque partis respondebimus.

Ad 1um. dicendum, quod non est necesse, ut illud mecũ intelligatur, id est, in parte Iustorũ; nam convenientius exponitur, id est, in statu defunctorũ, ut in praecedenti questione dictum est. Et potest hic sensus comprobari ex verbis Christi ad latronẽ Lucę 23 quum dixit: hodie mecum eris in Paradiso; si enim oporteret referre hanc dictionẽ, mecum, ad statum Beatitudinis, videretur superflue additũ in Paradiso, suffecisset enim dicere hodie mecum eris; sed quoniã sine tali additione potuisset intelligi mecum eris, id est, in statu

defunctorũ, ideo convenientex additur in Paradiso; Samuel vero non dixit: eris exitis meũ in Limbo, sed solum dixit eritis mecum. Potest etiam dici secundum opinionem, quam, vt probatione in præcedenti quæstione ex auctoritate Augustini recitavimus, quod ille, qui verba illa dixit, non erat Samuel verus, sed malignus spiritus, qui sub specie eius Saulẽ decepit, Deo pro suis meritis permittente.

Ad 2um dicendum, quod licet Deus secundũ absolutã potentiã potuisset eũ dare gratiã pœnitentiæ, tamẽ secundũ communẽ legem in tota penè sacra Scriptura promulgatam vnicuique reddit iuxta opera sua, vt dicitur Rõ. 2. Vnde Ezechielis 18: Iustitia iusti super eũ erit, et impietas impii erit super eũ; et paulo post dicit de bene incipientibus, et male perseverãtibus: Si autẽ averterit se Iustus ã Iustitia sua, et fecerit iniquitatẽ secundum omnes iniquitates, quas operari solet impius nunquid vivet? quasi dicat, non; ideo subdit:

omnes Iustitiæ eius, quas fecerat, non re-
cordabuntur. In prævaricatione, qua prævari-
catus est, et in peccato suo, quod peccavit in
ipsis morietur; et Dominus Matthæi 7º. qui
autem perseveraverit vsque in finē salvus
erit: ergo ā contrario sensu, qui non perse-
veraverit, sicut Saul, condemnabitur; inci-
pere enim multorū est, vt ait Chrisostomus,
finire paucorū, de quibus Dominus dicit:
pauci vero electi.

Ad 3um. dicendum, quod Razias non
comēdatur ibidē, tanquā fortis Dei Athleta,
qui ex virtute Fidei viriliter sustinendo pug-
naverit; sed tanquā habens aliquā fortitu-
dinis speciē; estimabat enim se fortiter agere;
illa tamē non censetur vera virtus fortitu-
dinis, sed potius mollities quędā, et animi
langor non valentis ferre maiores pœnas,
vt patet per Philum. 3. ethic. et per Augustinū
1º. civit. Dei. Posset etiā aliter dici, scilicet
quod Razias per processum vitę suę comēdatur

in Sacra Scriptura; vnde de tali præsumi potest, quod instinctu Divinæ inspirationis id fecerit; nam secundum regulam Iuris, qui semel est bonus, semper præsumitur esse bonus. Contra vero de Saule, qui tot, tantaque flagitia commisit, et in eis ad mortem vsque perseveravit, nec poenitentiam perfectam aliquando egit, continuisset enim à malo, et reliquisset alicubi suæ poenitentiæ vestigia, si eam egisset. Qui enim non consuevit poenitere raro, aut nunquam poenitere discit, et ideo non videtur præsumendum instinctu Divino mortem sibi conscivisse; sed ex desperatione, vt textus inuit 1. Paral. 10. vt dictum est. Nec valet similitudo de Sanson, quoniam per eum Dominus multa miracula faciebat, et in ipso exitu Dominum invocavit, et orans impetravit ab eo, vt restitueret sibi pristinam fortitudinem. Vnde violenta præsumptio est quod Deo instigante, et sic volente sicut et fortitudinem dante, id fecerit; ideo merito ponitur in cathalogo Sanctorum ab Apostolo Heb. 11, et

similiter tenendum est de Sanctis feminis, quæ tempore persecutionis se ipsas occiderunt, ne ab infidelibus ignominiose corrumperentur, et illuderentur, vt dicit Augustinus 1°. Civit. Dei.

Ad 1um. dicendum, quod sicut dicitur Deuteron. 18 circa divinationes duo divinitus prohibentur; vnũ ne quis fidelis divinos consulat; secundum ne eos audiat, aut dictis eorũ assentiat; et vtrumque in hoc passu violavit Saul. vnde qui ex hoc quod per Phitonissam consuluit Phitonem peccavit, et per hoc quod sententiam per eã exortam acceptavit, videtur peccasse; vnde ex hoc potius accusandus quam excusandus venit, quia non solum Phitonẽ per Phitonissam consuluit, sed eius divinationibus, et prophanis, magicisque artibus credidit, et credendo, vt hi dicũt, acceptavit. vnde vtriusque dicti præcepti transgressor fuit.

Si autem dicas, quod Saul non credidit Phitonissæ, seu Phitoni, sed Samueli, qui erat Propheta Domini fidelis, non te relevat; tum

quia ut patet per Augustinum in libro de Civitate Dei, et ponitur in cap.° nec mirum 26. q. 5. verior, et communior opinio est, quod ille, qui apparuit, non fuit verus Samuel, et auctoritas Doctorum in expositionibus Sacræ Scripturæ, licet non cogat, ut Sacra Scriptura, aut determinatio ecclesiæ tamē non parvam auctoritatē habet, ut in cap.° Decretales epistolę 20 dist. et sic non Samueli, sed Dęmoni credidit, quem debuit esse præsumere, quia ad Phitonissam nō nisi pro Phitone consulendo accessit, quem non debuit estimare Prophetam verum, sed spiritum malignū, qui se sæpe Deū sæpe Prophetam mentiebatur; Tum etiam quia asserentes verū Samuelē fuisse suscitatum, hoc asserunt evenisse ex dispensatione Divina, quę Phitonissam, et Saulem latebat, et sic secundum eos Saul nō debuit credere, quod ignorabat, sed spiritum malignū, quem per Phitonissam consuluit arte magica in similitudine Samuelis vocatum, et aparētem, cui credendo haud dubie peccavit

contra Dei præceptum agendo, et contra verã Fidẽ credendo; omne enim, quod non est ex Fide peccatum est. Rõ. 14. Item, vt enim dicit Augustinus in ca.° nec mirum sæpe allegato, Non ideo debet quis talibus credere, quia aliquando eveniunt, quę prędicunt, vt patet Deuteron. 18. Quãdo autẽ asserunt Saulẽ, audita sententia, pœnituisse de omnibus peccatis suis, Quia nullũ habet fundamẽtum eadẽ facilitate contemnitur, qua aprobatur, vt Hieronimus dicit; ex accep-tatio non habet pœnitentię rationẽ, sed peccati; et quia ivit ad pręliũ modico assumpto cibo ambulans tota nocte, sic patet probare, quod ad se reversus credidit, non esse illã Divinã sententiã contra se prolatã, imo dęmonia-cam illusionẽ sicut inde probant acceptasse Divinã sententiã, et forte fortius, et verius; et ideo nec se avertit ã pręlio, nec filios ab eo prohibuit.

Ad 4.um argumentum in contrarium dicendum, quod interficere se ipsum intuitu propriæ

personę, vt per hoc aliquis mortē acerbiorem, vel turpiorem evadat, semper est illicitum, et grave peccatum, vt ex dictis patet; sed se ipsum occidere instinctu Divini honoris, ne scilicet in proprio corpore exerceatur illusio in Dei contemptum, et vituperium redundans, sicut timebat Saul, ne in eo, qui erat Rex exercerentur ludibria in contemptū Dei Israel, hoc nec est illicitū, nec peccatum, quomodo Razias, et Samson, et illę Sanctę feminę, quas Ecclesia celebrat, non solū excusātur, sed laudantur maxime quia instinctu Dei fecisse creduntur; et ita creditur de Saul ab eis, qui hanc partem tenēt.

Ad 2um. potest dici secundum eos, quod propter iniquitates suas est ei inflicta poena mortis temporalis; sed quod propter eas poena mortis spiritualis multatus fuerit, nō sonat auctoritas, sicut fur suspenditur ob commissa sua, si tamen in fine veraciter poeniteat, et meritam mortē patienter ferat efficitur dignus vita ęterna; et sic videtur intelligenda

abiectio Saulis, de qua scriptura loquitur, non de æterna, sed de abiectione Regni temporalis à suis descendẽtibus; quod autẽ additur nec speravit in Domino, quod communiter à catholicis intelligitur de desperatione finali, quæ est species peccati in spiritũ sanctũ, intelligũt Hæbrei de temporali dicentes, quod licet non speravit in Domino quando Phitonissã consuluit, tamẽ de his omnibus, et aliis malis ante mortẽ imminentem poenituit, et sic speravit in Domino de salute æterna, licet non de vita tẽporali.

QVÆSTIO.

Super versu: misericordiam autẽ meam non auferrã ab eo sicut abstuli à Saul, quẽ amovi à facie mea 2. Reg. 7°; quia ad literam videtur loqui de Salomone: potest quæri, vtrũ Salomon fuit salvus.

Et videtur quod fuit. Primo quia in dicto loco dicitur: ego ero ei in Patrẽ, et ipse erit mihi in Filiũ, qui si inique aliquid gesserit arguam eum

in virga virorum, et in plagis filiorum hominum, misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli a Saul, quem amovi a facie mea. Ubi videtur Dominus polliceri David salutem aeternam pro filio successore de quo litera procul dubio loquitur, quandoquidem si peccaverit, sicut peccavit, comminatur ei poenas temporales, et offert se non ablaturum suam misericordiam ab eo, sicut abstulit a Saul, qui ut ex quaestione praecedenti habetur fuit damnatus.

2.° amor Dei reciprocus scilicet quando quis amat Deum, et amatur ab eo, est firmissimum indicium aeternae salutis; sed hic amor fuit in Salomone, ut dicit textus 3. Reg. 3: dilexit autem Salomon Dominum, et 2. Reg. 12 de Salomone dicitur: vocavit nomen eius Salomon, et Dominus dilexit eum, et paulo post dicitur: vocavit nomen eius, amabilis Domino, eo quod diligeret eum Dominus. Diligere autem est bonum alicui velle, et velle Dei est facere, iuxta illud omnia quaecumque voluit fecit: ergo amo-

xem in Animo eius fecit, quo gravno Sabaus comparatur.

3º ille qui habitat in adiutorio altissimi commoratur in protectione Dei Coeli, et nihil adversi timet; sed Salomon fuit eiusmodi, ut patet Proverb. 30. ubi dicitur: visio, quam locutus est vir cum quo est Deus, et qui Deo secum commorante confortatus ait, et sequenti ca.º sibi 31. dicit: verba Lamuelis Regis, et paulo infra ait: ei mater sua, noli Regibus, ô Lamuel quod significat cum quo est Deus, non igitur videtur, quod eu̅ deseruerit, et in damnationem proiecerit.

4º ille, qui habuit à Domino singulare privilegium excelentis scientię, quo discernitur bonu̅ à malo, et sanctum à prophano, quę et perseveravit cum eo, ut dicitur Eccles. 2. Unde 3. Reg. 3. dicit ei Dominus: dedi tibi cor sapiens, et intelligens in tantum, ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit: non videtur à Deo destitueri, aut destitutus,

ita ut penitus excecaretur, ne intelligeret stultitiam, et vanitatem idolatriæ, aut si in eo aliquo opere laboraverit, obstinatione induratus per pœnitentiam non redierit ad Dominum.

Quinto nullus Dei Propheta legitur damnatus; sed Salomon fuit verus Dei Propheta, ut constat Proverbiorum 31. et communiter tenetur a Doctoribus: ergo fuit salvatus. Nec obstat, quod Saul fuit inter Prophetas, ut habetur textu 1. Reg. 10. Nam illud prophetare erat cum ceteris Prophetis Deo laudes psallere; nec constat auctentice, quod de futuris prophetaverit, licet Hebrei aliqui quedam ibi fabulosa confingant.

6º ille qui post multa quantumcumque male gesta pœnitet a Deo pro sua infinita clementia pie ad gratiam excipitur; sed Salomon post commissa flagitia carnis, et idolatrie crimina pœnituit: ergo veniam meruit, et sic salvatus est. Prima propositio est Ezechielis 18. cap. si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, que operatus est &ª, sequitur, vita vivet,

et non morietur, hoc etiam Fidei nostræ, et Catholicæ Ecclesiæ testatur. Secunda propositio patet Proverb. 30. quum dicit: stultissimus sum virorum, quæ verba videntur sonare susceptam cognitionē in commissis prætextitis, quæ est Janua pœnitentiæ, et etiam videtur sonare reprehensionis acerbitatem, quæ necessaria est se se pro peccatis affligentis.

Contrarium scilicet quod fuit damnatus videtur per hoc quod Sacra Scriptura claudit historiā eius in sceleribus suis, non exprimens aliquid de pœnitentia eius, sicut de Manasse dicitur 2. Paral. 23. quod postquā coangustatus est, oravit Dominū Deum suum, et egit pœnitentiam valde coram Deo patrum suorū deprecatus est eum, et obsecravit intente, et exaudivit orationē eius; et paulo post dicit: abstulit deos alienos, et simulacrū de domo Domini, aras quoque quas fecerat antequā ageret pœnitentiā: Si igitur cuius finis malus est ipsū quoque malū

est, vt vult regula thopica, et de fine malo per opera, et historiā Salomonis satis superque constat nec Sacra Scriptura aliquo in loco contrariū prodit, videtur damnatus iudicandus.

Pro responsione ad dubiū est primo notandum, quod questiones de facto, vt sępe numero dictum est, eius modi est ista, sunt cognitu difficilimę, non enim sane concluditur factum ex dicto, sicut factum ex facto. Vnde quia facta postrema Salomonis fuerūt pessima, vt ex sacra libri Regū, et libri Paral. Historia dilucide constat, nec factū pœnitentię, quę quammaxime est necessaria post naufragiū vsquā apparet, videtur sine assertione salvo meliori Iudicio, si auctoritas Sanctę scripturę, aut Sanctę Matris, et Magistrę nostrę Ecclesię, quā hactenus non vidi, nec audi vi non obstat quantū ex scripturis, et rationibus, atque ex communiore consensu Doctorū Catholicorū non fuisse salvum; et po-

tissima ratio ad hoc assignatur à Doctoribus,
Quia non potuit salvari sine poenitentiâ; poeni-
tentiæ autẽ eius nullũ invenitur vestigium, aut
indiciũ in Sacrâ Scripturâ, imo quod non
poenituit, efficaciter apparet, quia si verè poe-
nituisset, quum esset Rex valde potens cui
sine dubio nullus de Populo paret, aut audere
contradicere utique destruxisset templa Ido-
lorum, quæ uxoribus ædifficaverat, sicut
fecit manasses, ut scriptura retulit, quod
non fecit, ut patet, quia non tacuisset tantã
rẽ Sacra Scriptura, quæ eorum structurã
narraverat, imo 4. Reg. 23. dicit, Josiã Regem
ea demolitum esse, ex quo patet usque ad ea
tempora permansisse.

2.° notandum, quod Hebrei, sicut de
Saule, ita de Salomone, tenẽt fuisse sal-
vũ, quod etiã quædã Glosa Hebraica asserit
Eccles. 2. quod probant, quia ut dicunt, egit
poenitentiã, et alleqant ad hoc illud Proverb. 30.
verba congregãtis filii vomentis, visio, quam

locutus est vir cum quo est Deus, et qui Deo secum morante confortatus ait: stultissimus sum virorum, et sapientia hominum non est mecum; non didici sapientiam, et novi scientiam sanctorum; quae sic exponunt, scilicet quod — Sacra Scriptura vtriusque testamenti frequenter vti-tur nomine filiationis ad denotandum aliquam proprietatem. sicut 1. Reg. 13. dicitur: filius vnius anni erat Saul, quum regnare coepisset, ad denotandum eius humilitatem; et 2. Reg. 12: vivit Dominus quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc, ad denotandum, quod malitia eius erat morte digna; et hoc modo dicitur Salomon filius congregans, et vomens secundum eos; congregans ad denotandum magnitudinem sapientiae in eo con-gregatae partim ex infusione Dei Dei, vt patet 3. Reg. 3. partim ex studii exercitatione; vomens vero dicitur, qui alios docebat, vnde 3. Reg. 10 dixit Regina Sabba: Beati viri tui, qui stant coram te semper, et audiunt sapientiam tuam; dicunt igi-tur verba, scilicet quae sequuntur, sunt congregati,

et vomentū, scilicet Salomonis, et est locutio
parabolica, quia sic in eo libro loquebatur; sequi-
tur visio, quam locutus est vir &c.ª et loquitur de
se tanquã de alio, cum quo est Deus, et qui Deo
secum morante, scilicet per spiritum compunc-
tionis de malegestis confortatus ait: stultissi-
mus sum virorum, quia enim dictum erat
per Moisem Deuteron. VI. de Rege instituendo
super Israel non multiplicabit sibi equos &c.ª
et sequitur non habebit uxores plurimas, quę
alliciant animum eius, neque argenti, et auri
immensa pondera, Salomon autem de sua
Sapientia confidens fecit totum contrarium,
ut patet ex historia 3. Reg. et 2. Paral. esti-
mans quod etiam si his omnibus habunda-
ret, et eis frueretur, nec elevaretur in superbiã,
nec illicitus per alienigenas adoraret Deos
alienos. Unde errores suos recognoscens, et
se ipsũ per poenitentiã arguens dicit: stultissi-
mus sum virorũ, qui me credebam sapientissi-
mũ, et sapientia hominũ qua caret ã transgressi-

one præceptorum non est mecum. hæc expositio Hebræorũ in pluribus deficit; primo quantũ ad eius fundamentum. Asserit, quod Salomon in fine vere pœnituit, et vt pœnitẽs præmissa verba protulit: stultissimus sũ virorum &c.ª Secundo deficit dicta expositio, quia in multis est falsa, et extorta; primo quia præmittit in textu, vbi nostra translatio habet visio, dicit Prophetia; Si enim Salomon pœnitens de suis transgressionibus præteritis dixit: stultissimus &c.ª in hoc non loquebatur Prophetice, vt dicit hæc expositio, sed magis historice confitendo humane peccata sua. Denique Salomon, vt ex contextu Sacræ Scripturæ aperte colligitur duo habuit tempora; vnum, scilicet iuventutis virilitatis, et consistentiæ in quo Doctores nostri catholici tenẽt communiter, quod habuit Spiritũ Sanctum operando, loquendo, et scribendo; quapropter eius libri ponuntur in canone, et tunc locutus est tria

millia parabolas, et carmina quinque, et millia, vel vt habetur in Hebraeo quinque, et mille, et disputavit super lignis, iumentis, volucribus, reptilibus, et piscibus, vt narratur 3. Reg. 4.

Habuit aliud tempus Salomon de quo est Sermo 3. Reg. 11. vbi dicitur: quum iam esset senex adamavit mulieres alienigenas, et copulatus est eis ardentissimo amore, et depravatum est cor eius per eas, vt sequeretur Deos alienos; nec erat cor eius perfectum cum Domino, sed colebat Asthrarthē deam sidoniorū, et chamos, et Moloch &c.a et aedificavit Phanū chimos idolo Moab in monte, qui est contra Hierusalē, id est, in monte Oliveti &c.a Atque in hunc modum fecit vniversis vxoribus suis alienigenis, scilicet singulis, quae erāt cultus vnius Dei Phanū vnum &c.a Ex quibus plane constat, quod parabolas in quibus cā. 30. dixit: stultissimus sum virorū composuit ante quam in tantam insaniam,

impietatemque laberetur tempore, scilicet,
quo in eo viguit sapientia, et spiritus Sanc-
tus, et non tempore extremo vitę suę, quando
vt reffert textus, quum esset senex, depra-
vatum est cor eius, et per consequens Spiritus
Sanctus abscessit ab eo tempore senectutis,
et sic ex illo loco non videtur bene posse ar-
gui pœnitentia, nisi dixeris, quod pœniten-
tia pręcessit delictum, quod est absurdum;
Verus igitur sensus illius textus est, quod
Salomon, quando prioribus temporibus
habuit Spiritũ sanctũ, spiritu Prophetico
pręvidit tempore Christi futuros homines
simplices, et illiteratos, illuminandos tamẽ
Divinitus de his, quę pertinebant ad salutẽ
suam, et aliorũ, vt constat de Apostolis, et
aliis, quã plurimis; quę et similia pręvi-
dens Salomon in Spiritu Sancto dixit: vi-
sio quã locutus vir cum quo est Deus
per specialẽ illustrationẽ, qua confortta-
tus commendans sapientiam Dei, et huma-

nam contemponens ait: stultissimus sum virorum, quia sapientia huius Mundi stultitia est apud Deum 1ª Cor. 3. et sapientia hominũ, id est, mundana non est mecum, id est, pro nihilo ã me reputatur, non didici sapientiã, scilicet huius Mundi, quia eam flocipendi, et novi scientiam sanctorum, qua Deus, et ad Deum pertinentia cognoscuntur, et cum admiratione incipit narrare celsitudinẽ Maiestatis Dei, et difficultatẽ cognitionis Dei, nisi Deus ipse, qui illuminat omnẽ hominem, dederit scientiam, et lumen; unde admonens nos Eccl. 3: altiora te ne quæsieris, scilicet propriis viribus subdit: multa supra sensũ ostensa sunt tibi; ideo movet quatuor difficultates, quæ homo de Deo non attingit, nisi per Deum adiutus, ut scilicet in lumine eius videat lumen, quarum ultima est, quod nomen est eius, et quod nomen filii eius si nosti? quasi dicat, sicut

incognoscibilis est humanis sensibus, ita est innominabilis, ut dicit Auctor 22. propositione li. de causis, quod est supra omne nomen, et quod nomen filii eius, quasi dicat per natura-lē sapientiam non potuit attingi distinctio pa-tris, et filii, quā tamen per revelationē atti-gerunt etiam simplicissimi Christiani; et sic expone quę sequuntur. Ex quibus satis superque constat, illa verba non fuisse paenitē-tis, sed vaticinantis tempora Christi. Praeterea si paenituisset, sententia Dei descissura Regni propter eius idolatriam ā Deo sibi pronunci-ata, et per Ahiam Silonitē Prophetam Hiero-boam denunciata non fuisset expleta, et exe-cutioni mandata, quia mutata causa maxime per paenitentiā mutatur effectus, sicut patet de Manasse 2. Paral. 23. qui propter idolatriā perdidit Regnū, et captivus ductus, quia egit pae-nitentiā, fuit in Regnū, etiā pro successo-ribus restitutus; idem patet de Ninivitis apud Jonam Prophetam 3. ca.o Item quod non pae-

mituerit, ut alia Doctores præterea videtur sentire Augustinus 17 de civitate Dei dicens: Salomon bonis initiis malos exitus habuit, quippe secundæ res, quæ sapientum animos fatigãt magis huic obfuerunt, quam profuit ipsa sapientia, et nunc et deinceps commemorabilis, et tunc longe lateque laudata, prophetasse etiã ipse reperitur, scilicet ante lapsum. Et 22. contra Faustum, excusans ceteros Patriarchas, descenderisque ad Salomonẽ, dicit, ipsũ longe magis per Sacram Scripturam, quam per eũ fuisse damnatum.

Superest autem ad argumenta in contrarium respondere. Ad Ium. dicendum, quod ex hoc loco non potest efficaciter argui de misericordia Dei circa Salomonẽ, nisi quantũ ad temporale Regnũ, quod non fuit ab eo, nec ãfiliis, vel descendentibus eius totaliter ablatum, sicut fuit ã Saule, ideo subditur sicut abstuli ã Saul, quem amovi ã facie mea, scilicet ne eius posteritas regnaret post eũ,

sicut ad literam abiectio Saulis volet intelligi. Et licet dictus sensus sit sanus, et literalis, tamen capit alius, etiam literalis clarior, et solidior, scilicet exponendo de Christo, de quo etiã ad literam exponitur verbum præcedens 2. Reg. 7. ego ero ei in Patrem, et ipse erit mihi in Filiũ, quod allegat Apostolus in sensu literali ad dicatũ propositum de Christo Filio naturali ad Heb. 1.

Ad 2um. dicendum, quod sicut dicit Augustinus distribuenda sunt tempora, ut concordent scripturæ; salomon autẽ, ut dictum est, in secundo notabili, habuit duo tempora; unum scilicet virilitatis, et consistentis, et in hoc dilexit Deum, et fuit dilectus ab eo, et profuit Populo doctrina, et exemplo; unde 2. Paral. 9. dixit ei Regina sabbá; quia diligit Deus Israel, et vult servare eum in æternum, icciro posuit te super eum Regem, ut facias Iudicia, atque Iustitiã; Aliud senectutis in quo ardentissimo amore dilexit mulieres alienigenas, et sic propter amorem mulierum illicitum, sci-

licet Idolatrarum, et per legem prohibitarū postposuit Dei amorem, et amor Dei tam ceco amori incompatibilis dereliquit eum, qui adeo fuit corde depravatus, vt sicut sacra narrat historia habuerit vxores, quasi Reginas septingentas, vel vt quidam dicunt septuaginta, et concubinas trecentas. Ad tantā enim, vt quidā dicit, carnalitatē devenerat, quod frequenter de novo Virgines habere volebat, sicut de Assuero Rege 2. narratur, quod quolibet die habebat vnam, et quod quę ingrediebatur vespere egrediebatur mane; nec regrediebatur nisi ex nomine ā Rege vocaretur, quā non contigit talibus sine magna mercede bestialitatis in animo, et stuporis in corpore; et quia iracundum, vt dicit Augustinus contra Faustum, crimina criminibus vindicantur, et suplicia peccantium non sunt tormēta, sed vitiorū incrementa; ideo spernens minima paulatim in maxima cadit.

Ad 3um. eodem modo respondendum

est, nam concedendum est quod primo tempore habitavit in adiutorio altissimi &ca. sed postremo tempore excecatus, et depravatus est, ut dictum est.

Ad 1um. dicendum, quod omnia quę in argumto. narrantur, et multa alia quę 3. Reg. 1. de eius sapientia recitantur, sunt concedenda, et ut sacra narrat Historia firmiter tenenda; sed quoniam, ut ait Apostolus . . . . scientia inflat, charitas autem ędificat; Quod exponens Augustinus 9. Civit. Dei c.o 20. dicit, quod recte aliter non intelligitur, nisi scientiam tunc prodesse, quum charitas inest sine hac autem inflare, id est, in superbiā inanissime quasi ventositatis extollere; non igitur ex dono scientię, quod est gratis datū, aut studiis, et laboribus nostris augmentatū constat ęterna salus, sed ex vera charitate, quę ut ait Apostolus . Cor. 13. nunquā excidit, et sine qua omnia nihil sūt; hęc autē non perseveravit in eo, licet scientia perseveraverit

obducta quadam velut caligine, et hebetudine,
quę filię luxurię sunt; licet in Ecclesiastę nō
dicitur, quod illa sapientia infusa in primo sta-
tu, et tempore salomoni ad multa bona di-
vinitus collata perseveraverit cum eo semper,
vel usque in finē; sed perseveravit scilicet
quamdiu, quę ibi narrantur, agebat, et licet
omnino non perdiderit rerum, et veritatū
cognitionē, tamen non est usus ea, ut debuit,
ut dicit Augustinus 11. super Gn̄. ad lit. et
14. Civit. Dei cā. 11. sicut enim Aaron errāti
populo ad idolum fabricandum non consensit
inductus, sed cessit obstrictus; nec salo-
mon credibile est errore putasse idolis
esse serviendum, sed blandiciis femineis
ad illa sacrilegia fuisse compulsum, ita
de primo viro ā sua coniuge credendum
est contigisse; non tanquā verū loque-
retur fuisse seductum, sed sociali necessi-
tudini paruisse; non enim frustra dixit Apo-
stolus: Adam non est seductus, mulier autem

seducta est, quia illa quod ei serpens locutus est, concepit, ut verum; ille autẽ ab amico noluit consortio dirimi, etiam in communione peccati, nec ideo minus reus, quia sciens prudensque peccavit, nam utique ipsũ peccasse ostenditur, quum Apostolus dicit per unum hominem intravit peccatum in Mundũ, et paulo post in similitudinem, inquit, prævaricationis Adæ; et si enim credendo non sunt ambo decepti; peccando tamẽ ambo capti sunt, et diaboli laqueis implicati. Ex quibus constat Adam, Aaron, et Salomonẽ scientes esse vanitates eas fecisse; nec ideo minus peccasse, aut excusatos esse, quia igitur Salomonis cor usque adeo per mulieres nõ solũ depravatum est, ut templa Idolis uxorum construeret, sed ut etiã adoraret idola in eis locata, et scandalũ, ac malũ exemplum Populo ad Idolatriã prono in hoc præbuerit, maxime in Phano, quod in monte Oliveti ædifficavit contra Jerusalem Chamos

Idolo Moab, quod quotidie ab Hierosolimitanis in sui ruinam, et scandalum videbatur, graviter peccavit, et hoc legimus, poenitentiam vero non legimus; multa enim non faciunt homines, quæ deberent facere.

Ad 5um. dicendum, quod nullus Propheta Dei, qui perseveravit in Dei Religione, et timore legitur, aut creditur damnatus; sed Salomon licet aliquando prophetaverit, non tamen perseveravit in eo donum Prophetiæ quod gratia gratis data est; nec Dei Religio, et timor usque in finem, et ideo non est salvatus.

Ad 6um. Longe lateque patet responsio ex secundo notabili. concludo igitur Christiane cum Apostolo ad Rom. 11. dicens: ô altitudo divitiarum sapientiæ, et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt Judicia ejus, et investigabiles viæ ejus; non enim in divitiis aut potentia, aut gloria, aut magnitudine, vel pulchritudine corporum, aut altitudine scientiæ consistit salus, sed in Fide, quæ per charitatem

operatur; creavit enim Deus hominē, et posuit eum in manu consilii sui per liberum arbitrium, quod ei contulit, posuit ante oculos eius bonum, et malum, nec auferre ei voluit donum libertatis, quod ei dederat, nec naturas, aut conditiones rerū mutare, nec puro corde se quaerentibus praesidium suum aliquando negavit, nec quia templum toto orbe tunc famosissimum vero Deo dicavit, Salomon salutem consecutus est, nec quia falsis diis prophanas ędes construxerit clausa est ei ianua poenitentię, et vita ęterna, sed quia non bona bonis cumulavit, et quia malis finalem impoenitentiā addidit; unde pulchre Chrisostomus super Math. cap.° 23. de construentibus sancta ędificia ait: ō insipiens homo, quid tibi prodest ista memoria, si ubi es torqueris, et ubi non es laudaris? si ergo iuxta alia bona fiant sancta ędifficia additamentum est bonis; si vero sine aliis operibus pauo est Gloriæ secularis: igitur nec sancta Edifficia salvāt,

si alia bona deerint; nec prophana edifficia condemnāt, si vera pœnitentia conuret.

Desde este §. Circa hasta el fin de la q.ⁿ se copio ex Quinterno Pyterm.ᵐ

Circa prędictam materiam de salvatione, aut damnatione salomonis alii alia via processerunt, et ita in alium finem sententiā suam terminaverunt, Vt autem intā ardua optio, ac libertas sit vnicuique sequendi quam maluerit viam, censui, et eorum dicendi modum dictis áddere, et in primis ponendę sunt auctoritates Doctorum, qui visentur dicere Salomonē fuisse damnatum. Augustinus 17. libro civit. Dei ca.° 8. dicit, salomonis domū plenā fuisse mulieribus alienigenis colentibus Deos falsos; et ipsū ab eis Regem aliquando sapientem in eādem Idolatriā seductum, atque deiectum. Item in eodem ca.° 20 dicit, Salomonem male finisse dies suos, Regnavit inquit David in terrena Hierusalem Filius cœlestis Hierusalē divino multū testimonio prędicatur, quia et delicta eius tanta pietate superata sunt per saluberri

mam pœnitendi humilitatē, ut proximus inter eos sit de quibus ipse ait: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorū tecta sunt peccata, post hunc regnavit eidem Populo universo Salomon eius filius, qui patre suo vivente cæpit regnare, hic bonis initiis malos exitus habuit. Augustinus etiā in sermone de Incarnatione Domini ait de Salomone, quiā bonū esset initiū malos exitus habuit. Et in epistola ad Clippum episcopū sic ait: David enim princeps peccavit amando puellas, peccavit et Salomon, sed non pœnituit illū. Item Augustinus ad quemdā comitem, quæ verba ponuntur 3. q. 7. caº ultº ita ait: Salomon cum amore mulierculaū Deos Gentilium coleret, tamen universa plebs Israelitica ad eius Iudicia confluebat.

Item Ioannes Chrisostomus in sermone de pœnitentia dicit: quis sapientior Salomone, sed nesciens pœnitentiā, gratiā perdidit. Item Beda in lib. 30 quæstionū

super libris Regum dicit: nisi fallor Salomon
nunquam pœnituit perfecte, quia Idola, quæ
fecit, non delevit; et iterū: Salomon nūquam
perfecte pœnituit, nam si fructus pœnitentiæ
dignos fecisset, satagisset, ut ante omnia Ido-
la, quæ fecerat de civitate sancta tollerentur,
et non in scandalum stultorū reliquisset. Itē
Gregorius in Moralibus significat damnatū
Salomonē, quia sapientiā in somniis in-
ca non perseveraturus accepit. Item Gre-
gorius et habentur eius verba 22. q. 4. sic di-
cit: Salomon quippe immoderato usu, atque
aviditate mulierum ad hoc usque perductus
est, ut templum Idolis fabricaret, et qui
prius Templum construxerat Deo assidui-
tate libidinis, et perfidiæ substractus Idolis
templa construere non timuit. Item Glosa
super 3. Reg. ca.o 11, Salomonem, inquit, argu-
it vehementer scriptura, nihilque de pœni-
tentia eius, vel indulgentia Dei commemo-
rat. Et idem videtur sentire Rabbanus

4. Reg. 23. Item Nicolaus de Lira 2. Reg. 7. ait: dicunt aliqui quod Salomon, licet peccaverit graviter, tamen in fine poenituit, et sic est salvatus, et hoc dicit quedam Glosa Hebraica super Eccem. ca. 2; sed hoc est mihi valde dubium, sicut diffusius tractavi in quadam questione de Quolibet mihi super hoc proposita, quia si vere poenituisset, quum esset Rex valde potens, cui nullus de Populo ausus fuisset contradicere, destruxisset templa Idolorum, que edifficaverat, quod non fecit, quia permanserunt usque ad tempus Josie Regis, ut patet 4. Reg. 23.

Item legimus crimina Salomonis, poenitentiam non legimus quod quã apertissime patet 3. Reg. 11. ubi narratur, quod adamavit mulieres multas alienigenas contra preceptum Domini. Exo. 34. Secundo ardentissimo amore eis hesit, sicut equus, et mulus, in quibus non est intellectus. Tertio uxores ultra modum multiplicavit contra

præceptum Domini Dei ex. c. XI. Quarto fuit luxuriosus nimis, quod arguit magnã cæcitatem, ac Deo maxime displicentem. Quinto fuit Idolatra, quia quum iam esset senex depravatum est cor eius per mulieres, ut sequeretur Deos alienos. Sexto addidit facere Templa Idolis. Sed et Josephus in libro antiquitatum dicit, quod ante quam prædicta Salomon faceret, fecerat, et alia illicita, puta boves æneos super quos posuit mare æneum, et Leones, quos Regali solio iunxit; Sic enim dicit Josephus, Deum quidem proprium non solum illicitis uxoribus igitur inhonorabat, sed etiam ante hæc peccaverat, et circa legum custodiam iam deceptus fuerat, quando boum æneorũ similitudines fecit, quos mari subiecit, et Leones, quos in suo solio Regali decoris causa disposuit; non enim hæc facere fas erat, dum optimũ, et familiare paternæ gloriæ, et virtutis habuisset exemplum,

quod ei propter Dei pietatem fuerat relictum. Item 2. Esdrę, qui intitulatur Neemie ca.° ultimo dicitur: nunquid non in huiuscemodi re peccavit Salomon Rex Israel, et certe in gentibus multis non erat Rex similis ei, et dilectus Deo suo erat, et posuit eum Deus Regem super omnē Israel, et ipsū duxerunt ad peccatū mulieres alienigenę. Et Ecclesiastici 47. de eo dicitur: colegisti, quasi auricalchum aurum, et ut plūbū complesti argentum, et inclinasti femora tua mulieribus, potestatē habuisti in corpore tuo, dedisti maculam in gloria tua, et prophanasti semen tuū, inducere iracundiā ad liberos tuos, et in ceteris stultitiā tuā, ut faceres imperiū bipartitum, et ex Effrem imperare imperiū durum. Hęc omnia piacula supradictas ex dignitate personę, qui ex Deo tot tantaque receperat temporalia, et spiritualia beneficia ob ingratitudinē, et exemplum fuere graviora.

In contrariam partem sunt nonnulla

alia sanctorũ dicta; vnde Hieronimus super Eccles. ca.º 1. super verbo Ego Eccles. fui Rex Israel in Hierusalem dicēs: Aiunt Hebrei hūc librum Salomonis esse poenitentiã agentis, quod in sapientia, divitiisque confisus permulieres offenderit Deum. Idem in eodem ca. 2. super verbo magnificavi opera mea, ędificavi mihi domos, plantavi vineas &c.ª introducit Salomonẽ sic concionantẽ: Omnia, quę putantur in saeculo bona, quasi Rex, et potens habui, edificavi mihi in excelsum palatia, vitibus montes, colesque convexi, et ne quid deesset ad luxũ hortos mihi, pomeriaque plantavi diversas arbores instituens, quas colecte in piscinã aquę desuper irrigarent, vt longus vireor humore perpeti nutriretur; servorum quoque, sive emptorũ, sive vernaculorũ mihi fuit innumerabilis multitudo, et quadrupedum greges multi, boum, scilicet, et ovium quantũ nullus ante me Rex habuit in Hierusalem, sed et thesauri argenti innumerabiles condebantur,

quos mihi diversorũ Regum munera, et gentium tributa contulerant; unde accidit, ut eximiis operibus ad maiores delicias provocarer, et musicarũ artium chori mihi tybias, liraque voce concinerẽt, et utrque sexus in conviviis ministraret; sed quanto ista exercebãt, tanto sapientia decrat; nam in quamcumque voluptatẽ me cupido traxisset infrenis ferebar, et pręceps, putabamque hũc esse fructum laborum meorum, si ipse in libidine, luxuriaque consumerer; tandem in me met reversus, et quasi de gravi somno evigilans aspexi ad manus meas, et mea opera plena vanitatis, plena sordiũ, plena spiritu erroris intuitus sum; nihil enim quod in mundo putabam bonum potui reperire; putans igitur, quę essẽt sapientię bona, et quę stultitię mala, consequenter in laudẽ ipsius hominis cępi, qui post vitia se frenans vix tutũ possit esse sectator. Qua Hieronimi sententia aperte datur intelligi, quod Salomon

post delitias, et nimias voluptates ad vene-
rem fluxerit, et cunctos esse vanos corde, voce,
atque opere affirmaverit. Item Hieronimus
ad Salvinam de morte Nebridii dicit: David
amicus Dei, et Salomon amabilis eius vitti
sunt, quasi homines, ut et ruinae nobis, quasi
ad cautionem, et exempla paenitudinis ad sa-
lutem praeberent. Item super Ezechielem: Sa-
lomon quamvis peccavit, tamen egit paenitẽ-
tiam scribens proverbia, ubi dicit: novissime
egi paenitentiam, ut eligerem disciplinam.
Et iterum in eodem dicit: si et ipse fabricator
templi Salomon peccavit, et offendit Deum,
licet postea egerit paenitentiam. Item in eodem:
aiunt Hebraei, quod Ecclesiasten fecerit paenitẽtiam.
Item Hieronimus super 2. Tractab. 1. ca. di-
cit: asserunt libri Hebraeorum, Salomonem
quinquies tractum fuisse per plateas Hierusa-
lem causa paenitentiae, et in templo, quod
fecerat, dicunt, illum venisse cum quinque
virgis, de quibus quatuor dedit legis peritis,

vt verberaretur ab eis, qui communi consilio
dixerunt, quod in vnitum Domini manum non
mitterent, vnde et ipse ipso verberatus est.

Et Ambrosius in præfatione super Lucã:
quid etiam tres libri Salomonis, vnus de Pro-
verbiis, alius Eccles. tertius de Canticis can-
ticorum, nisi tern̄ȩ ostendunt nobis sapien-
tiȩ sanctum Salomonem fuisse solertem?
Idem in lib. de apologia David cap. 3. Salomonē
Sanctū nominat dicens: quid de David dicam,
et quid de Salomone sancto loquar, cuius
posteriora, quum grauis errore non careant,
vulgus tamē Iudaicū ipsum estimabat venisse
pro Christo, et quam multos grauis erroris
offensa revocavit. Maior itaque culpa plus
profuit, ne supra hominē crederetur, qui vi-
tio non caruisset humano; fuit igitur in eo
mendaciosa sapientia, et culpa susoria,
quȩ hominem comprobaret. Nota, quod hic
Ambrosius non dixit David sanctum, quia
communiter sciebatur sanctus; sed Salomo-

nem nominavit Sanctum, vt a cordibus de eius poenitentia dubitatẽ tolleret. Idem in libello de Salomone, valde laudat, et magnificat Salomonẽ, vocatque eum Prophetam, ac sapientissimum omniũ hominum.

Et Sanctus Thomas in 3.° libro de regimine Principum ca.° 8. tradunt, inquit, Hebrei, vt Hieronimus reffert in comento super Eccẽm. quod in fine vitę suę Salomon ex multis vexatus suum recognouit errorẽ, seque disposuit ad paenitentiam de commissis, librũque pręfatum composuit, in quo sicut apertus cuncta diffinit vanitati subiacere, subiiciens se diuino timori ad suorum obseruantiam mandatorum, vnde in fine pręedicti libri concludit, finem loquendi omnes pariter audiamus, Deum time, et mandata eius obserua, hoc est enim omnis homo. Hęc Thomas.

Et Vicentius in 2. libro speculi historialis sic dicit: Salomon operibus suis, atque sapientia, et diuitiarum gloria vbique nominatus,

tandem per mulieres alienigenas depravatus usque ad Idolatrię culturam devenit; habuit enim uxores septingentas, et concubinas 300; ideoque et Dominus adversarios ei adhuc viventi suscitavit, et Regnũ eius post mortẽ scindendum prędixit; sicque prius, qui secundum nomen suum pacem habebat undique per circuitum vitam in tribulatione finivit. dicunt tamẽ Hębrei, quod ante mortem pœnituit, et ob hoc librũ de contemptu mundi, qui Eccẽs dicitur composuit.

Et Dominus Burgensis in additionibus 2. Reg. cap. 7. super verbo misericordiam tamen meam non auferam ab eo, dicit, quod licet misericordia hic intelligatur de regno temporali ad literam, tamen etiam ad literam est principalius de Regno ęterno, sicut quum dicitur Abrahę Gen. 22: benedicentur in nomine tuo omnes gentes; etiam ad literam est intelligendum de benedictione spirituali. Origenes etiam in expositione archę Noe Salo-

nonem in vltimis poenituisset, testatur, et inter cadavera sanctorum Patrũ sepulturam illius extitisse. Et Isidorus eadem ratione in libro de ortu, et obitu sanctorum dicit: poenituisse, et in civitate David patris sui sepultum. Et Leo Papa in quodam sermone de adventu dicit: nequaquam inter corpora Sactorũ Patrum colocari potuisse, nisi dignã Deo poenitentiam ex corde exhibuisset.

Ecce tot veteranorum manus convexta sunt. expectatur pro altera parte triumphus, quę plane servimus sipexiora articulo quo ad licuit explicavimus; quo autẽ pacto nonnulli salomonẽ excusare conentur, etiam in medium afferemus, vt in re libera liber libero in campo curritare, ac singula pensitare, et quę mallit, eligere possit.

Hęc denique erit Salomonis magni apollogia, excusatioque. Salomon de tribus quam maxime incusatur; primũ quod idolatriç omnium peccatorũ gravissimo cessit.

Secundo quod Idolis Templa construxerit, nec ea deleverit. Tertiū quia sacra scriptura ponit peccatum, et non poenitentiam.

Dicunt igitur sui deffensores circa primum, quod licet non excusetur in Idolatria ā toto, excusatur ā tanto, quia non usque adeo insanivit, ut crederet in Idolis aliquid divinitatis esse. sed fuit seductus blanditiis femineis, eo modo quo Adam ad suasionem uxoris comedit arboris pomum, et Aaron erranti Populo ad Idolum fabricandum non consensit inductus, sed cessit obstructus timore, ut dicit Augustinus 14. Civitate Dei.

Secundum scilicet quod Idolis ædifficavit templa, et non destruxit, sicut verus poenitens, excusāt, quia valde in ultimo poenituit, et tunc vel firmiter diruere proposuit, vel ex-vis suis dirui mandavit, sed forte Populus, qui eo scelere maculatus iam pridē erant, non permisit, vel servorū negligentiis, qui Domini sui preceptū non sūt executi culpa videtur tribuēda.

Tertium, scilicet quod scriptura sacra fuerit in erroribus suis, et nihil de pœnitentia meminit, dicunt accuratè satis quod communiter Doctores Hebræorum eius pœnitentiam annexũt, et Doctores catholici supra pro hac parte nominati id reflexiunt, nec confutant, neque redarguunt, addentes, quod libri eius, et præsertim Ecclesiastes Dei verum cognitionẽ, et Salomonis pœnitẽtiam resonant, et ideo in Canone fuisse receptos. Sed quia in præcedenti articulo ad hæc omnia copiosissimè responsũ est arbitrio lectoris cuncta relinquimus dicentes cum Apostolo: omnia probate, et quod bonum est, tenete.

QVÆSTIO.

Super versu: dimittite eum, vt maledicat; Dominus enim præcepit ei, vt malediceret David, et quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit. et infra: dimittite eum, vt maledicat Iuxta præceptũ

Domini 2. Reg. 16: potest quæri,

Utrum Deus sit causa peccati.

Et videtur, quod sit. Primo per id quod Apostolus Rō 1° dicit de quibusdam: tradidit eos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ non conveniunt. Et Glosa ibidē dicit, quod Deus operatur in cordibus hominū, inclinando voluntates eorum, in quodcumque voluerit, sive in bonum, sive in malum; sed facere, quæ non conveniunt, et inclinare voluntatem ad malum est peccatum: ergo Deus hominibus est causa peccati.

2° Sapientiæ 14. dicitur: creaturæ Dei in odium factæ sunt, et in tentationē animæ hominū; sed tentatio solet dici provocatio ad peccandum, quum ergo creaturæ non sint factæ nisi ā Deo, videtur, quod Deus provocans hominē ad peccādum sit causa peccati.

3° quicquid est causa causæ est causa effectus; sed Deus est causa liberi arbitrii, quod est causa peccati: ergo Deus est causa peccati.

764

4.° omne malum opponitur bono; sed non repugnat divinę bonitati, quod ipse sit causa mali pœnę; de illo enim malo dicitur Isaię 45: quod Deus est creans malum, et Amos 3. si est malum in civitate, quod Deus non fecerit: ergo etiam divinę bonitati non repugnat, quod Deus sit causa culpę.

5.° ille, qui est causa excecationis, aggravationis, et obdurationis, ex quibus procedit peccatum est causa peccati; sed Deus est eiusmodi; dicitur enim Isaię 6: excecca cor Populi huius, et aures eius aggrava; et Rõ. 9. dicitur: cuius vult miseretur, et quem vult indurat: ergo Deus est causa peccati.

6.° nam dicitur in dicto textu, qui ponitur in fronte huius dubii Dominus pręcepit ei, vt malediceret David. ex quo potest sic argui: Aut Deus pręcepit Semei, quod malediceret David, et contra eum lapides iaceret, aut non. si non: ergo falsum dixit David tale Dei pręceptum bis in eodem cap.° asserendo,

quod est inconveniens; Si autem verum dixit, scilicet quod Dominus præcepit ei, vt malediceret, quum tale maledicere fuerit peccatum, quia transgressio mandati Dei, et crimen læsæ Maiestatis; vnde Exo.^i^ 22. dicitur: principi Populi tui non maledices: ergo Deus præcipiendo fuit causa peccati.

In contrarium est quod dicitur Sapientiæ 11: nihil odisti eorum, quæ fecisti. Odit autem Deus peccatum iuxta illud Sapientiæ 14: Odio est Deo impius, et impietas eius: ergo Deus non est causa peccati.

Pro responsione ad dubium 1º. notandum, quod homo dupliciter est causa peccati sui, vel alterius; vno modo directe inclinando, scilicet voluntatem suam, vel alterius ad peccandum; alio modo indirecte, dum scilicet non retrahit aliquos à peccato; vnde Eze.^lis^ 3. speculatori dicitur: si nō dixeris impio morte morieris, sanguinem eius de manu tua requiram. Deus autem non potest esse directe causa peccati sui, vel

alterius, quia omne peccatum est per recessũ ab ordine, qui est in Deũ, sicut in finem; Deus autem omnia inclinat, et convertit in se ipsum, sicut in ultimum finẽ, sicut Dionisius dicit 2. ca.° de div. nom; unde impossibile est, quod sit sibi, vel aliis causa discedendi ab ordine, qui est in ipsum, unde non potest directe esse causa peccati; similiter etiam nec indirecte, contingit enim, quod Deus aliquibus non prębet auxiliũ ad evitandum peccata, quod si pręberet, non peccarent; sed hoc totum facit secundum ordinẽ suę sapientię, et Iustitię, cum ipse sit sapientia, et Iustitia; unde non imputatur ei, sicut causę peccati quod alius peccet; sicut Gubernator non dicitur causa submersionis navis, ex eo quod non gubernat navẽ, nisi quando subtrahit gubernationẽ potens, et debens gubernare. et sic patet, quod Deus nullomodo est causa peccati.

2.° notandum, quod actus peccati, et est ens, et est actus, et ex utroque habet, quod sit

ā Deo, omne enim ens quocumque modo sit oportet, quod derivetur ā primo ente, ut patet per Dionisium 5. cap.° divin. nomin. omnis autē actio causatur ab aliquo existēte in actu; quia nihil agit, nisi secundum quod est actu 11 Metaphisicę. Omne autem ens actu reducitur in primum actum, scilicet Deum sicut in causam, qui est per suam essentiam actus. Unde relinquitur, quod Deus sit causa omnis actionis in quantum est actio; sed peccatum nominat ens, et actionem cum quodam deffectu; deffectus autē ille est ex causa creata, scilicet libero arbitrio, in quantum deficit ab ordine primi agentis, scilicet Dei. Unde deffectus iste non reducitur in Deum, sicut in causam, sed in liberum arbitrium, sicut deffectus claudicationis reducitur in tibiam curvā, sicut in causam, non autē in virtutē motivam, ā qua tamen causatur quicquid est motionis in claudicatione; et secundum hoc Deus est causa actus peccati; non tamē est causa peccati,

quia non est causa, quod actus sit cum defectu.

Et per hęc patet responsio ad argumenta in contrarium. Ad 1um. dicendum, quod quantum ad verba Apostoli ex ipso textu patet solutio; si enim Deus tradidit aliquos in reprobū sensum; iam ergo reprobum sensum habent ad faciendū ea, quę non conveniūt; dicitur ergo tradere eos in reprobum sensū, in quātū non prohibet eos quin suum reprobum sensū sequantur; sicut dicimur exponere illos, quos non tuemur, quod autē Augustinus dicit in libro de gratia, et libero arbitrio; vnde sumpta est Glosa illa, quod Deus inclinat voluntates hominum in bonū, et malum; sic intelligendum est, quod in bonum quidem directe inclinat voluntatem, in malum autem in quantum non prohibet, vt dictum est; et hoc tamen contingit ex merito pręcedentis peccati, et ex eo quod nemini vult tollere liberum arbitrium, quod ei dedit.

Ad 2um. dicendum, quod quum dicitur creaturæ Dei factæ sunt in odium, et in tentationem animæ hominum, hæc præpositio in non ponitur causaliter, sed consecutive; non enim Deus fecit creaturas ad malum hominum, sed hoc consecutum est propter insipientiam hominum; unde subditur, et in muscipulam pedibus insipientium, qui, scilicet per suam insipientiam, utuntur creaturis ad aliquid, quam ad quod factæ sunt.

Ad 3um. dicendum, quod effectus causæ mediæ procedens ab ea secundum quod subditur ordini causæ primæ, reducitur etiam in causam primam; sed si procedat a causa media secundum quod exit ab ordine causæ primæ, non reducitur in causam primam; sicut si minister faciat aliquid contra mandatum Domini, hoc non reducitur in Dominum, sicut in causam; et similiter peccatum, quod liberum arbitrium committit contra præceptum Dei, non reducitur in Deum, sicut in causam.

Ad 1um. dicendum, quod pœna opponitur bono eius, qui punitur, qui privatur quocumque bono; sed culpa opponitur bono ordinis, qui est in Deum; unde directe opponitur bonitati Divinæ; et propter hoc non est similis ratio de culpa, et de pœna.

Ad 5um dicendum, quod excæcatio &ca. duo important; quorum unum est motus animi humani inhærentis malo, et aversi à Divino lumine; et quantum ad hoc Deus non est causa excæcationis, et aggravationis, et obdurationis, sicut non est causa peccati. Aliud autē est subtractio gratiæ, ex qua sequitur, quod mens divinitus non illuminatur ad recte videndum, et cor hominis non emollitur ad recte vivendum; et quantum ad hoc Deus est causa excæcationis, et obdurationis. Pro cuius rei intellectu clariore nota, quod Deus est causa illuminationis universalis Animarū, secundum illud Joa. 1o. erat lux vera, quæ illuminat omnē hominē venientem

in hunc mundum, sicut Sol est universalis
causa illuminationis corporum; aliter tamē,
et aliter; nam Sol agit illuminando per necessi-
tatē naturę; Deus autem agit voluntarie per
ordinem suę sapientię; Sol autem licet quantū
est de se omnia corpora illuminet, si quod ta-
men impedimentū inveniat in aliquo corpore,
relinquit illud tenebrosum, sicut patet de do-
mo, cuius fenestrę sunt clausę; sed tamen
illius obscurationis nullo modo causa est
Sol; non enim suo iudicio agit, ut lumen
non immittat interius, sed causa eius
est solum ille, qui claudit fenestram; Deus
autem proprio iudicio lumen gratię non
immittit illis, in quibus obstaculū invenit;
unde causa substractionis gratię est non solum
ille, qui ponit obstaculum gratię, sed etiā
Deus, qui suo iudicio gratiam non apponit;
et per hunc modum Deus est causa ex-
caecationis, et aggravationis aurium, et obdu-
rationis cordis; licet enim homo per motū

liberi arbitrii divinam gratiam nec promereri, nec advocare possit, potest tamē seipsum impedire, ne eā recipiat; unde Job 21. dicitur de quibusdam: dixerunt Deo recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus; et Job 24. dicitur: ipsi fuerūt rebelles lumini. Cum igitur hoc sit in potestate liberi arbitrii, scilicet impedire, vel non impedire divinę gratię receptionē, non immerito excusatur Deus, ne sit causa peccati, quimmo merito imputatur peccatum ei, qui impedimentum pręstat gratię receptioni; Deus enim quantum in se est paratus est omnibus gratiam dare, quippe qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionē veritatis venire 2. Thi. 2; sed illi se gratia privant, ex causa peccati existūt, qui sibi ipsis gratię impedimētū pręstant, sicut sole mundū illuminātē in causā, et culpā imputatur ei, qui oculos claudit, si ex hoc aliquod malū sequatur,

licet videre non possit, nisi lumine solis præveniatur.

Ad 6um dicendum, quod David videns Semei solum, et inermem ita constanter, et intrepide sibi iniuriantē, et manifeste corā bellatoribus fortissimis multis, et audacissimis, et ad vindicandum Regis iniuriam promptissimis perpendit quod hoc non proveniebat ab ipso Semei tantum, sed à Deo specialiter hoc agente, et hoc vocavit præceptum Dei, et licet Semei peccaverit voluntate iniqua maledicendo David, non tamē ob hoc fuit Deus causa peccati in quantum peccatum: Ad peccatum enim, vt dictum est in 2º notabili, concurrunt potentia, qua peccatur, scilicet liberū arbitrium, et motus liberi arbitrii in consensum, et ad impulsū potētiarū executivarū, quod totum est à Deo, qui est auctor naturæ, et operationum eius; est etiam ibi deformitas in actu, quæ est quidam deffectus, ex quo actus habet rationē peccati, et huius non est Deus causa, sed deffectibilitas

liberi arbitrii, vt dictum est. Sic igitur potest dici quod constantia, et audacia, quæ fuit in Semei improperando Dauid, atque essentia illius actionis totum fuit à Deo, vt per hoc peccatum Dauid purgaretur, et patientia eius probaretur; sed deformitas, seu deffectus iniquæ voluntatis suæ non reducitur in Deum, sicut in causam, sed in liberi arbitrii deffectibilitatē, et ideo Deus punit peccatū, quod formaliter consistit in tali deformitate circa quam nullā habet causalitatem, quia vt dicit Fulgentius: Deus non est vltor illius rei, cuius est auctor. Ex quibus etiam constat, quod non peccauit Dauid iniungendo Salomoni, quod post suum obitum occideret Semei, vt habetur 3. Reg. 3. quia non motui Dei, sed iniquitati sui liberi arbitrii vicē retulit, atque Dei Iustitiā executus est. Hęc pro maiore parte habetur à S.to Thoma 1.2. q.79. et 3. contra Gentiles cā 16.

QVÆSTIO.

Super versu: affinitate coniunctus est Pharaoni Regi Egipti; accepit

narique filiã eius, et adduxit in civitatẽ David: poteri quæri, utrũ peccavit Salomon accipiendo in uxorem filiam Pharaonis.

Et videtur quod peccavit. Primo quia inhibitum erat Iudæis Deuteron. 7. contrahere matrimonia cum mulieribus alienigenis; sed filia Pharaonis erat alienigena: ergo non licuit ei eam accipere.

2.º nam 3. Reg. ca.º 11. ubi reprehenditur Salomon de mulieribus alienigenis specialiter exprimitur filia Pharaonis.

3.º nam 1.ª Cor. 6. dicit Apostolus: quæ conventio lucis ad tenebras; sed maxima conventio est inter virũ, et uxorem: ergo ille, qui est in luce Fidei non potest contrahere matrimoniũ cum illa, quæ est in tenebris infidelitatis, et sic non licuit Salomoni cum filia Pharaonis idolatra contrahere.

4.º Malachiæ 2. dicitur: contaminavit Iuda sanctificationẽ Domini, quoniam

dilexit, et habuit filiam Dei alieni; sed hoc non esset, si inter eos posset verum matrimonium contrahi: ergo disparitas cultus matrimonium impedit, et per consequens facit illicitũ.

2.º nemini licet se exponere periculo peccandi, et praesentandi aliis exemplũ peccãdi, maxime si sit Princeps, et in principio sui Principatus, quando eius gesta magis in exemplũ trahuntur, praesertim, quia ut dicit Lactantius, vitia Principũ imitari genus obsequii iudicatur; sed accipiens Salomon Idolatriam in uxorẽ exposuit se periculo idolatrandi, sicut rei monstravit eventus in aliis alienigenis, quas in uxores accepit. Item suo exẽplo aliis aditum simile faciendi dedit: ergo peccavit, quia rẽ illicitam fecit.

In contrarium est, quod Ioseph contraxit cũ egiptia, et Moises cum filia Ietro, et Salmon cum Raab, et Boos cum Ruth, et David cum Maacha filia Tholomai Regis Gessur, ex qua genuit Absalon, et Hester

cum Assuero &ca. in quibus fuit disparitas cultus; nec in sacra scriptura eiusmodi matrimonia fuere reprobata: ergo non fuerunt illicita, et per consequens matrimoniū Salomonis cū filia Pharaonis non fuit illicitum.

Confirmatur per signa, quia si fuisset illicitum, displicuisset Domino, cuius contrariū apparet; quia eo tempore apparuit Dominus Salomoni, et dixit ei: postula, quod vis. Item dedicato templo orationē Salomonis exaudivit, et in signū acceptationis, et gratię nebula implevit, denotans specialē pręsentiam suam super ipsum, vt habetur 2. Paralipom. 5. quę profecto Dominus non fecisset, si Salomon eum offendisset.

Pro responsione ad quęstionē notādū 1.o quod principalius bonū matrimonii est proles ad Dei cultum educanda; cum autē educatio fiat communiter per patrē, et matrem, vterque secundum Fidem intendit ad cultum Dei prolem educare; vnde si sint diversę

Fidei inventio unius inventioni alterius adversabitur, et ita inter eos non potest esse conveniens matrimonium, et propter hoc disparitas cultus præcedens matrimoniũ, impedit ipsum, ne contrahi possit, et dirimit contractum in ea, ut 28. q. 1. cã. cave; et ideo tale matrimoniũ est illicitum, et nullum.

2.º notandum, quod in lege veteri de aliquibus infidelibus erat permissum, quod possent cum Iudæis inire connubia, et de aliquibus erat prohibitum; specialiter quidem erat prohibitum de infidelibus habitãtibus in terra Chanaam; tum quia Dominus præceperat eos occidi propter eorum obstinationẽ; tum quia maius periculũ imminebat, ne coniuges, aut filios ad Idolatriam perverterent, Quoniam filii Israel ad ritus, et ad mores eorum promiores erãt propter continuã conversationem cum eis; sed cum aliis gentibus permisit eis coniugia, præsertim quando non timebatur, quod ex eis

pertraherentur ad Idolatriã; et sic Ioseph, et Moises, et Ester, et nonnulli similes infidelibus iuncti sunt. In nova autem lege per totum orbem longe lateque diffusa, una, ac similis ratio est prohibendi cum omnibus infidelibus contrahere, ideo Iura ponunt disparitatem cultus, et impedire, et dirimere matrimonium.

Ex dictis constat textum notabile, et est quod quantum ex circunstantiis scripturę, et rationibus prędictis apparet, Salomon accipiendo filiam Pharaonis, non peccavit; nã postquam historia narrat confirmationem Regni Salomonis, et quomodo Regi Pharaoni fuit affinitate coniunctus per filię matrimonium addit: dilexit autẽ Salomon Dominum, ambulans in pręceptis David patris sui, excepto quod in excelsis immolabat, quod pro eo tempore haud dubie erat licitum, licet minus bonum; unde si Salomon accipiendo filiam Pharaonis peccasset, sicut hoc excepit,

illud etiam excepiret; Sic enim Deus, vt tes-
tur 3. Reg. 3. insinuare videtur Regnum
Salomonis confirmavit, et Salomoni pacē
per circuitum dedit, vt melius Templi edificio
indulgere posset. Denique credendum est, licet
in textu non sit expressum, quia non omnia
narrantur, quod antequam eam cognosceret,
ipsam gentilitate reliquerit, quia tunc
Salomon, et Dominum diligebat, et diligebatur
ab eo, et sic erat cautum Deuteron. 21. quod
Hebreus posset accipere gentilē quibusdam
signis gentilitatis relictę praecedentibus.

Et per hęc patet responsio ad argum^ta.
quę in contrarium obiiciebantur. Ad 1um. igitur
dicunt aliqui, quod vxores alienigenę de ge-
nere Cananeorum tantū erant interdictę He-
breis, non autē vxores aliarum nationum;
sed hoc patet falsum 1°. Esdre 9. vbi dicitur, quod
filii Israel reversi de captivitate accepere
vxores de genere Amonitarum, et Moabi-
tarum, et Egiptiarum, quę non erāt de Cananeis;

et tamen Esdras, qui legē Dei quam opti-
me caluit, determinavit hoc esse illicitum,
propter quod fuit tunc prouisum, quod illas
abiicerent; Vnde dicendum, quod mulieres cana-
neę fuerunt magis interdictę, quam alię ob ra-
tiones iam dictas, et ideo non erat licitum con-
trahere cum illis, nisi relicta gentilitate,
et in aliquo speciali casu Fidem pręcipue vnius
veri Dei pętendenti, sicut Salmon contraxit
cum Raab, quę erat de illis; Quia ex Fide sal-
uavit nuncios Hębreorum, vt Apostolus dicit Heb. 11.
Cum aliis autē alienigenis licitum erat contra-
here ex minore causa, relicta gentilitate, vt
dictum est; illas autē, quas Esdras iussit eiici,
fuerant acceptę ā filiis Israel ex mala causa,
scilicet quia vxores Hębreę, quę cum eis ve-
nerāt de captivitate ex labore itineris erāt
deformiores, et squallidę, et earpropter ā maritis
suis erāt abiectę, et spretę, ac quasi repudiatę;
pręterea illę alienigenę docebāt filios suos aliqua
ad gentilium ritum pertinētia.

Ad 2um. dicendum quod 3. Reg. 11. cap. duo dicuntur de Salomone. Unum, quod copulatus est alienigenis ardentissimo amore. Aliud, quod ut eis morem gereret, coluit earum Deos, ad quod quam edifficavit eis templa; quantum autem ad primum nominatur ibi filia Pharaonis, quæ fuit omnibus prædilecta, ut Hebræi Doctores et nostri Catholici dicunt; non autem quantum ad secundum, quia ab initio reliquerat Idolatriæ cultum. Aliæ vero quibus templa edifficavit non reliquerant, et illis Idolatris coniunctus est Salomon ardentissime in senectute, ut textus dicit. Si autem dicatur, quod eodem modo fecit templum filiæ Pharaonis eo quod ibi subditur; atque in hunc modum fecit Salomon universis uxoribus suis alienigenis, potest responderi per illud, quod immediate subditur, quæ adolebant thura &c.; per quod determinatur pro quibus mulieribus alienigenis id fecerit, scilicet pro illis, quæ non reliquerant Idolatriam; cuius modi non fuit filia Pharaonis.

Et si replicetur quod tunc filia Pharaonis redüt ad Idolatriā, cernens Salomonem idolatrare cum aliis uxoribus, hoc n̄hil certi habet, tamen etiam si concederetur, non cogeret nos ad fatendum matrimonium Salomonis cum ea ab initio fuisse illicitum.

Ad 3um. dicendū quod quando filia Pharaonis Salomoni nupsit, iam reliquerat gentilitatē, ut ex superioribus liquet; et sic non lux tenebris, sed lux luci convenit, et coniuncta est.

Et per hoc etiam patet responsio ad 4um.

Ad 5um. dicendum, quod Salomon accipiens filiam Pharaonis, gentilitate abiecta, et veri Dei cultui initiatam ex dispensatione Divina tacita, vel expressa ob sępe dictas rationes, nec se idolatrandi periculo exposuit, aut ceteris malum exemplum prębendi; sicut opus ipsū per longa tempora, quibus in gratia Dei permāsit, manifeste mōstravit, nec finis turpis vitę beneactę vitę laudem ademit.

QVÆSTIO.

Super versu: hoc autē solum est de quo deprecaris Dominum pro servo tuo, quando ingredietur Dominus meus templū Remmō, ut adoret, et illo innitente super manum meam, si adoravero in templo Remmō adorante eo in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus servo tuo pro hac re, qui dixit ei: vade in pace 4. Reg. 5. potest quæri, utrum illa simulatio, qua Naamā intrans templum Remmō, adoransque simul cum Domino suo, ut obsequiū Domino super cuius manu innitēti præstaret, fuerit peccatum.

Et videtur, quod fuit peccatū. Primo quia agere contra virtutem est peccatum; sed Naamā simulans se adorare idolū egit contra virtutē veritatis, de qua Aristoteles 2. et 4. Ethic. maxime quia egit contra veritatem vitæ,

de qua Isaiæ 38. dixit Ezechias: memento quæso quo modo ambulaverim coram te in veritate, et corde perfecto: ergo Naamã in tali simulatione peccavit.

2º omnis simulatio est peccatum: ergo ista Naamã fuit peccatum. consequentia est nota. Probatur antecedens per Glosam super verbo Isaiæ 16. in tribus annis &ª. ubi dicit Glosa: in comparatione duorum malorum levius est aperte peccare, quã sanctitatẽ simulare; sed aperte peccare semper est peccatum: ergo simulatio semper est peccatum, et sic omnis simulatio est peccatum.

3º veritas, quæ est virtus non solum consistit in verbis; sed etiã in factis, quia secundum Phum. 4. Ethic. secundum hanc virtutem aliquis verum dicit, et in sermone, et in vita; sed opere per simulationem ea, quæ sũt præceptis Dei prohibita est dicere factis falsũ in vita: ergo est peccatum, et sic Naamã per talẽ simulationẽ peccavit.

1º contraria mutuo se expellunt ab eodẽ subiecto; sed Fides, et opera contraria Fidei sunt invicem contraria: ergo non se compatiuntur in eodem subiecto, et sic cum Fide vera, quã prætulit Naamã non potuit se compati vera, aut ficta adoratio Idoli, et sic fuit cum peccato.

In contrarium videtur, quod Dominus, ut dicitur Luc. ultimo, finxit se longius ire. Et Ambrosius dicit in libro de Patriarchis de Abraã, quod captiose loquebatur cum servis, quando dixit: ego, et puer illuc usque properantes post-quam adoraverimus, revertemur ad vos; fingere autẽ, et captiose loqui ad simulationẽ pertinet; sed non est dicendum, quod in Christo, aut in Abraam fuerit peccatum: ergo non omnis simulatio est peccatum; et sic potuit licere simulatio Naamã sine peccato.

Confirmatur exemplo David, qui immutavit faciem suam coram Achis Rege Geth, ut habetur 1. Reg. 21; et super simulatione Iehu, qua simulavit se velle colere Baal,

vt omnes eius sacerdotes destrueret, vt habetur 4. Reg. 10, dicit Meromimus vtilẽ simulationem, et in tempore assumendã Iehu Regis Israel nos doceat exemplũ, qui interfecit Sacerdotes Baal, fingens Idola colere velle; vnde apparet, quod fingere, aut simulare non semper est peccatum. Accedit huic sententię, quod Naaman petenti veniã pro tali simulatione indulsit Eliseus dicens: vade in pace.

Nota pro responsione, quod ex indulgẽtia adorandi simul cũ Domino suo in templo Remmon, quã Naamã petiit, et ex concessione Prophetę dicentis: vade in pace, oriuntur nonnullę quęstiunculę, quarum solutionẽ succinctę perstringemus. Et prima est, quę paulo ante ad vtramque partẽ examinata est, scilicet vtrũ illa simulatio Naamã adorantis idolũ cum Domino suo erat peccatum; pro cuius solutione dic, quod proculdubio ad virtutẽ veritatis pertinet, vt quis talẽ se exibeat exterius per exteriora signa qualis est; signa autẽ exteriora non solũ sunt

verba; sed etiam facta; sicut ergo veritati oppo-
nitur, quod aliquis per verba exteriora aliud sig-
nificet, quam habet apud se quod ad mendaciū
pertinet, ita etiā opponitur veritati, quod ali-
quis per aliqua signa factorum, vel rerū aliquid
significet contrarium eius, quod in eo est, quod
proprie simulatio dicitur. Vnde proprie simu-
latio est mēdacium quoddam in exteriorum sig-
nis factorum consistens; Nil autem refert
vtrū quis mentiatur verbo, vel quocumque
alio facto; vnde quum omne mendaciū sit pecca-
tum, consequens est etiā, quod omnis simula-
tio sit peccatum. Sed applicando ad propositum
potest dici, quod illa adoratio Naaman non erat
mendacium, aut simulatio, sed quoddam obsequi-
um debitum, quod Regi Domino suo, sicut extra
templū, ita in templo præsentabat; nam habebat
Naaman officium sustentādi Regem, qui eo
tempore, sicut modo Reginę per principaliores,
et acceptiores sibi sustētabātur, quod de natura
sua non erat illicitum, imo ęqualiter poterat

fieri extra Templū Idoli, et intra ipsū; sicut ho-
die puella christiana captiva posset intrare
cum Domina sua, quem Mahumeti portaris
caudam vestis Dominę Agarenę, et humiliari
quando Domina humiliat se dū tamē hoc non
faciat ob reverentiā, aut cultū Mahumeti,
sed solum intendens officium suum exequi, et hoc
petebat Naamā ab Heliseo, scilicet quod idem
officium, quod licite faciebat Domino suo extra
Phanū Idoli, posset facere intra Phanū, non
ad aliquam Idoli reverentiā, sed ne Dominū
offenderet, vel vt officiū suum, et obsequium
exequeretur; Quia enim talem actum in tali
loco facere habebat aliquā speciem mali, ti-
mens, sicut timoratę conscientię timere so-
lent verū Deū, quē paulo ante noverat offen-
dere, et ab omni specie mala, sicut Apostolus
1. Thesalo. 5. iubet devidenans continere, petiit
ab Heliseo, vt pro eo Dominū deprecaretur;
vnde propositi eius non erat adorare Idolum,
aut Deos colere, et ideo dixit: non enim faciet

vltra sexvertuas holocaustũ, aut victimã

Diis alienis, nisi Domino; vnde id non esse illi-

citum declaravit ei Heliseus dicens: vade

in pace. Ex quibus constat in tali opere nõ

concurrisse mendacium, aut simulationem,

aut aliquam culpam.

2.º nota, quod fuerunt aliqui heretici,

qui vsque adeo insanierũt, vt putarent suffice-

re eis ad salutẽ, si Fidem, quã ipsi veram

putabant, corde retinerent, et aliam, quam

falsam reputabant ore, atque operibus publice

profiterentur, qui exemplo prędicto Naamã

Sivi impietatem suam excusabant dicentes

quod ei Deum verum in corde credenti, et extra

coram alius Idolum adoranti in Phano Remõ,

et coram Rege, et vulgo Idolatris cultũ prę se

ferenti dixit Heliseus: vade in pace, quasi

declarans, quod illud liceret. Quorum obstina

ta, ac perfida cecitas ex his patet. Primo, quia

vt ex dictis in precedenti notabili constat, et

etiam ex sequentibus patebit Naamã non fecit

rem illicitam, sed obsequium debitum Domino suo præstitit, ipsi vero prædictũ errorem impie asserentes contra conscientiam etiã erroneam facientes hauddubie ædificant ad Æternã. Item nemo potest habere veram Fidem in corde, et opera contrariæ Fidei exercere sine gravi noxa, quoniã talis esset duplex animo, et per consequens, vt Divus Jacobus dicit inconstans in omnibus viis suis; esset quoque enumero eorum, qui dicunt, se nosse Christum, factis autẽ negant quorum secundum Apostolum est manifesta damnatio. Tertio, talis Fides etiam si esset vera esset ociosa, et mortua; nam non solum esset sine operibus, vt dicitur Jacobi 2. sed contrariis operibus, quod est mortuũ inauditũ, et magis culpabile. Quarto, quia vt dicitur Rõ. 10. corde creditur ad Justitiam, ore autẽ confessio fit ad salutẽ; sed sub confessione oris intelliguntur omnia opera exteriora: ergo non sufficit ad salutem corde tenere, sed etiam est necessa-

xium extra confiteri, et secundum talẽ Fidem Operari, et maxime opera tali Fidei contraria excludere, et abominari. Ad maiorem autem intellectum eius, quod dictum est, scilicet ore autẽ Confessio fit ad salutem, et etiam pro execusatione Abrahã conversi.

3.o notandum, quod ea, quę sunt necessaria ad salutẽ, cadunt sub preceptis Divinę legis. Confessio autem Fidei, quum sit quoddam affirmativum non potest cadere, nisi sub precepto affirmativo, Unde eodem modo est de necessariis ad salutem quo modo potest cadere sub precepto affirmativo Divinę legis. Precepta autem affirmativa non obligãt ad semper, et si sẽper obligent, obligant autẽ pro loco, et tempore, et secundum alias debitas circumstantias secundum quas oportet actũ humanũ limitari ad hoc quod sit actus virtutis; sic ergo confiteri Fidem non semper neque in quolibet loco est de necessitate salutis, sed aliquo loco, et tempore, quando

scilicet per dimissionem huius confessionis subtraheretur honor Deo debitus, et etiam utilitas proximis impendenda, puta, si aliquis interrogatus de Fide taceret, et ex hoc crederetur, vel quod non haberet Fidem, vel quod eius Fides non esset vera; vel alii per eius taciturnitatem averterentur à Fide; In huiusmodi enim casibus confessio Fidei est de necessitate salutis. Ex quibus patet, quod sufficeret Naamā Fidem in corde tenere, et sacrificia vero Deo offerre, et minime unquā idolatrare, et tempore, et loco eiusmodi Fidem confiteri paratum habere animum.

Sed forte quis dicat, quod prędicta non sufficiebāt homini ad Hębraismum converso, cuiusmodi Naamā erat, sed necessaria erat ei circumcisio, et post hanc cunctę legis observatio. Dicendum est quod Naamā fuit procul dubio aversus à Fide, et cultu Deorum, et conversus ad Fidem, cultuque unius Dei veri, quem Hębrei colebant iuxta illud Psalmi: notus

in Iudea Deus, sed ad circumcisionem, aut

ad alias cerimonias, observantiasque legales

ipse, aut quisquam ex genere Periclium mi-

nime tenebatur, nisi ipse uti ad statum per-

fectionẽ vellet ad eius legis observantias se

transferre, et obligare. Unde Sanctus Thomas

1.2. q. 98. a. 5.° sic dicit: lex vetus manifestabat

præcepta legis naturæ, et superaddebat quædam

propria præcepta, quantum igitur ad illa, quæ

vetus lex continebat de lege naturæ, omnes

tenebantur ad observationẽ veteris legis, non

quia erãt de veteri lege, sed quia erant de

lege naturæ. sed quantum ad illa, quæ lex vetus

superaddebat non tenebantur alii ad observã-

tiã veteris legis, nisi solus Hebræorum

Populus. Cuius ratio est, quia lex vetus data

est Populo Hebræorum, ut quandã prærogati-

vam sanctitatis haberet propter reverentiã

Christi, qui ex eo naciturus erat; quæcumque

autem statuuntur ad specialem aliquorum

sanctificationẽ non obligant, nisi illos; sicut

ad quædam obligantur clerici, qui Divino mini-
sterio sunt mancipati, ad quæ laici non obligantur;
similiter et Religiosi ad quædam perfectionis
opera obligantur ex sua professione, ad quæ
sæculares clerici non obligantur, et similiter
ad quædam specialia obligabantur Populus ille, ad
quæ alii Populi non obligabantur. Unde dicitur
Deuteron. 18: perfectus eris, et absque macula
coram Domino Deo tuo; et propter hoc etiam
quadam professione utebantur, ut patet Deute-
ronomii 26: profiteor hodie coram Domino Deo
tuo &c.ª

4.º notandum, quod ex dictis præcedentibus
nonnulli heretici moderni sumpserunt occa-
sionẽ asserendi, quod non est neccessaria una
Fide ad salutem, sed quod per multiplicem Fidẽ
homo potest salvari, si recte vivat, puta, bene vi-
vens Christianus, bene vivens Hebræus, bene vi-
vens Agarenus, quod affirmant exemplo Na-
amã, qui recte vivendo, et in verum Deum cre-
dendo sortitus est spem salutis, ut patet ex dictis;

Quem etiam errorem secuta est Talmudicorũ ceca proteruia, nec non spurcus Mahumetus in 1.º Cap.º Alcorani, dicit sic: sciendum autem genera liter, quoniam omnis recte viuens Iudęi, siue Christiani, seu lege sua relicta in aliam tēdens, omnis scilicet Deum adorans, bonique gerens indubitanter diuinum amorẽ consequetur. et in Cã.º de Balchara .1. de vaca dicit: Iudęi, et Christiani, et Sabęi saluabuntur; Quamquã immemor sui posuit in Alcorano aliã conclusionẽ contra riam, scilicet quod nullus saluatur, nisi in secta Agarenorũ; mirrirũ enim est sibi contrarius, quia vt ait Lactantius: hęc est natura mendaciorum, vt sibi coherere non possint, quorum vero traditio vera est, et vndique ac Primum sibi tota conuenit, et ideo persuadet, quia constanti ratione suffulta est. Quem hereticũ, atque impium errorem luce clarius confutabimus ostendendo primo vnam solam esse Fidem veram, in qua sola est salus, et esse impossibile salutẽ posse esse in pluribus.

Pro qua conclusione deducenda praemittam aliqua vera praesuposita. Primum est quod Fides pro habitu accepta potest considerari dupliciter; uno modo ex parte obiecti, et sic est una Fides, quia obiectum formale Fidei est veritas prima, cui etiam inhaerendo credimus quaecumque sub Fide continentur; Alio modo ex parte subiecti, et sic Fides diversificatur secundum quod est diversorum. Secundum praesupositum est, quod nemo potest salvari, nisi iustus, patet quia Beatitudo iuxta Aristotelem 1.º ethic. est praemium virtutis. Iustitia autẽ secundum eundem in 5.º ethic. est omnis virtus. Inde sapientiae 5.º dicitur: Iusti autẽ in perpetuum vivent, et apud Dominũ est merces eorum. Tertium praesupositum, quod nullus in hac vita potest esse Iustus, nisi habeat veram Fidem de Deo, quod patet per illud Abac. 2: Iustus autem meus ex Fide vivit, quod si se subtraxerit ab ea, non placebit Animae meae; et idem commemorat Apostolus Ro. 2. ubi dicit:

Augustinus, quod ubi sana Fides non est, nõ potest esse Iustitia. Unde quum per Fidem Iustus vivat, et sine Fide non possit esse quis Iustus, impossibile est, aliquẽ salvari sine Fide; ideo Apostolus Heb. 11. dicit: sine Fide impossibile est placere Deo. Quartum, quod omnium salvandorum necesse est esse unam Fidẽ de Deo; sicut enim conditor, et gubernator est Deus unus, ita oportet unam esse Fidem, quam idem omnes de eo credunt, non diversum, non aliud, non contrariũ, qua tresus ratione Apostolus ad Eph. 4. dicit: unus Deus una Fides, Glosa idest, unum, et idem est quod creditur ab omnibus fidelibus, iccirco Apostolus 1a. Cor. 1. dicit: id ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis scismata.

Ex quibus patent sequentes rationes. Prima est talis, Iustus ex Fide vivit; sed impossibile est eum vivere per fidem falsã: ergo vivit per veram; sed vero falsũ est contrarium: ergo quicumque Fides contrariatur uni verae,

quã ostendemus esse Fidem Christi, falsã est, ac proinde neminẽ potest salvum facere. Confirmatur ã simili, quia sicut bonum non fit nisi vno modo, malum vero omniphariam, vt Dionisius dicit, ita verum in sola vna Fide consistit, falsum vero in ceteris ab ea aliemis. Item sicut fuit vnus conditor, sic vnus Redemptor non multiplex, ac divisus, ita de obiecto vno, et vero necesse est, vnam Fidem esse. Vnde Joannis 10. dicit Dominus: alias oves habeo, quę non sunt ex hoc ovili, oportet me eas adducere, et erit vnum ovile, et vnus pastor. Glosa: vnum ovile in vna Fide. Signum autem vnitatis Fidei est, quod hoc nomen Fides non habet numerũ pluralem. Pręterea sicut si quis totam legem servaverit, et in vno offenderit factus est omniũ reus Jacobi. et in caº. deffleat de regulis Juris sic qui ceteros Fidei articulos credit, si vnum discredideret est infidelis, ac proinde sine spe salutis; sed nulla secta deviat ã vera quin discredat aliquid, quod illa

credit; alias enim non esset alia, sed eadem: ergo nulla alia à vera potest salutē conferre; quandoquidem necesse est integram, et plenam esse Fidem. Vnde Apostolus Heb. 11. dicit: accedamus cum vero corde, et plenitudine Fidei, quę quidem vnitas plenitudo, et integritas in nulla alia secta à fide Christi reperiri potest, nam variç inter se dissonant, et errorū sunt plene ex quibus per paucos commemoro.

Errant enim circa essentiā divinitatis, circa eiusdē cultum, circa Dei Omnipotentiam, circa Dei Providentiam, ac mundi gubernationē, circa divinarū Personarū pluralitatem, circa Incarnationē, et cetera Christi misteria, circa veram Beatitudinē, circa ecclesię sacramenta; sicut compertum est ei, qui varias Infidelium sectas aut legit, aut vidit, aut audivit, maxime enim in secta Mahumetica Alcorani 36 errores capitales adversus Fidē nostram catholicam inveniūtur.

Confirmatur pręterea necessitas vnitatis

Fidei, nam si Fides esset multiplex, et divisa, cito periret iuxta sententiam Domini dicentis Lu. 11. omne Regnum in se ipsum divisum desolabitur. Item Christus non defficit in necessariis ecclesię suę, quam dilexit, et pro qua proprium sanguinem fudit. Vnde de Sinagoga per Isaiā 5. ca.° dicit Dominus: quid vltra facere debui vineę meę; sed nemo dubitat quin vnum sit necessarium Iuxta illud Lu. porro vnum est neccessariū: ergo vnitas Fidei, vt pote neccessaria est ā Deo provisa. Prętera nulli dubium quin Ecclesię regimē sit optime dispositū tanquā ab illo institutum, per quē Reges regnant, et legum conditores iusta descernunt; optimū autē regimē multitudinis est sub vna Fide, sicut sub vno Principe, vt concluditur 12 Methaphisicę: ergo Deus vnam Fidem fecit; perversitas autē hominū multas. Minor patet ex fine Regiminis, qui est pax secundum Augustinum 19. civit. Dei: pacis autē, ac vnitatis, ac foederis subditorum conquętissima

causa est vnitas Fidei, et sic à Deo incæpta, ac proviisa fuit.

Denique Ecclesia militans ab Ecclesia Triumphante derivatur, regitur, et gubernatur, et ideo tanquã effectus causæ suæ similitudinẽ gerit; sed in ecclesia Triumphante vna est omniũ clara visio, quæ Fidei ecclesiæ Militãtis succedit: ergo vna debet esse Fides Ecclesiæ Militantis. ideo Apoc. 21. dicitur: et ego Ioañes vidi sanctam civitatẽ Hierusalem novam descẽdentem de Coelo à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo, et audivi vocẽ magnã dicẽtem: ecce tabernaculũ Dei cum hominibus, et habitabit cũ eis, et ipsi Populus eius erũt, et ipse Deus cũ eis erit eorũ Deus, et Ioelis 1°. dicitur: congregabũtur filii Israel pariter, et ponent sibi caput vnũ, quod explicavit Dominus Ioa. 10. quum dixit: et erit vnũ ovile, et vnus pastor, scilicet sub vna eius Fide. Aliqua de prædictis sunt Sancti Thomæ 4. contra gentiles ca°. 76. ceterũ dictam

vnitatẽ Fidei, et exclusionẽ multiplicitatis cõ-
firmat textus 24. q. 1. cap.º Loquitur Dominus
ad Petrũ: ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super
hanc petram ędifficabo ecclesiã meã, idest, su-
per hanc tuã confessionẽ. De Ecclesia super dic-
ta confessione fundata dicit Apostolus Eph. 2:
Christus dilexit ecclesiã, et semetipsum tradi-
dit pro ea, vt illã sanctificaret mundãs lava-
chro aquę in verbo vitę, vt exiberet ipse sibi
gloriosã non habẽtẽ maculã, aut rugam: ergo est vna.
Hanc vnã Spiritus S.tus ex persona Christi
dessignavit dicens: vna est columba mea
perfecta mea, vna est matri suę, electa ge-
nitricis suę; sicut enim multi sunt radii,
sed vnũ lumẽ, multique rami, arbor, et
truncus vnus, ac rivi multi, et fons vnus,
hortus conclusus fons signatus, et conclu-
dit: adulterari non potest sponsa Christi,
incorrupta est, et pudica, vnam domum
novit, et vnius cubiculi sanctitatẽ in casto
pudore custodit; et in cap.º firmiter credimus

de summa Trinitate, et Fide catholica, una est fidelium universalis ecclesia extra quam nullus omnino salvatur; et ibi cap.° alienus est, prophanus est, hostis est, habere non potest Deũ Patrẽ, qui universalis ecclesię nõ tenet unitatẽ; et ibi in cap.° omnibus de hac domo Fidei dicitur: Domine, dilexi decorem domus tuę, et Beati, qui habitãt in domo tua, Domine, in saecula saeculorũ laudabunt te; etiã ibi in cap.° quia ea sola, dicit Gregorius, de qua hostia Dominus praecepit dicens: in una domo comedetis, nec efferetis de carnibus eius extra fores, quia sanctũ extra non est projiciendũ, et canibus dandũ. Unde et aqua dilvvii archam quidem ad sublimiora sustulit; omnes autẽ, quos extra archam invenit, extinxit; et etiã ibi in cap.° quoniã vetus oriens, dicit Hieronimus, non novi vitalem, Miletũ respuo, ignoro Paulinum, quicũque non tecum colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, Antichristi est;

24.q.1ª

hanc vnâ Fide spōsam, id est, ecclesiam intelligit Apostolus, quando dicit: despondi enim vos vni viro virginē castam exhibere Christo. de quâ in ca.° accusatus 25. dist. dicitur, vnius vxoris vir episcopus significatur ex omnibus gentibus vni viro Christo subditam; sicut enim duobus dominis servire sic ab vno Domino apostatare, atque in alterius superstitionē ire non licet; et in ca.° sit rector 13 dist. adjicitur: hinc in Exo. in sacerdotis veste iussa Divinā vocem tintinabulis malapunica coniūguntur, quid per malapunica, nisi Fidei vnitas designatur; nam sicut in malopunico vno exterius cortice, multa interius grana muniuntur, sic innumeros sanctę ecclesię populos vnitas Fidei contegit. hęc est illa stola, quę Jo stolas acquisivit Lu. 15, hęc Petri navicula, hęc illa Christi tunica inconsutilis super quam crucifixores sortiti sunt, de qua Proverb. dicitur: bibe aquam de cisterna tua, et fluenta putei tui; sit vena tua benedicta.

Cum vero quoniā de Fidei vnitate sæpi,
sæpeque disseruimus, et errorem impium
dicentiū in variis sectis quemvis bene vi-
ventē salvari posse confutavimus, imo vero
in sola vnica Fide sperari posse salutē
astruximus, superest, ut hanc esse solā
Christi Fidem, et nullam aliam aperia-
mus; id autē luce clarius ostēdunt Pro-
phetarum oracula, sanctarum Scriptura-
rum concordia, scribentiū auctoritas, su-
scipientiū diligentia, credendorum honestas,
ac rationabilitas, irrationabilitas, atque
inhonestas singulorū errorū, asperitas
martyriorū, quę testes Christi pro hac
veritate passi sunt, certitudo, ac multitudo
miraculorū, quibus comprobata est Fides,
verus Dei cultus, atque honorificentia, quę
in Christi Religione viget, Ecclę Christi per-
petua permanētia, hostium Christi ma-
nifesta punitio, Dei Providētia, qua necesse
est, vt generi humano vnā salutis provideret

viam. Vnde quum aliq̃ cōvincantur errores, superent, vt hęc sola sit recta evangelii, ac legis differentia, quia evangeliū lex perfecta amoris, et gratię esse comprobatur, et ideo in ęternū permāsura, quod enim perfectū est se ipso constat, imperfectū autē non pręstat, quia ad perfectum tendit semper.

His siquidem 13 viis solidissime veritas purissimę Fidei nostrę convincitur, quas possem singulatim explicare pręterea; tum quia valde longum exigunt tractatū; tum etiam, quia in volumine maiori sermonum meorū ā charta 27. incipiendo eas collegi latissime. Principaliores etiā earum posuit satis apte Ioānes Duns Scotus in prologo primi sententiarum. Teneat igitur firmissima turris fortitudinis ā facie inimici Fides Christi, cui vivendo operam damus, quē solum Christū audiendum Dominus per Moisē Deuteron. 17. pręcepit dicens: Prophetam suscitabo vobis &c.

ipsũ audite. In quo solo plane impleta sũt misteria omnia Redemptionis humanę; in ceteris vero perditio certa, falsitas, absurditas, obcecitas, atque multa impossibilitas, iccirco Dominus audacter dixit: ego sum ostium, qui non intrat per me in ovile fur est; et iterum: ego sum via, veritas, et vita; et alibi invitat ad salutẽ dicens: venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reffician vos; et rursum: qui credit in me, habet vitã ęternã; et Joannes 1.º ca.º dixit: quotquot autẽ receperũt eum, dedit eis potestatẽ filios Dei fieri; et iterum: erat lux vera, quę illuminat omnẽ hominẽ; ideo Actuũ 4. dixit Petrus: non est datum aliud nomẽ super terram, in quo nos oporteat salvos fieri; et 24. q. 2. dicit Augustinus: qui sine Salvatore salutẽ vult habere, et sine sapientia estimat, se prudentem fieri posse, non sanus, sed eger est, in egritudine labo-

rabit arrida, et in cecitate noxia vultus, ac demens permanebit. Idem Augustinus in libro de correctione, et gratia dicit: illa Fides sana est qua credimus nullum hominẽ sive maioris, sive parvę ętatis liberari pare ã contagio mortis, et obligatione peccati, nisi per vnum mediatorem Dei, et hominũ Iesum Christum. Concludamus igitur cum Lactantio 7. li. divinarũ institutionũ contra gentes sic dicente: Pater noster, ac Dominus, qui condidit, firmavitque coelũ, ducem misit nobis, qui Iustitię viam panderet, hunc sequamur omnes, hunc audiamus, quoniã solus, vt ait Lucretius veridicis hominũ purgavit pectora dictis, exposuitque summum bonũ, quo tendimus omnes.

Ad argumenta autẽ, quę in contrarium in primo articulo obiiciebãtur respondetur. Ad primũ, quod ille actus, quo Naamã genua flectebat adorante Rege Domino suo Idolum Remmon, non fuit adoratio

Idoli, nec simulatio contra veritatē, sed observa-

quiū debitum Domino suo praestitū sine iniu-

ria Dei, aut virtutis.

Eodem modo patet responsio ad 2um

et ad 3um et 4um

Quia vero argumenta in contrarium

solutione, et declaratione indigent, ideo ad ea res-

pondēdū est. Ad primum ergo dicendum, quod

sicut Augustinus dicit in li. de quaestionibus

Evangelii non omne, quod fingimus, menda-

cium est, sed tunc est mendacium, quando

id fingimus, quod nihil significat. Cum

autē fictio nostra refertur ad aliquam

significationē, non est mendacium, sed ali-

qua figura veritatis, et subdit exemplum

de figurativis locutionibus, in quibus fin-

gitur quędam res, non autē, ut asseratur ita

esse, sed eam proponimus, ut figurā alterius,

quod asserere volumus; sic ergo Dominus

in evangelio finxit se longius ire, quia cō-

posuit motum suum, quod est voluntas

longius ire ad aliquid figuratiue significã-
dum, scilicet quod ipse ab corũ Fide longe
erat, vt Gregorius dicit; Vel vt dicit Augusti-
nus, quia quum longius recessurus esset
ascendendo in cœlum per hospitalitatẽ quo-
dammodo retinebatur in terra; Vel finxit se
longius ire, vt cogerent eum manere, et
sic primo mererẽtur, secundo se eis ma-
nifestaret in fractione panis, et ã principio
iunctum eis causa nonde industria appare-
ret, et sic suspicionẽ excluderet, et dicta
doctrinaque eius corda eorum fortius pene-
trarent. Abraam etiam figuratiue locutus
est; vnde Ambrosius dicit, quod Abraam pro-
phetauit, quod ignorabat, ipse enim solus di-
ponebat redire immolato filio, sed Domi-
nus per os eius locutus est, quod parabat;
vnde patet quod neuter simulauit.

Ad confirmationẽ per exempla Dauid,
et Iehu. Dicendum, quod dupliciter potest in-
telligi simulatio, scilicet vt accipitur comuniter,

vel large, et vt accipitur proprie; primo modo accipitur pro quacumque fictione, etiam nō culpabili, imo et vtili, aut necessaria, et ideo est opus prudentiç, et omni culpa immunis, et talis fuit mutatio, qua David mutavit faciem suam; quā vis dici possit cum Glosa super titulo Psalmi: benedicam Dominum in omni tempore, quod fuit fictio figuralis; simulationē Iehu accipit Abulensis large, scilicet pro vtili fictione, et talis non est culpabilis; quamvis non coganur excusare Iehu ā peccato, vel mendacio, quippe quilibet comēdatur, et in Regni successione temporaliter remuneratur ā Deo non pro simulatione, sed pro zelo, quo cultum Baal destruxit, tamē pessimus Idolatra fuit, quandoquidem ab Idolatria Ieroboā non discessit. In adoratione autē Naamā nec fictio, nec proprie accepta simulatio, aut mendaciū convenere, sed solum obsequiū Domino suo debitū, sine culpa, aut scandalo, vt dictum est.

Excusatio.

Ratio autem quare a quarto Regum usque ad Iudith exclusive nullũ parvum disputavi, est, Quoniam in libris Paralipomenõ tota materia est de his, quæ tractata iam erant in præcedentibus libris Sacræ scripturæ; et idea quicquid difficultatis occurrerat iam disputatum erat.

De libro vero Esdræ, quoniã mera historia est, nullus difficilis parvus se obtulit. Sed nota, quod duo primi libri, unus, qui inscribitur primus Esdræ, et alius Neemiæ, qui secundus Esdræ ã catholicis reputatur, habẽtur in canone. Qui vero dicitur secundus Esdræ, qui incipit, et fecit Iosias pascha, ut Apochriphus ã Doctoribus habetur; Unde Sanctus Thomas in 1.ª parte q. 10. a. 6. arg.^to 1.° allegat hunc librũ dicens: in Apochryphis Esdræ dicitur: maiestas, et potestas ævorũ apud te est; Quapropter dictus liber etiam inter alios non canonicos, qui in Biblia po-

nuntur, minoris auctoritatis habetur. Nec videtur scriptus ab Esdra, sed ab alio quovis auctore ex pluribus collectus; in eo enim plura desc- ribuntur, quæ in 1.° Esdræ perquam sufficienter conscripta erant; nec apparet verisimile, quod Esdras tot in alio libro sine neccessitate re- petiverit imo etiam cum nulla, aut admodum parva utilitate; nec valet contra hoc argu- mentum de libro Paral. in quo multa scribun- tur, quæ in libris Regum habentur; nec etiam de 2. Machab. in quo multa repetuntur, quæ in primo scripta erant. Alius enim auctor fuit libri Paralipomenon, et alius librorum Regum, et sic fuit de 1.° et 2.° Machab. quia habuerunt diversos auctores.

Item nota, quod in nonnullis bibliis, etiam alius liber tertius Esdræ tribuitur, qui incipit, liber Esdræ Prophetæ secundus; qui se vera ex lectione sua non solum apparet Apochryphus, sed confictus, et fabularum plenus; de quo sane dici poterit illud Psalmi: narra-

verunt mihi iniqui fabulationes, sed non, ut lex tua. Qui liber Ioanni Picco, et suis sequacibus ad superstitionē cabalinā impie declinādi occasionē dedit.

Nota etiam, quod libri, qui in ecclesia leguntur, licet in Canone non recipiantur, sunt isti, Liber Sapientię, Liber Ecclesiasticus, Liber Thobię, Libri Machabeorū, ut Hieronimus in prologo Galeato, qui libris Regū præmittitur, dicit. Idē etiā est de Libro Baruch, ut idem Hieronimus in prologo super eum asserit. Iudith vero liber, ut Hieronimus in prologo super eū refert, à Nicena synodo in Sanctarū scripturarū numero legitur computatus.

Libri vero canonici, ut Hieronimus scribit in prologo Regum sunt quinque libri Moisi, Liber Iosue, Liber Iudicum, Liber Ruth, Quatuor Regū libri, Duo Libri Paralipomenō, Esaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel, Liber duodecim Prophetarū, Iob Liber Psalmorū, Liber Proverbiorum, Liber Ecclesiastes, Liber

Cantici Canticorum, Liber Esdræ, et Liber Neemiæ, Liber Hester; cæteri vero, qui in ecclesia cātātur, ut idē Hieronimus asserit in prologo super Judith, et in prologo super parabolas Salomonis, cantantur ab ecclesia ad informationem morū, tamen eorū auctoritas ad probādum ea, quę in contentionē veniunt, minus idonea reputatur; tum quia nonnullorū non sunt certi auctores; tum quia de nullo eorū auctore, quod Spiritu Sancto fuit locutus, haud dubiè est cōpertū; sicut de auctoribus Librorū canonicorū firmissime tenet ecclesia.

Hęc nonnihil occasionis nactus ad informationē parvulorum mei similiū interponere placuit.

QUÆSTIO.

Super versu: capiatur laqueo oculorum suorum in me, et percuties eum ex labiis charitatis meę. Judith 9. et super versu: et omnibus ornamentis suis

ornavit se Judith 10. et super, verru:
constat enim Deum nostrum sic
peccatis offensum, ut mandaverit per
Prophetas suos ad Populum, quod tradat
eum pro peccatis suis, et caetera mendacia,
cia, quae sequuntur Judith 11.
Possunt quaeri tria.

Primum utrum licuit Judith orare, ut Olo-
phernes caperetur libidinoso laqueo oculorum
suorum in ea.

2um. utrum licuit Judith se ornare de
industria, ut Olophernem deciperet.

3um. utrum licuit Judith mendaciis, qui-
bus procul dubio usa est uti.

De oratione Judith.

Circa primum videtur, quod non licuit
Judith orare Dominum, ut Holophernes caperetur
laqueo oculorum suorum. Primo, quia unicuique
mandavit Deus de proximo suo, ut dicitur
Eccl. 17. sed appellatione proximi veniunt
etiam infideles iuxta Parabolam Domini Luc. 10.

ubi interroganti quis esset proximus, respondit Dominus cum facto Samaritani, qui Iudæum plagis affectum portavit ad stabulum, et curã de eo gessit, proferens stabulario pecuniam, et dicens: curam illius habe, et quodcumque su-pererogaveris, cum rediero, reddam tibi; un-de concludit: vade tu, et fac similiter, scilicet fac misericordiam, non discernens hominẽ tuæ legis ab homine alterius, sed utrumque habeto proximum: ergo Iudith debuit habere curã de Holopherne, et potissimũ non dare ei occasionẽ peccandi.

2.º nam iuxta Apostolũ Rõ. 3. non sunt facienda mala, ut veniant bona; sed qui orat, ut alius incidat in peccatum, malum facit, quia facit contra fructum orationis, qui est sibi, ac proximo bonũ, maxime æternum in præcavi: igitur talis oratio Iudith contra Holophernem non fuit licita.

3.º quia Mathæi 5.º dicitur: orate pro persequentibus, et calumniantibus vos: ergo

non licet orare contra eos; sed orare quod Holophernes caperetur laqueo oculorum suorum erat orare contra eum: ergo non fuit licitum Judith.

In contrarium videtur, quia quæcumque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt, ut dicitur Rom. 15; sed in sacra scriptura inducuntur multæ imprecationes contra inimicos, et a sanctis petitur vindicta contra eos, et pronunciatur letitia sanctorum super tali vindicta, ut patet in Psalmo: erubescant, et conturbentur omnes inimici mei; et Apoc. 6° dicitur: usque quo non vindicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terra; et in Psalmo dicitur: letabitur justus, cum viderit vindictam: ergo non peccavit orando pro malo inimici.

2° operatio hominis, et eius oratio non debent esse contrariæ; sed homines quandoque licite impugnant inimicos opere, et inferunt eis malum, sicut Judith opere occidit Holophernem: ergo licuit Judith orare malum Holophernis,

maxime quia nemo vnquã dubitavit quin
benefecerit eum obtrũcando.

Pro responsione ad dictum dubiũ est primo
notandũ in genere, quod orare pro inimico, vel
contra inimicum est opus charitatis; vnde eodẽ
modo, quo tenemur diligere inimicum, tene-
mur pro eo, vel contra eum orare; tenemur
autẽ diligere in eo naturã, non culpã; vnde et
Augustinus in libro de vera innocentia dicit:
sic diligendi sunt homines, vt non diligãtur
eorum errores; nam aliud est diligere, quod sũt,
aliud quod mali sunt; et etiam tenemur eum
diligere in generali, et non in speciali, nam pri-
mũ. est in præcepto, et secũdũ non nisi secundũ
præparationẽ animi, vt scilicet homo sit paratus
etiã specialiter inimicum diligere, et eum
iuvare in necessitatis articulo, vel si veniã
peteret. sed in speciali absolute inimicum di-
ligere, et eum iuvare perfectionis est; potest tamẽ
esse necessitatis, vt non excludatur ã
communibus orationibus, quando eas orat pro aliis;

quod autẽ pro inimico specialiter oret perfecti-
onis est, non neccessitatis; sed utrum contra
inimicum orare Judith licuerit, quod est descẽdere
ad casum, de quo est quæstio in speciali vide-
tur in dubium verti, pro cuius intellectu

2.º notandum, quod circa hoc sunt tres
modi dicendi; primus est, quod in Judith in hoc
negotio concurrerunt duo; primũ fuit magna
affectio ad liberãdum Populũ de manu Holophernis,
et hoc fuit licitum, et sanctum; secundum,
quod ex hac affectione secutũ est, scilicet
executio huius affectionis, in qua oravit, et
fecit, et dixit aliqua illicita, et sic petivit ardo-
rem libidinis excitari in Holopherne, et plu-
ra mẽdacia dixit Holopherni, et satellitibus
eius; propter primũ autẽ cõmẽdatur in sacra
scriptura, et fuit exaudita eius oratio, et pul-
chritudo eius divinitus augmentata; sicut
Exo.i 1.º cõmẽdantur obstetrices de bona affectione,
quã habuerunt ad servandum pueros hebræ-
orum, non autẽ de mendacio, quod consequẽter

ad hoc se excusando dixerunt.

Alius dicendi modus est, quod non peccavit Iudith in prædicta oratione, nec in sui ornatu, nec in verbis, quæ videntur mēdacia; dicunt enim isti, quod Iudith aliud intēdebat, scilicet se sic facere gratiā Holopherni, ut cum eo posset familiariter esse ad eius mortem perpetrādum, quod haud dubie licitū, et bonū erat, quum esset Dei, ac legis, et Populi adversarius. Aliud autē prævidebat, scilicet amorē illicitum Holophernis exgare; nec tamē propter hoc debebat tanti boni cogitati perpetrationē omittere, sicut nec Deus prætermittit peccatorē punire, licet eū ex hoc prævideat deteriorādū, sicut patet de Pharaone, quem præsciebat ex flagellis indurari; sed hoc non videtur aliquibus benedictum, nam eadem est intentio finis, et eorū, quæ sunt ad finem, quando apprehēduntur, ut ad finem ordinata, sicut mobile eodem motu movetur in medium, et in terminū; Iudith autem intendebat mortem Holophernis, tanquam finē

intẽtum ad quē tendebat pertingere per pri-
vată familiaritatē cū ipso, et hanc familia-
ritatē consequi putabat per ardorem concupis-
centię Holophernis in ipsă; unde oraba capi-
atur laqueo oculorum suorum in me, propter
quod super hoc cadebat intẽtio Judith, quum
esset de mediis ad finem intentum ordina-
tis; unde concupiscentia Holophernis fuit pec-
catum, ut ipsi dicunt, et peccatū mortale, et
quum sit tale de genere oportet concedere
consequenter, quod petitio Judith quantum
ad hoc fuerit mortale peccatum, licet minus
grave, quam peccatū Holophernis propter affec-
tionē de Populi liberatione adiunctam.

Sed quoniam de eius ornatu in ca.°
decimo dicitur, quod eius pulchritudo non
ex libidine, sed ex virtute pendebat, et ideo Do-
minus hanc in illa pulchritudinē ampliavit,
et idem videtur dicendum de oratione; Aliiter-
tium dicendi modum invenerunt, scilicet quod
non fuit intentio Judith allicere Holophernem

ad aliquod peccatum, sed intendebat à Deo apparere gratiosa coram ipso, vt cuperet eam vxorem habere, quod non erat illicitum Holopherni, tamen Iudith nullo pacto vellet sibi coniugio copulari; sed intendebat per hoc talē cū eo familiaritatē habere, quod posset ipsum occidere. Nec talis occisio insidiosa peccatū erat, nam in iusto bello licet insidiis vti, vt patet Iosue 8°. vbi de præcepto Domini Iosue posuit insidias post vrbem Hai; Bellū autē filiorū Israel contra Holophernē erat iustissimum; tum quia intendebat proximus destruere diuinū cultū; tum quia belligerabant iniusti deffensionē, qua de Iure naturali quisque potest, debetque vim vi repellere.

Elige, lector, quem modorū trium dictorum malueris, et vt tibi apertior pateat campus ad argumenta vtriusque partis respondebimus.

Ad Ium. ergo dicendum, quod vnicuique mandauit Deus de proximo suo, scilicet, vt iuste

ei convivat non offēdēdo eū, ut patet fuisse mandatum in septem præceptis negativis secundæ tabulæ, scilicet non faciendo proximo, quod sibi non vult fieri; sed Iudith non oravit, ut Holophernes incideret in culpam, sed prævidit, quod casurus esset in eā, et quod prævidit, licet per modū oprandi prænunciavit, sicut sæpe fit in Sacra Scriptura, ut in Psalmo: convertatur retrorsum; et alibi: obscurētur oculi eorum, ne videant. Vel potest dici, quod oravit, ut caperetur laqueo oculorū suorum in eam ad cōcupiscēdum eā in uxorem, ut eius dilectione, et familiaritate freta, posset cum suo gladio conficere, quod erat opus iustum, et sanctum, et hoc licuit ei orare, et Holopherni licuit ad matrimoniū eā concupiscere, et sic non oravit ei malum.

Et eodem modo patet responsio ad 2um. et ad 3um.

Ad 1um. autē argumentorum in contrarium dicēdum, quod imprecationes, quæ

in Sacra Scriptura ponuntur quadripharia possunt intelligi. Uno modo secundum quod Prophetę solent in figura imprecantis futura prędicere, ut Augustinus dicit in libro de sermone Domini in monte. Secundo prout quędam tẽporalia mala peccatoribus quandoque à Deo in correctionẽ immittuntur. Tertio quia intelliguntur peti, non contra ipsos peccatores, sed contra Regnũ peccati, ut scilicet per correctionẽ hominum peccata destruantur. Quarto conformando voluntatẽ suã Divinę Iustitię. Tribus prędictis modis, scilicet primo, tertio, et quarto potuit habere locum oratio Iudith in Holophernẽ; primo modo, scilicet prędicendo futura per modum imprecantis, et etiam secundo modo, si intelligatur non intendisse imprecari Holopherni malum culpę, sed poenam temporalem, quę pro malis culpę divinitus possunt, et solent infligi peccatoribus in correctionẽ. Vindicta autẽ, quę optatur à Sanctis Martiribus, ut

Augustinus dicit in dicto Libro de sermone Domini in Monte est, vt everteretur Regnum peccati, quo regnante tanta, totque mala perpessi sunt, quod etiam Iudith licite potuit orare contra Regnū Nabuchodonosor tantorū malorū capite, ac contra Holophernē impiissimę expeditionis eius Principem. Vel sicut dicitur in libro de questionibus veteris, et novi testamenti: Sancti postulant se vindicari non voce, sed ratione, sicut sanguis Abel clamavit de terra. Laetantur autē de vindicta non propter eam, sed propter divinam Iustitiā.

Ad 2um. dicendum, quod licitum est impugnare inimicos, vt cōpescantur ā peccatis, quod cedit in bonum eorū, et aliorum, et sic etiam licet orando petere aliqua tēporalia mala inimicis, vt ex eis sequatur eorū correctio, et sic oratio, et operatio non erunt contrariae; et sic per suā orationem Iudith intendit correctionē temporalē, et Populi sui liberationē; malū autē culpę non

orarit, nisi aut prę videndo, aut prędicendo, ut dictũ est; vel orarit, ut eã concupisceret in uxorẽ, quod non erat illicitum. Aliqua prędictorũ sunt sumpta ã S.to Thoma 2.2. q. 83 a. 8.

De ornatu Judith.

Circa 2um. videtur, quod non licuit Judith se curiose, aut superfluo ornare ad Holophernis captionẽ. Primo quia quicquid est contra bonos mores est semper malum, et ita illicitum, ac prohibitum, tam in lege antiqua, quam in nova; sed se ornare mulieres est lege antiqua prohibitum, ut patet Isaię 3. et etiã in lege gratię, ut patet 1. Pe. 3. Quarũ, scilicet mulierũ sit non extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimẽtorum cultus; ubi dicit Glosa Cypriani: serico, et purpura indutę Christũ sincere induere non possũt, auro, et margaritis adornatę, et monilibus ornamẽta mentis, et corporis perdiderunt; sed hoc non fit, nisi per peccatũ mortale, quod non

solum est malũ, quia prohibitũ, sed quia contra bonos mores: ergo in vtraque lege habuit locũ; et sic nõ potuit Iudith se ipsã ornare absque peccato mortali.

2.° arguitur similiter ex auctoritate Cypriani in libro de habitu Virginum, vbi dicit: non virgines tantum, aut viduas, sed et nuptas puto, etiam omnes omnino feminas admonẽdas, quod opus Dei, et facturã eius, ac plasma adulterare nullo modo debeãt adhibito flavo colore, vel nigro pulvere, vel rubore, aut quolibet lineamenta nativa corrũpente medicamine; et postea subdit: manus Deo inferunt, quando illud, quod ille formavit reformare contẽdunt; impugnatio ista est divini operis prævaricatio, et veritatis; Deum videre non poteris, quando oculi tui non sunt, quos Deus fecit, sed quos Diabolus infecit; De inimico tuo compta cũ eo pariter arsura; sed talis comminatio non convenit, nisi comittenti peccatum mortale: ergo in ornatu comittitur

peccatũ mortale, et per consequens, quod nulli licuit, Iudith non licuit.

3º. sicut uti veste virili non licet mulieri, ita etiam non licet ei inordinatã habitu, aut veste uti; sed primũ est peccatũ mortale, ut pote lege prohibitũ Deuteron. 22. ubi dicitur: non induatur mulier veste virili, nec vir veste muliebri: ergo etiam videtur, quod curiosus, aut superfluus ornatus in muliere sit mortale; sed eiusmodi fuit ornatus Iudith: ergo se ornare fuit illicitum, et mortale. Confirmat hæc Isaias 3º. caº. dicens: pro eo quod elevat ç sunt filiæ Sion &cª. auferet Dominus ornamẽtum calciamẽtorũ, et lunulas, et torques, et monilia &cª. ubi videtur omnẽ eiusmodi ornatum reprobare.

In contrariũ est quod textus dicit Iudith 10. quod eius pulchritudo non ex libidine, sed ex virtute pendebat. Confirmatur, quia si non liceret se ornare Artifices, qui talia ornamenta faciunt, peccarent mortaliter,

quod non videtur asserendum.

Pro responsione 1.º notandum, quod ornatus mulierum potest esse aliquando illicitus, et aliquando licitus; illicitus autē quando fit ex intentione, ut mulier viros ad lasciviam provocet, iuxta illud Proverb. 7: ecce mulier occurrit illi ornatu meretricio præparata ad decipiendū Animas; licitus vero erit, quando mulier sē ornat, ut viro suo placeat, ne per eius contēptū in adulterium, aut alia opera contra bonum coniugale labatur; unde dicitur 1.ª Cor. 7: mulier, quæ nupta est, cogitat, quæ sunt Mundi, quomodo placeat viro, et ideo si mulier coniugata ad hoc se ornet, ut viro suo placeat, potest hoc facere absque peccato; illæ autem mulieres, quæ viros non habent, nec volunt habere, nec sunt in statu habendi, non possunt absque peccato appetere placere virorū aspectibus ad concupiscēdū, quia hoc est dare eis incētivum peccandi, et si quidē hac intentione se ornent, ut alios ad

concupiscentiã provocent, mortaliter peccant; si autẽ ex quadam levitate, vel etiã ex quadã vanitate propter iactantiam quandam, non semper est peccatũ mortale, sed quandoque est veniale; et eadem ratio quãtum ad hoc est de vestibus; Vnde Augustinus in epistola ad Possidiũ dicit: nolo vt de ornamentis auri, vel vestis propriam habeas in prohibendo sententiã, nisi in eis qui neque coniugati sunt, neque coniugia cupientes cogitare debent, quomodo placeant Deo; illi autem cogitant, quę sunt mundi, quomodo placeant, vel viri vxoribus, vel mulieres maritis, nisi quod capillos nudare feminas, quas etiam caput velare Apostolus iubet, nec maritatã decet; in quo tamẽ casu possent aliquę ã peccato excusari, quando scilicet hoc non fieret ex aliqua vanitate, sed propter contrariã consuetudinẽ, quamvis talis consuetudo non sit laudabilis.

2.° pro contractione aplicatione ad casũ

norũ de Iudith notandum, quod in ipsis rebus exterioribus, quibus homo utitur, non est aliquod vitiũ, sed ex parte hominis, qui immoderate utitur eis; quæquidẽ immoderatio potest esse dupliciter. Uno quidem modo per comparationẽ ad consuetudinẽ hominũ, cum quibus aliquis vivit; unde dicit Augustinus in 3. conf. quæ contra mores hominũ sunt flagicia pro morum diversitate vitanda sũt, ut pactum inter se civitatis, et gentis consuetudine, vel lege firmatum, nullius civis, aut peregrini libidine violetur; Turpis est enim omnis pars universo suo nõ congruens. Alio modo potest esse immoderantia in usu talium rerũ ex inordinato affectu utentis ex quo quandoque contingit, quod homo nimis libidinose talibus utitur, sive secundũ consuetudinem eorũ cum quibus vivit, sive præter eorũ consuetudinẽ. Unde Augustinus dicit in 2. de Doctrina Christiana in usu rerum abesse oportet libidinem,

quę non solū ipsa eorum inter quos viris

consuetudine nequiter abutitur, sed etiam

sępe fines eius egressa feditatem suam,

quę inter claustra morū solēniū latitabat

flagiciosissima eruptione manifestat.

Contingit autem ista inordinatio

affectus tripliciter, quantū ad vnū extre-

mū, quod est habundantia. Vno modo per hoc

quod aliquis ex superfluo cultu vestiū, quęrit

hominū gloriam, prout scilicet vestes, et

alia huiusmodi pertinēt ad quēdā ornatum.

Vnde Gregorius dicit in quadā omelia: sunt

nō nulli, qui cultū subtilium, preciosarūque

vestiū non putāt esse peccatū, quod videlicet

si culpa non esset, nequaquā sermo Dei

tam vigilanter exprimeret, quod dives, qui

torquebatur apud inferos bysso, et purpura

indutus fuerat; nemo quippe vestimenta

pręcipua, scilicet excedentia propriū statū,

nisi ad inanem gloriā quęrit. Secundo mo-

do, quando homo per superfluū cultum vestiū

querit delicias secundum quod vestis ordinatur ad fomentum corporis. Tertio modo secundum quod apponit nimiam solicitudinem ad exteriorem vestium cultum; etiam si non sit aliqua inordinatio ex parte finis; et secundum hoc Andronicus ponit tres virtutes circa exteriorem cultum, scilicet humilitatem, quæ excludit intentionem gloriæ; unde dicit, quod humilitas est habitus non superabundans in sumptibus, et præparationibus. Secundo ponit sufficientiam per se, quæ excludit intentionem deliciarum; unde dicit, quod per se sufficientia est habitus contentus, quibus oportet et determinativa eorum, quæ ad vivere conveniunt secundum illud Apostoli 1a. Thim. ult. habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti sumus. Tertio ponit simplicitatem, quæ excludit superfluam solicitudinem talium; unde dicit, quod simplicitas est habitus contentus his, quæ contingunt. Quantum vero ad aliud extremum, quod est deffectus, potest

etiã esse duplex inordinatio per affectum. Una quidem ex negligentia hominis, qui non adhibet studiũ, vel laborẽ ad hoc quod exteriori cultu utatur secũdum quod oportet. Unde Phus dicit in 7.° Ethicorũ, quod ad molliciẽ pertinet, quod aliquis trahat vestimẽtum per terrã, ut non sumat laborẽ elevandi ipsum. Alia ex eo quod ipsum defectum exterioris cultus ad gloriã ordinat. Unde dicit Augustinus in libro de sermone Domini in Monte: non in solo rerũ corporearũ nitore, atque põpa, sed etiã in ipsis sordibus luctuosis esse posse iactãtiam, et eo periculosiorẽ, quo sub nomine servitutis Dei decipit. et Phus dicit in 4. ethico: quod superhabũdãtia, et inordinatus deffectus ad iactantiã pertinet.

His sic dictis, descendamus ad ornatũ Judith, et videamus, si fuit aliqua ratio inordinationũ predictarũ in illa; et quia prima inordinatio fuit quando talis cultus est contra consuetudinẽ hominũ, cum quibus vivebat, licet

pro statu viduitatis non licuit, tamē pro tempore, et negotio proculdubio licuit, vt enim dicit Sapiens Eccles. 8: in omni negotio tempus est, et opportunitas, nec etiam ex tali cultu quęsivit gloriam, aut delicias, aut in ea pro tali negotio fuit nimia solicitudo, vt ex processu historię patet, quimmo textus dicit, quod eius ornatus ex virtute pendebat, vnde nulla prędictarũ inordinationum in ea fuit, vnde circa ornatum excusanda est, maxime, si vt dictum est, vt eã in vxorē caperet intēdebat, et vt ex affectione familiaritatē contraheret, qua melius posset sui Populi liberationē peragere.

Et per hęc patet responsio ad argum.ta in contrariũ. Ad 1um. ergo dicendum, quod sicut Glosa 1a. Pet. 3. dicit. Mulieres eorum, qui in tribulatione erãt, contemnebant viros suos, et vt aliis placerent se pulchre ornabant, quod fieri Apostolus prohibet in quo etiam casu loquitur Cyprianus, non

autē prohibet mulieribus coniugatis ornari,
ut placeant viris suis, ne detur eis occasio pec-
candi cum aliis, ut dictum est. Unde Apostolus
1. Thi. 2. dicit: mulieres in habitu ornato cū
verecundia, et sobrietate ornantes se non in
tortis crinibus, aut auro, aut margaritis,
aut veste preciosa, per quod datur intelligi,
quod sobrius, et moderatus ornatus non pro-
hibetur mulieribus, sed superfluus, et immo-
deratus, et impudicus qualis pro tēpore, et ne-
gotio in Judith non fuit.

Ad 2um. dicendum, quod mulierum
fucatio, de qua Cyprianus loquitur est
quędam species fictionis, quę non potest esse
sine peccato. Unde Augustinus dicit in
Epistola ad Possidiū: fucari pigmentis, quo
rubicūdior, vel candidior appareat, adulteri-
na fallacia est, qua non dubito etiā ipsos ma-
ritos se nolle decipi, quibus solū permittendę
sunt feminę ornari secūdum veniā, non
secūdum imperium; non semper tamē talis

fucatio est peccatū mortale, sed solū, quæ fit propter lasciviam, vel in Dei contemptum, in quibus casibus loquitur Cyprianus; in Iudith autē nec fuit lascivia, nec Dei contemptus, sed contrarium, ut patet ex contextu scripturæ.

Ad 3um. dicendum, quod cultus exterior debet competere conditioni personæ secundum communē consuetudinē, et ideo de se vitiosum est, quod mulier veste virili utatur, aut ē converso, præcipue, quia hoc potest esse causa lasciviæ; et fuit in lege specialiter prohibitū, quia Gentiles tali mutatione habitus utebātur ad superstitionē Idolatriæ; Potest tamē quandoque hoc fieri sine peccato propter aliquā necessitatē, vel causa se occultandi ab hostibus, vel propter deffectum alterius vestimenti, vel propter aliquid aliud huiusmodi; habitus autē, et cetera, quibus se se ornavit Iudith non fuere inordinata, sed ordinata pro conditione temporis, et negotii ad quod Dominus eam destinabat.

Ad argumentũ vero in contrariũ non est respondendum, quia facit pro nobis.

Ad confirmationẽ tamẽ eius, quia aliquid dubii prætendit, dicẽdum, quod si qua ars est ad faciendum aliqua opera, quibus homines uti non possunt absque peccato, per consequens artifices talia faciendo peccarent, ut pote dirrecte præbentes aliis occasionẽ peccandi, puta si quis fabricaret Idola, vel aliqua ad cultum Idolatriæ pertinẽtia; Si qua vero ars sit cujus operibus homines possunt bene, et male uti, sicut gladii sagittæ, et alia huiusmodi usus talium artiũ non est peccatũ, et hæ solæ artes sunt dicendæ. Unde Chrisostomus super Math. dicit: eas solũ artes oportet vocare, quæ necessariorum, et corũ, quæ continent vitam nostrã sunt tributivæ, et constructivæ, si tamen operibus alicuius artis, ut pluries aliqui male uterẽtur, quamvis de se non sint illicitæ, sunt tamẽ per officiũ Principis a civitate extirpandæ secundum documenta Platonis. Licia ergo mu-

liceat, ut dictum est, possunt se licite ornare,
vel ut conservent decentiam sui status, vel etiam
aliquid superaddere, ut placeant viris; consequens
est, ut artifices talium ornamentorum non
peccent in usu talis artis, nisi forte quaerendo
aliqua superflua, et curiosa. Unde Chrysos-
tomus super Matth. dicit: quod etiam ab arte
Calceorum, et textorum multa abscidere opor-
tet, et enim ad luxuriam deduxerunt necessi-
tatem ejus corrumpentes artem arti male commiscentes.
Excerpto maiori parte ex S.to Thoma 2.2. q. 169.

De mendaciis Judith.

Circa 3um videtur, quod licuit Judith
uti mendaciis, quibus usa est ad conficiendum
Holophernem, et liberandum Populum suum. Pri-
mo quia tale mendacium non potuit esse illi-
citum, nisi quia erat peccatum; sed videtur
non fuisse peccatum, quia gesta sanctorum
narrantur in sacra scriptura ad nostram
informationem; sed de quibusdam sanctissimis
viris narratur, quod mentiti sunt, ut Gen. 12. et

2o dicitur de Abrahā, quod de uxore sua dixit soror mea est; Jacob etiam mentitus est se esse Esau, nihilominus benedictionē est adeptus, ut patet Gen. 27.

2° minus malum est eligēdum, ut vitetur maius, sicut Medicus scindit mēbrum, ne pereat corpus; sed minus malum fuit, quod Judith mentiretur, et sic Holophernes compesceretur ā destructione Populi: ergo licuit ei mentiri.

3° quia Augustinus dicit super Psalmū 5: Duo sunt genera mēdaciorū, in quibus non est magna culpa; sed tamen non sunt sine culpa, scilicet quum iocamur, aut proximo consulēdo mentimur; sed Judith non solū proximo, sed saluti totius Populi per illa mendacia consuluit: ergo licuit ei mētiri.

In contrariū est quod dicitur Eccl. 7: noli velle mentiri omne mendaciū; et Sapientiæ 1. dicitur: os, quod mētitur, occidit Animam.

Pro responsione ad dubium 1º. notãdũ, quod illud, quod est per se malum ex genere nullo modo potest esse bonum, et licitum, quia ad hoc quod aliquid sit bonum requiritur, quod omnia recte concurrãt; bonum enim est ex integra causa; malum vero est ex singularibus deffectibus, ut dicit Dionisius 4. caº. Div. nom: mẽdacium autẽ est malum ex genere; est enim actus cadens super indebitã materiam; cum enim voces sint naturaliter signa intellectuum, innaturale est, et indebitum, quod aliquis voce significet id, quod non habet in mente. Unde Phũs. 4. ethĩ. dicit: quod mendacium est per se pravum, et fugiendum, verum autem est bonum, et laudabile. Unde omne mendacium est peccatũ, ut etiam Augustinus asserit in libro contra mendacium.

2º. notandum, quod mendacium aliquãdo est peccatum veniale, aliquando mortale; mortale autẽ peccatũ dicitur illud, quod repugnat

charitati, per quam Anima vivit coniuncta
Deo. Potest autem mendacium contrariari
charitati triphariam; uno modo secundum se;
Alio modo secundum finē intētū; et 3.° modo per
accidens. Secundum se quidem contrariatur
charitati ex ipsa falsa significatione, quęquidē
si sit circa res Divinas contrariatur cha-
ritati Dei, cuius veritatē quis tali mendacio
occultat, vel corrumpit, unde tale mendaciū
non solū opponitur virtuti charitatis, sed etiā
virtuti Fidei, et Religionis, et ideo tale menda-
cium est gravissimū, et mortale; Si vero
falsa significatio sit circa aliquid, cuius
cognitio pertineat ad hominis bonū, puta,
quę pertinēt ad perfectionē scientię, et infor-
mationē morum; tale mendacium inquātum
infert proximo damnū falsę opinionis, con-
trariatur charitati, quantum ad dilectionē
proximi, et ex hoc est peccatum mortale; Si
vero sit falsa opinio ex mēdacio generata
circa aliquid, de quo non refert utrū sic,

vel aliter cognoscatur; tunc ex tali mendacio non damnificatur proximus; sicut si quis fallatur in aliquibus particularibus contingentibus, ad se non pertinentibus, unde tale mendacium secundum se non est peccatũ mortale. Ratione vero finis intenti aliquod mẽdacium contrariatur charitati, puta, quod dicitur, aut in iniuriam Dei, quod semper est peccatum mortale. ex sola autẽ intentione peccati mortalis aliquis mortaliter peccat. Si vero finis intentus non sit contrarius charitati, nec mendacium secundum hanc rationẽ erit peccatum mortale, sed erit veniale, sicut apparet in mendacio iocoso, in quo intenditur aliqua levis delectatio, et in mendacio officioso, in quo intẽditur etiã utilitas proximi. Per accidens autem potest contrariari charitati ratione scandali, vel cuiuscũque damni consequentis, et sic erit etiam peccatum mortale, dum scilicet aliquis non veretur propter scandalum

805

publicè mentiri. Quia vero mendaciū Judith non repugnavit charitati, per quam eius Anima Deo coniuncta vivebat, non peccavit mortaliter, non enim fuit contrariū veritati divinę eam occultando, quando non debuit, vel eam corrupit, ut patet ex historia; nec fuit contra bonū scientię, sive bonorū morum; finis autem ab ea intentus fuit Gloria veri Dei, et Populi eius peculiaris liberatio, quam bono alicuius particularis maxime hostis perniciosissimi praeferre debuit; unde quum eius sanctus affectus operi eius nomen imponat, non fuit eius mendacium mortale peccatum. Quod autem in ea fuerit tale mēdacium officiosum, et veniale non inficiamur, quandoquidem in Apostolis, et aliis sanctissimis, ac perfectissimis viris ipsū admittimus. Unde Augustinus 14. Civit. Dei cap. 9. inquit; non enim qualiumcumque virorum, sed maxime piorum, atque sanctorum, vox illa est 1a. Joan. 1o. si dixe-

ximus quoniã peccatũ non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis nõ est. Potest etiam excusari eius mendacium secundũ Sanctum Thomam 2.2. q. 110. a. 3. ad 3um. ubi sic dicit: quidam vero comẽdantur in Scriptura non propter perfectam virtutẽ, sed propter quamdam virtutis indolem, scilicet quia apparebat in eis aliquis laudabilis affectus, ex quo movebantur ad quędam indebita facienda, et hoc modo Judith laudatur, non quia mentita est satellitibus, et Holopherni, sed propter affectum, quem habuit ad salutẽ Populi, pro qua periculis se exposuit. Quamvis etiam dici possit, quod verba eius veritatẽ habẽt secundum aliquem mysticum intellectum. Hęc ille.

3.º notandum, quod nonnulli nixi sũt verificare mẽdacia Judith, et hoc duplici via; prima scilicet per conditionalẽ subintellectã, ut sit sensus, quod Hębrei erant in tali statu positi, quod se traderent Holopherni, nisi cito divinitus veniret auxilium; secunda est,

ut eius verba prophetice intelligantur, scilicet de destructione Iudeorum, que futura erat tempore Titi per Romanos. Sed prima via non videtur convenire, nam in cap. 11. affirmat Iudith Divinum auxilium Hebreis sublatum, et quod missa erat per Dei Providentiam ad denunciandum Holophernem. Nec secunda via potest locum habere, non enim videtur loqui Iudith Prophetice de tempore tam longinquo, imo magis videtur loqui de imminenti periculo. Secundo quia qui hoc asserunt, dicunt dici hoc posse secundum sensum misticum, vel figurativum; sed misticus, aut figurativus sensus presupponit literalem verum, quia quod nihil est, non potest aliquid figurare; preterea Holophernes turpiter mortuus, et eius exercitus confuse ejectus ab Hebreis, non videtur convenienter figurare Titum et eius exercitum triumphantem de Iudeis, quippe figura, et figuratum in quantum huiusmodi debent sibi correspondere. Unde videtur concludendum, sicut in 2° notabili

dictum est, quod verba Iudith, quæ speciem mendacii prætexunt fuere conficta ab ea ad liberationẽ Populi Deum colentis, et ad conficiendum hostem superbum cultum divinum destruere nitentis, quod mẽdacium, ut dictum est, est officiosum, et per consequens non est mortale peccatum, sed dũtaxat veniale, ã quo non oportet excusare Iudith, ut dictum est.

Et per hæc patet responsio ad argum.ta in contrarium. Ad 1um. dicendum, quod in Sacra Scriptura, ut Augustinus dicit, inducuntur aliquorum gesta, quasi exempla perfectæ virtutis, de quibus non est æstimãdũ eos fuisse mentitos, si qua tamẽ in eorũ dictis appareant, quæ mendacia videantur, intelligendum est eas figuraliter, et prophetice dicta esse. Unde Augustinus dicit in libro contra mendacium: credendum est, illos homines, qui propheticis temporibus digni auctoritate fuisse cõmemorãtur,

omnia, quæ scripta sunt de illis prophetice
gessisse, atque dixisse; Abraam tamē, ut
Augustinus dicit in quæstionibus super
Gen. dicens: Sarram esse suam sororem ve-
ritatē voluit celari, et non mendaciū dicere;
soror enim dicitur, quia filia fratris erat, unde
et ipse Abraā dixit Gen. 20: vere soror mea
est filia patris mei, et non matris meæ fi-
lia, quia scilicet ex parte patris ei attine-
bat. Jacob vero mistice dixit, se esse Esau
primogenitum Isaach, scilicet, quia Esau primo-
genita ei debebatur; usus autem est hoc
modo loquendi per spiritum Prophetiæ ad
designandum misteriū, quia videlicet minor
Populus, scilicet Gentiliū substituendus
erat in locum primogeniti, scilicet in locum
Judæorum; Quomodo autem Judith excusetur,
satis discussum est.

Ad 2um. dicendum, quod malum culpæ
modo sit maius, modo minus, nunquam
est eligendum, non enim cadit sub electione;

quia distrahit a fine; in malis vero pœnæ, quæ sunt corporalia, regula habet locum. Judith autem non debuit eligere, nec elegit malum culpæ mortalis, secundum ea, quæ dicta sunt, sed venialis, quæ non extrahit animam ab ordine salutis. Argumentum autem procederet, quando mentiri esset peccatum mortale, et minus quam occisio Holophernis, si regula haberet locum in malis spiritualibus, de quibus dicit Apostolus Ro. 3: non sunt facienda mala, ut veniant bona; et Augustinus dicit: periculosissime admittitur hæc compensatio, ut nos faciamus aliquid mali, ne alius pejus faciat.

Ad 3um dicendum, quod concludit cum his, quæ pro excusatione Judith dicta sunt, scilicet quod peccavit venialiter mendacium officiosum dicendo, et ideo est admittendum.

Ad duas auctoritates in contrarium potest dici, quod loquuntur de mendacio pernicioso, non de officioso, aut iocoso. Hæc pro aliqua parte ex Sto. Thoma 2.2. q. 110.

HESTER.

QVÆSTIO

Super versu: solus Mardochæus nõ
flectebat genu, nec adorabat eũ. Hester
3º. potest quæri, utrum adoratio,
quæ est per genuumflexionem
sit soli Deo exibenda.

Et videtur, quod sit Soli Deo exibenda. Primo
exemplo Mardochæi, qui tali modo noluit
adorare Amã, et assignatur caussa in per-
sona eius. Hester 13. quum dicit: libenter eñ
pro salute Israel, etiam vestigia pedum eius
deosculari paratus essem, sed timui, ne ho-
norẽ Dei mei transferrem ad hominem,
et quemquam adorarem, excepto Deo meo.
Nec de hoc Mardochæus reprobatur, quinimo
à Scriptura Sacra, et Doctoribus comẽdatur.

2º. Apocalypsis 22. dicit Beatus Ioãnes:
quumque audissem, et vidissem cecidi, ut
adorarem ante pedes Angeli, qui mihi os-
tẽdebat hæc, et dixit mihi: vide, ne feceris,
et sequitur: Deum adora. Ex quo videtur,

quod adoratio per genuflexionē sit soli Deo exibēda.

3.° si aliquis hoc, quod debet temporali Domino in recognitionē dominii, alteri exiberet, reus esset infidelitatis apud ipsum: ergo multo magis peccat, qui cultum Deo debitum creaturæ impendit.

In contrarium est, quia latria debetur Deo ratione divinitatis; sed homines parti-cipatione dicuntur Dii: ergo eis debetur adora-tio latriæ, et non soli Deo.

2.° Abraā adoravit Angelos, ut dicitur Gen. 18. et ut Augustinus dicit, adoravit ado-rationem latriæ: ergo non soli Deo convenit talis adoratio.

Confirmatur per illud 1. Reg. 25. ubi dicitur, quod Abigail adoravit David, de qua di-citur ibidē: et procidit coram David super faciem suam, et adoravit super terram, et cecidit ad pedes eius, quod non potuit fieri sine genuumflexione: ergo talis adoratio non exi-betur illicite homini excellenti, quia alias

Sanctus David hoc non sustinuisset sibi fieri; nec Abigail hoc fecisset, quæ sancta erat; et communiter tenent Doctores, quod tunc locuta est cum David spiritu prophetico.

Pro responsione ad quæstionē 1.º notādū, quod adoratio manifeste ordinatur ad reverētiā illius, qui adoratur; reverentia autē deffereda est alicui propter excellentiā suæ virtutis, et ideo ubi est singularis excellentia, ibi est singularis adoratio; talis autem est excellētia divina, quæ est infinita, et ideo debetur sibi singularis adoratio, quæ ā Doctoribus vocatur adoratio latriæ soli Deo debitæ, et exibendæ, quadruplici ratione, scilicet ratione Creationis, Gubernationis, dominationis, et Beatificationis; solus enim Deus sua potentia infinita creat, sua sapientia gubernat, sua excellentia, vel præsidentia imperat, sua clementia, vel misericordia beatificat; sunt autem quatuor actus correspondentes prædictis excellentiis, scilicet Devotio, Oratio, Adoratio,

Sacrificatio; est autem devotio specialis, et principalis actus Religionis Deo soli conveniens; nã actus Religionis est prompte se offerre ad servicium Dei; sed devotio est huiusmodi, ut patet ex eius interpretatione; dicitur enim devotio a devovendo; unde devoti dicuntur, qui se ipsos Deo quodammodo devovent, ut ei se se totaliter subdãt, propter quod olim apud Gentiles devoti dicebantur, qui se ipsos pro salute sui exercitus devoverãt, unde et apud nos devotio vocatur quędam voluntas prompte se tradens, et offerens ad continuo serviendum Deo. Oratio autẽ est actus secũdus Deo debitus, quo specialẽ reverentiam, et honorem Deo exhibemus, in quantũ orãtes nos Deo subiicimus, et eius indigere pręsidio confitemur scientes, eum bonorum nostrorum autorem, et operum pręmiatorẽ. Tertius autem actus est adoratio, de qua infra latius disseretur. Quartus actus est sacrificii oblatio, in quo pręcipue, ut singulari cultu, et laudẽ, et honorem Deo soli offerimus.

2° notandum circa adorationē, quę est tertius actus in sua principalitate soli Deo conveniens, quę quidem licet consistat principaliter in interiori actu mētis Deum reverentis, habet tamen ex consequenti aliquem actum, seu aliquod obsequium exterius, quod est signum actus interioris; sicut actus Fidei primo, et principaliter consistit in interiori actu mētis assentientis primę veritati propter se; secundario vero consistit in actu exteriori confessionis, qui etiam in casu est neccessarius ad salutē Rō. 10: Corde creditur ad Iustitiam; ore autē confessio fit ad salutē. Et in hoc conveniunt tam Doctores Hębrei, quam catholici, scilicet quod sit aliqua reverentia, seu servitus exterior una, vel plures exhibenda, vel exhibendę soli Deo. Sed ulterius resolutius, ac particularius inquirendo, quę reverentia sit illa varie locuti sunt; nam Hębrei dixerūt, quod flexio unius, vel duorum genuum

erat illa, quę soli Deo conveniebat occasionem nacti ex dicto Mardochei paulo ante memorato. Et in hoc pro parte secuti sunt eos aliqui catholici dicentes, quod licet corā personis excellentibus licite possit unum genuflecti, scilicet sinistrū coram secularibus, et dextrum coram ecclesiasticis, tamē coram Deo solo sunt flectenda duo genua.

Sed hęc sententia videtur nimis dura, neque usquequaque cogens, nam non solum Gentiles, sed etiā christiani, quibus ōnia ex lege sunt pura, quum reverētur personas eminentes non solum unū, sed utrūque genu flectunt pro arbitrio. Unde sic Iesuno dictam sententiam asserere, esset condemnare christianos non pro minori parte id agētes; pręterea hoc esset contra scripturā sacram, ut tactum est in argumentis in contrarium de Abigail, et David. Item expressius habetur de Abdia 3. Reg. 1. qui fuit sanctus, et Propheta, qui quum vidisset

Heliam, curvavit genua coram eo, et precatus est eum, quod non fecisset, nec Helias permisisset, si flexio genuum predicta fuisset illicita. Et ideo advertendum est, quod non est illicita ratione predicta, vel predictis rationibus; et maxime, quia Ecclesia sciens talẽ adorandi modum esse ubique in usu non dogmatizat, aut predicat contrarium, quinimo semper tacuit, tanquã sciens non esse illicitum.

3°. pro clariore intellectu dictorum notandum, quod nonnulla de honoribus divinis tracta sunt ad excellentes creaturas, tam in verbis, quam in exterioribus actibus, partim timore, partim adulatione, partim inordinato amore, et desiderio aliũ exaltandi, partim nimia, et immoderata humilitate, non tamen sunt eis exhibita tanquam Deo, sed tanquam creaturis participantibus eius excellentiam, vel ratione sanctitatis, vel virtutis, vel dignitatis, vel alicuius

eminentię, et unum dictorum honorum est genuum flexio, quę licet forte primo fuerit ex malo, vel saltē minus bono motivo introducta tamē ex quo consuetudo invaluit, exhibetur licite creaturis. Dum tamē intentio exhibentis talibus hominibus non sit intentio exhibendi eis talem reverentiā sicut Deo, Nec etiam intentio recipientis sit talem reverentiam eo modo, scilicet sicut Deo debitam recipere, et sic per intentionem exhibentis, et recipientis tollitur proprietas actus interioris latrię; Per consuetudinem vero introductam observatur actus exterior, Remanet tamē aliqua servitus soli Deo exhibenda, quę est actus exterior latrię, et signum actus interioris, vt dictum est, scilicet oblatio sacrificii, quę in nulla lege exhibetur alicui, nisi ei, qui pro Deo habetur; et hęc videtur sententia Augustini 10. de civit. Dei cap.° 4. vbi sic dicit: multa denique de cultu divino vsurpata sunt, quę honoribus

defferitur humanis, sive humilitate nimia,
sive adulatione perfecta, ita tamen ut qui
bus ea defferuntur homines haberentur,
qui dicuntur colendi, et venerandi, si autē cū
multum additur adorando &c.ª et sequitur: qui
vero sacrificandum censuit nisi ei quem
Deum, aut scivit, aut putavit, aut finxit, qua-
si dicat nullus. Ex dictis aperte colligitur, quod
genuum flexionis honor potest exhiberi emi-
nentibus persenis sine peccato, et secundum
hoc potuit sine peccato Mardocheus assurgere,
et flectere genua ante Amā sine peccato. Abra-
am enim adoravit Populū filios Heth, qui
erant gentiles, et peccatores, vt habetur Gn.
23. Quo modo autē scriptura videtur appro-
bare factum Mardochei, et Deus pro eo dedisse
sententiam habet non parvā difficultatem.
Circa quod est

1.º notandum, quod aliqui opinati sunt,
quod Mardocheus non noluit genua flecte-
re coram Amō, quasi hoc esset absolute illicitū,

sed propter abusum ipsius Amã, quia ex hoc in superbia elevabatur. Sed hoc non videtur valere, quia mali homines, quamdiu divinitus tollerãtur in statu aliquo maxime excelenti, sunt honorandi, etiam si ipsi honore tali abutantur. Exemplo Sancti David, qui Saulem pessimũ, et se persequentem adoravit, vt habetur 1. Reg. 24, similiter Judith, quę inter mulieres sanctas computatur, adoravit pessimum Holophernẽ genuflexionẽ, vt habetur Judith 10. vbi dicitur: adoravit eum prosternens se super terram, et levaverunt eam servi Holophernis iubente Domino suo; propter quod Apostolus Petrus 1. Pẽ. 2. dicit: servi subditi estote in omni timore Dominis, non tantum bonis, et modestis, sed etiam discolis, hęc est enim gratia; Amã vero erat in potestate constitutus, scilicet secundus ã Rege, quapropter ratione status, et officii erat adorandus, et honorãdus etiam perversus, et malus. Vnde Sanctus Thomas

2.2. q. 63. a. 3. in responsione dicit: ——

—— Sciendum quod aliquis potest honorari non solum propter virtutem propriã, sedetiã propter virtutẽ alterius, sicut Principes, et Prælati honorantur, etiam si sint mali in quantum gerunt personam Dei, et communitatis, cui præficiuntur iuxta illud Proverb. 26. sicut qui immittit lapides in acervũ Mercurii, ita qui tribuit insipienti honorem; quia enim Gentiles rationẽ attribuebant Mercurio acervus Mercurii dicitur summa, vel cumulus ratiocinii, in quo mercator quandoque mittit unum lapillũ loco 100 marcharũ, ita etiam honoratur insipiens, qui ponitur loco Dei, vel alicuius Principis, vel communitatis; et sic Amã quia à Rege secundus constitutus erat, potuit adorari, ut dictum est non obstante, quod ipse tali adoratione in superbiam abuteretur. Propter quod aliter dicunt aliqui Hebræi sequentes dictum unius Glosę hebraicę,

scilicet quod aliquid secundum se licitum fit illicitum ratione alicuius circunstantiæ, sicut dare eleemosinam pauperculæ est licitum, et meritorium, si tamen fiat intentione perducendi eam ad luxuriam, est illicitum. Vnde eliciunt, quod sic in proposito licet adoratio per genuflexionem licite impedatur eminentibus creaturis, tamē redditur illicita per malam intētionē exhibentis, si eam exhibeat, quasi Deo, vel recipientis, si eo modo exigat. sicut legitur de Nabucodonosor Rege Assiriorum Judith. 3. quod præcepit Holophernj, vt omnes Deos terræ exterminaret, vt ipse solus Deus diceretur, et hoc modo quærebat Aman adorari secundum eos. Quod non videtur sane dictum, nam hoc foret contra honorē Regis; commune enim est apud omnes etiam Idolatras estimare Deum verum, vel quē putant, vel fingunt Deū esse super omnes homines, etiam Reges, vel Principes, vnde si Aman honorem divinū sibi vsurpasset,

recusaũ fuisse quod honorẽ sibi maiorem,
quã Regium sibi vendicaret, quod non est ve-
risimile cum animum attentare; ideo prae-
dicta Glossa, quam secuti sunt dicti Hebraei,
et sua opinione reiecta dicit Dominus Bur-
gensis, quod super causa quare Mardocheus
non flectebat genua et caetera fuit apud alios
Hebraeos duplex opinio; prima, quod Amã
portabat ad collum quoddam Idolũ, et ob hoc
Mardocheus recusabat adorare Amã, ne
videretur Idolũ adorare; secunda opinio est,
quod quum Mardocheus esset de stirpe
Saulis primi Regis Israelis, fuit enim de
stirpe Benjamin, vt dicitur Hester 2. quiquidẽ
Saul vastavit Amalechitas, cepitque Regẽ
eorum Agag, quem occidit Samuel, vt habe-
tur 1. Reg. 15. qua ratione Amã potuit
Iudaeos habere exosos, et pari ratione potest
intelligi, quod Mardocheus Amã haberet
exosum, tanquã descendentem ab Agag, et
Amalech, cuius inimicitiae habere memoriã

ita ut non traderent oblivioni, praeceperat Deus Israel Deuteron. 25. Unde Mardochaeus tanquā verax non solum volebat adorare ipsū Amā, sed nec etiam ostendere sibi signa alicuius amicitiae ad illum; foret enim contra illud, quod corde gerebat ex mandato Dei. et addit Burgensis: quod haec opinio videtur magis consona literae; Nam Hester 5. legitur de Mardochaeo, quod non solum non assurgebat Amā, sed nec movebatur de loco sessionis suae. Constat autē, quod surgere coram aliquo, vel moveri de loco propter reverentiam alicuius non est adoratio, quae non debet hominibus fieri; ex quo patet, quod ex alia causa cavebat hoc Mardochaeus. Quod autē habetur 13. cap.º ubi dicitur: ne honorē Dei mei transferrem ad hominē,[a] non est tenēdum tanquā auctenticum, et in scriptura canonica contētum, non enim habetur ab Hebraeis de Hester libro, nisi tantum usque ad 10.[um] capitulū inclusive.

Posset autẽ non ab re dici, quod Deus, qui
ut Augustinus in Enchexidion dicit, est
adeo sapiens, ut nunquã malũ permitteret,
nisi esset adeo Potens, quod ex illo posset
elicere bonũ, permisit, ut Mardocheus ab
exibitione illius honoris contineret, ut Amã
superbiam contereret, et Iudæorum Deum
verum tot Nationibus Idolatris manifesta-
ret, et multos eorũ ad sui cognitionẽ tra-
heret; sic enim dixerat Pharaoni, quoniã
in hoc excitavi te, ut ostendam in te vir-
tutẽ meam, et ut manifestetur nomẽ
meum in universa terra, ut habetur . . . .
et ex captivitate Babylonica, quam permisit
cognitionẽ sui mediantibus captivis, ex nõ
paucorũ Caldæorum salutẽ elicuit.

Per hæc autem patet responsio ad ar-
gumenta in contrariũ. Ad 1um. dicendum,
quod adoratio per genuum flexionẽ emanã-
tem ex interiori actu mentis ad colendum
Deum, soli Deo convenit, et humanitati

Christi, et Cruci, ac Imagini eius ratione Deitatis coniunctę, quo ad humanitatem, vel quo ad Imaginē, et Crucē ratione Deitatis, quā in Xpto. repraesentant, et in quam tendit adoratio latrię, quo adorātur. sed exterior genuum flexio etiam potest exiberi creaturis habentibus virtutē, et sanctitatē, vel omni. nentiam, et potestatem divinitus datā, et ā Deo participatam, quę servitus, et reverē- tia pertinet ad duliā, vt latte declaratur per Magistrū, et Doctores 3. sent. dist. 9. Mardocheus autem, vt dictum est, non recu- savit adorare Aman, quia sibi divinum honorē vendicabat; hoc enim nec verum videtur, nec verisimile, nec cogit nos ad hoc credendum illud dictum Hester 13: ne honorem Dei mei transferrē ad homines, quia post decimum capitulum Hester non est aliquid auctēticum; sed recusavit, quia Amalechita erat, et ideo per legem exosus, vel Dei providentia sic ordinātē permissū est,

vt ex eo malo bona iam dicta eliceret, vt in 1 notabili dictum est.

Ad 2um. dicendum, quod quum Angelus prohibuit Ioannē se adorare, non fuit ad ostendendum, talem adorationē fuisse illicitā, sed ad ostendendum excellentiā, quam natura humana per vnionem ad Verbum consecuta est, vt Beatus Gregorius exponit Omelia 8a. Evangeliorum.

Ad 3um. dicendum, quod nemo sine peccato impedit creaturę honorē Creatori debitum; sed genuum flexio, quę est actus exterior non est honor precise Deo debitus, sed etiam creaturę communicabili, precipue quando non est elicitus ab actu interiori mentis, quo quis intentionē in Deum dirigit, et genua flectit in signū illius latrię interioris.

Ad 1um. argumentum in contrariū dicendum, quod latria debetur Deo ratione Deitatis essentialis, quę velut in archetypo est in eo, sed in creaturis est Deitas participata,

et ideo eis convenit dulia, non latria.

Ad 2um. dicendum, quod si Abraã adoravit Angelos, ut Dei creaturas, adoravit eos adoratione duliæ; sed si in eis adoravit Deũ, quia secundum Augustinũ tres vidit, et unũ adoravit, quia tunc revelatum est ei misterium Trinitatis, tunc procul dubio adoravit adoratione latriæ, quia talis adoratio soli Deo convenit; et sic intelligit Augustinus, Abraã adorare eos adoratione latriæ.

Ad confirmationẽ dicendum, ut dictũ est, quod adorationes creaturarum, quæ in Sacra Scriptura exprimuntur, debent intelligi de adoratione duliæ creaturis eminẽtibus debitæ ratione supradicta.

Quæstio.

Super versu: Vir erat in terra Hus nomine Job. Job. 1º. potest quæri, utrũ, quæ in libro Job narrantur, et tractãtur, sint parabolice dicta, vel historia rei gestæ.

Et arguitur, quod sit parabola. Primo auctoritate

quorundam Hebreorum, qui in libro, qui apud eos dicitur Bababathra dicunt Moisē scripsisse hunc librū; Vnde quidam eorum dixit, qui scripsit legem, scripsit Job. et Gregorius in prefatione cap. 1°. dicit, quod dum quidā minus caute considerāt Moisē gestorū illius, quasi longe ante positi scriptorē putāt, vt videlicet is, qui potuit ad eruditionē nostram legis precepta edere, ipse credatur etiā ex gentilis viri historia virtutis ad nos exempla mandasse. Vnde dicunt, quod ad declarandum patientie vires, finxit hominē multipliciter flagellatū, et amicos eū visitantes, et ex consolatoribus in reprehensores versos ad sue patientie augmentum, et Job eos rationibus convincētem premia eximie patientie in fine consecutum.

Secundo constat, quod capitulū 3um. huius libri mistice, ac parabolice exponitur secūdum Gregoriū libro 4. Moraliū quum igitur turpis sit pars suo vniverso non congruens, vt dicit Augustinus in libro confessionū, Aut

totus liber, et illud capitulũ intelliguntur litteraliter, aut parabolice; sed non literaliter secundum Gregoriũ: ergo parabolice, et sic non est res gesta, sed parabolice proposita.

3.° nam ut dicit Gregorius in præfatione Moraliũ ca.° 1.° nonnulli scriptorẽ huius operis unũ quẽlibet ex Prophetis arbitrati sunt, asserentes, quod nullus tam mistica Dei verba cognoscere potuit, nisi cuius mẽtẽ Prophetiæ spiritus ad superna sublevarit: non ergo videtur res gesta, sed parabola ab aliquo Propheta conscripta. Quod videtur cõfirmari per id, quod in fine libri scribitur, quum dicit, vixit autẽ Iob post flagella hæc 140 annis, et vidit filios suos, et filios filiorũ suorum usque ad quartam generationem, et mortuus est senex, et plenus dierum; quũ autẽ hæc verba nemo de se ipso possit dicere, videtur, quod alius scripsit fingens parabolam pro themate ad disserendum de virtute patientiæ, et de Divina Providentia circa actus

humana. Nec videtur quod si Job scripsisset dictũ librũ, de se tanquã de alio locutus fuisset, quum dicit: respondens autẽ Job, et post hęc aperuit Job os suum &c.ª

In contrarium videtur, quod sacra scriptura narrat historiam, exprimẽdo patriã, nomẽ Job, mores eius, divitias, et possessiones, et filios, ac filias, et familiã, quę solẽt rei gestę veritatẽ prę se ferre, sicut notat Glosa super missus est Angelus Lu. 1.º expp fuit res gesta, et non parabola.

2.º nã Eze.ᵉˡⁱˢ 14. dicitur ex persona dei: si fuerint tres viri isti in medio eius, Noe, Daniel, et Job, isti Justitia sua liberabũt Animas suas. Certum est autẽ Noe, et Daniel fuisse homines veros in rerũ natura ex quo concluditur idem fuisse de Job ã Deo per Prophetam eis cõnumeratto.

3.º quia Jacobi 5. dicitur: ecce beatificamus eos, qui sustinuerũt suffereñtiam Job audistis, et finẽ Domini vidistis &c.ª ex quibus

proculdubio constat Iob fuisse verū hominē in rerum natura, et sic de singulis, quę in eius historia narrātur, constat gesta fuisse.

Pro responsione ad dictum dubium 1.° notandum, quod circa Patriā, et circa personā Iob varie Hębrei opinati sunt. Nam quia Gn. 22. dicitur, quod Melcha peperit ipsi Nachor, Hus primogenitum, et habens, et Bus secūdū; dicit Raby Salomō, quod ab isto Hus denominata est terra ista, de qua fuit Iob. et ex hoc consequenter dicunt alii Hębrei, quod Iob descendit de Nachor fratre Abraam. et hoc idem dicit Hieronimus in libro de Hębraicis questionibus sup. Gen. qui proculdubio est Hieronimi, vt ipse dicit in libro illustrium virorum, licet dubiū sit vtrū libro de Hębraicis questionibus super alios libros sit Hieronimi, qui non habet certum auctorē. Concordat etiam huic parti, quod dicitur Iob 32. quod Helius Buzites ivit cum amicis Iob ad consolandum ipsum; qui dictus est Buzites, eo

quod descendit de Buz secundo filio Nachor, ut dicit Hieronimus in dicto libro de Hebraicis quaestionibus; et sic quum Heliu, et Iob fuerint de eadem cognatione, sequitur, quod Iob descendit de Nachor.

2.º notandum, quod circa personam Iob, quis scilicet fuerit tam apud catholicos, quam apud Hebreos invenitur non parva discordia. Nam Augustinus, et Ambrosius super epistolã ad Romanos dicunt, quod fuit ille, qui Gn̄ 36. vocatur Iobab, et per consequens descenderet de Abraam per Esau; ad quam sententiam declinaverunt ex simmilitudine nominũ, scilicet Iob, et Iobab; et huic dicto concordat, quod in aliquibus bibliis in fine libri Iob, et in aliquibus post prologum, qui incipit Cogor, sub nomine argumenti ponitur, ubi fertur Iob habitasse in terra Usitide in finibus Idumeę et Arabię, et erat ei ante nomen Iobab; et infra erat autẽ ipse quidem Zarę

de Esau filii filius &c. Sed Hieronimus tenet eum descendisse de Nachor, et idem sentiunt Hebrei, quibus videtur magis credendum, quia in talibus historiis, et genealogijs eruditiores fuerunt. Nec valet motivum alterius partis, scilicet similitudo nominū; Quoniam sępe contingit, quod homines longe patria distantes, et genere, non solū simili, sed etiā penitus eodem nomine nominātur, maxime quia ut Magister Nicolaus dicit: Iob, et Iobab in Hebreo sunt admodum dissimilia, non solum in fine, ut patet, sed etiam in principio, quia hoc nomē Iob incipit in Hebreo per Aleph; Iobab vero per Ioth; illud vero argumentū super librū Iob, quod allegatur, non probat, quia ut Hieronimus in libro de Hebraicis questionibus dicit, non habetur apud Hebreos, et ideo ab eo non aprobatur. Secundum ea, que dicta sunt, et maxime secundum Hieronimum in libro de Hebraicis questionibus, Iob fuit circa finem vitę

Moisi; nam dicit ipse in memorato libro, quod relius Buziten, de quo dictum est, quod fuit contẽporaneus ipsi Job, licet iunior ipso Job, fuit Balaã, de quo est historia Numer. 23. et 24. et postquã tacuerunt tres amici, ipse revocavit litẽ contra Job. vt habetur Job 32. Sed sunt, qui dicunt Job contẽporaneũ Abrae. Beatus vero Gregorius in præfatione Moralium caº Vº dicit: nequaquã: ergo extitisse ante legem cognoscitur, qui Israeliticorũ Iudicum tempore fuisse perhibetur. Ecce quid de Job Patria, quid de eius persona, quid de tempore, quo fuit, sane dici potest. Ex quibus satis superque constat ea, quę in libro Job scripta sunt, non parabolice proposita, sed historice, fuisse conscripta.

Vnde patet responsio ad argumenta in contrariũ. Ad primũ dicẽdum cum Gregorio in præfatione Moraliũ caº 2. super Job vbi sic dicit: narratis super actore

opinionibus, arbitrari tamē verius possumus, quod idē Beatus Iob, qui certamina spiritualis pugnę sustinuit, etiam consumatę victorię suę gesta narravit. Ego quidem hanc Divi Gregorii opinionē illorum Hębreorum opinioni pręferēdam censeo, qui ut ipse dicit minus causę rei huius rationem consideraverunt, et sic ex historia parabolā fecerunt.

Ad 2um dicendum, quod non valet: unum unius libri capitulū exponitur parabolice: ergo totus liber est parabola; In evāgeliis enim multa capitula sunt historię, nonnulla vero sunt parabolę; nec ideo universo suo non congruunt, quinimo dum sensum literalē ex parabola excutiunt fidelium corda, quā maxime instruunt; genus vero illud argumentandi aperte sud totum perdebile est.

Ad 3um dicendum, quod non valet: nemo potest tam mistica verba cognoscere, nisi cuius mentem prophetię spiritus

ad summa sublevarit: ergo aliquis Prophetarum,
quos in canone habemus, hoc scripsit; Multi
enim haud dubie praeter illos, tam in Israe-
litico Populo, quam in gentilico veri Prophetae
fuerunt, inter quos quis sanctum Job non
numeraret? qui 19 cap. dixit: scio enim,
quod Redemptor meus vivit &c. eo sanctum
Jacob, et ceteros Patriarchas. Nec obstat,
quod in fine libri scribuntur anni, quibus
vixit &c. nam res trita satis est, tam
in sacris historiis, quam in secularibus,
ut finis auctoris non a se, sed ab alio con-
scribatur, sicut de Moyse, qui pentateucum,
scilicet quinque libros usque ad deutero-
nomium inclusive scripserat, constat suum
exitum, et quae post in cap. 34 referuntur
minime scripsisse, sed alius ei superstes.
Nec Lucanus dicere potuit corduba meae-
ruit, rapuit Nero, sed alius, qui eius finem
scivit suo nomine memoriae prodidit; sic
ergo dicendum est de Job, quod alius suo

nomine librum clausit. Nec illud etiam obstat, quod ipse de se, tanquã alius loquebatur dicens: respondens autem Job et cetera; nam ut Gregorius dicit in præfatione Moralium cap.° 2: moris sacræ scripturæ est, ut hi, qui scribunt sic nonnulla de se, quasi de aliis loquantur; Sic Moises dicebat: erat Moises vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra; et Dominus persæpe de se sub nomine filii hominis loquebatur; et Joannes: hic est discipulus ille; et Lucas: ibant duo discipuli, scilicet Cleophas, et alius, quem communiter tenent, se esse, quem tacuit.

QUÆSTIO.

Habito quis fuerit auctor libri Job, et quo tempore, ac Patria, nec non ostenso, quod fuerit vera historia; consequenter videtur quærendũ, quæ fuerit intentio auctoris in hoc libro; circa quod 1.°

quaeritur, utrum auctor libri
Iob intendat ostendere, quod actus
humani regantur divina Providentia.

Et videtur quod non. Primo quia id intendit, quod convīcit; sed in toto opere contendit Iob cō-vincere adversarios amicos, quod falso criminarētur eum probantes pro culpis suis flagella divinitus pertulisse: ergo non intendit probare divinā Providentiam se extendere ad humanos actus, sed etiam innocentiā non meruisse talia flagella.

2° quia Iob probat non semper evenire in hac vita bona malis, aut mala bonis, vel bona bonis, aut mala malis, sed aliquando bona, et mala utrisque esse cōmunia; sed talis varietas magis videtur pertinere ad casum, quam ad Providentiam: ergo non intendit divinam Providentiam servari circa actus humanos.

3° quia totus iste liber procedit per modum cuiusdam disputationis inter Iob et

una parte, et amicos eius ex altera; intẽtio autẽ disputantis contra aliquẽ non est declarare, vel probare illud in quo cum eo convenit, sed eo supposito tanquã vero, et concesso procedere ulterius ad probandum, vel improbandum illud in quo ab alio dissentit. Manifestum est autẽ ex progressu huius libri, quod amici Iob in hoc conveniebant cum eo, quod actus humani reguntur Divina Providentia, quia nitebantur probare eum punitum iuste à Deo pro peccatis suis præteritis. Ex quo neccessario sequitur, quod ponebant pro certo divinam Providentiam ordinare, et disponere de actibus humanis: non ergo intendit Iob probare Divinam Providentiã regere actus humanos, quia in hoc cum amicis conveniebat.

Confirmatur hęc ratio per illud quod Eliphas Themanites ex persona tenentiũ oppositum dixit, ut habetur Iob 22; dicebant enim de Deo circa cardines coeli perambulat,

nec nostra consideraat; et addit: quorum sententia longe sit à me, et simile haberi tur ex sententia aliorum amicorum in processu libri Job.

In contrarium est sententia Sancti Thomæ, qui in commentariis super Job sic dicit in prologo: et ideo post datam legem, et Prophetas in numero Agiographorũ, id est, librorum per spiritum Dei sapienter ad eruditionẽ hominũ conscriptorum primus ponitur liber Job, cuius tota intentio in hoc versatur, vt per probabiles rationes ostendãtur res humanæ divina Providẽtia regi.

Pro responsione 1.º notandum, quod vt colligitur ex S.to Thoma 1.a p. q. 22. et q. 116, et in aliis locis antiqui Phi Dei Providentiã negaverunt, sicut Democritus, et Epicuri dicentes, mundum esse factum à casu, vt narrat Aristoteles 1.º Phisicorũ. Alii vero licet dixerint incorruptibilia, et superiora regi divina Providentia, ab hoc tamẽ excluserũt

inferiora corruptibilia; ex quorum persona dicitur Iob 22: nubes latibulum eius circa cardines caeli perambulat, nec nostra considerat. Alii vero corruptibilia, quae cursu naturae peraguntur, dixerunt divina Providentia regi, tamen ab hoc exceperunt actus humanos ex libero arbitrio procedentes, cuius opinionis fuit Marcus Tullius in libro de natura Deorum, et in libro de divinatione, cuius opinionem efficaciter confutat divus Augustinus 5°. de civit. Dei cap. 9. ubi refert, quod Tullius movebatur ad negandū Providentiā erga actus humanos, quia non potuit attingere qualiter infallibilitas divinae Providentiae posset constare cum liberi arbitrii vertibilitate; praeterea movebatur ipse, et alii ad hoc, quia videbant, ut plurimū impios prosperari, et bonos tribulari, quod non videbatur conveniens Providentiae Dei. In quorū persona dicit Boetius 1°. de consolat: omnia certo fine gubernans

hominum solos respicis actus. Quae opinio tanquam impia, et Fidei, ac moribus contraria excluditur à Beato Augustino libro, et capitulo memoratis; et etiam à S.to Thoma in locum memoratis; Tollit enim poenas, et praemia à Deo pro sua Iustitia meritis, et demeritis infligenda, et per consequens timorē Dei pariter, et amorem.

2.° notandum quod Sanctus Thomas in prologo super Job sic dicit: sicut in rebus, quae naturaliter generātur paulatim ex imperfecto ad perfectum pervenitur, sic accidit hominibus circa cognitionē veritatis; nam à principio parum quidde veritate attigerunt, posterius autem, quasi pedetētim ad quandam pleniorē mensurā veritatis pervenerunt; ex quo contigit multos propter imperfectā cognitionem circa veritatē errare; inter quos aliqui extiterunt, qui divinā Providentiā auferentes omnia fortunae, et casui attribuebant;

et priorum quidem in tantum ad hoc invaluit opinio, ut ponerent casu factum omne, et ea etiam, quæ naturaliter generantur, casui attribuerent, sicut percipi potest ex positionibus antiquorum naturalium ponentium solum causam materialem. Posteriorum etiam quidam, ut Democritus, et Empedocles plurima casui attribuebant. Sed Sterioriorum Phorum diligentia perspicatius invenere veritatem evidentibus indiciis, et rationibus ostenderunt res naturales Providentia regi. Non enim tam certus cursus in motu Coeli, et siderum, et in aliis naturæ effectibus inveniretur, nisi hæc omnia a quodam intellectu supereminente ordinata gubernarentur. Qua de re Lactantius V. divin. insti. c. 2. dicit: nemo est enim tam rudis, tam feris moribus, qui non oculos suos in Coelum tollens tametsi nesciat cujus Dei Providentia regatur hoc omne, quod cernitur aliquam tamen esse intelligat ex ipsa rerum magnitudine motu

dispositione constantia vtilitate, pulchritudine,
comparatione; nec posset esse id, quod mirabili
ratione constat, nisi consilio maiore aliquo
sit instructum. Opinione igitur Philosophorum
firmata in hoc, quod res naturales non casu,
sed Prouidentia regerentur propter dictas rati-
ones, emersit dubitatio apud plurimos de actibus
hominum, vtrum res humanę casu procederẽt,
vel gubernarẽtur aliqua Prouidentia, vel ordina-
tione; cui dubitationi maxime ministrauit
fomẽtum, quod in euentibus humanis nullus
certus ordo apparet; non enim semper bonis
bona eueniunt, aut malis mala; neque rursus
semper bonis mala, aut malis bona, sed indiffe
renter bonis, et malis bona, et mala: hoc igitur
est quo maxime corda hominum mouentur
ad opinandum res humanas Prouidentia Di-
uina non regi; sed quidã eas casualiter pro-
cedere dicunt, nisi quatenus Prouidentia, et con-
silio humano reguntur; Quidam vero cœlesti
fato eorum euentus attribuunt; Hęc autem

opinio maxime humano generi nociva invenitur, divina enim Providentia sublata, nulla apud homines Dei reverentia, aut timor in veritate remanebit. ex quo quanta desidia circa virtutes, quanta promptitudo ad vitia sequeretur, satis quilibet perpendere potest; nihil enim est quod tantum revocet homines à malis, et ad bona inducat, quantum Dei timor, et amor; unde eorum, qui divino spiritu sunt sapientiā consecuti ad aliorum eruditionem primum, et præcipuum studium fuit hanc opinionem à cordibus hominū amovere, et ideo post datam legem, et Prophetas in numero Agiographorum, idest, librorū per spiritum Dei sapientem ad eruditionem hominum conscriptorum primus ponitur liber [Job], cuius tota intentio in hoc versatur, ut per probabiles rationes ostendantur res humanę Divina Providentia regi. Hęc Sanctus Thomas.

3º. notandum, quod Magister Nicolaus

de Lira declinat dictam conclusioné Sancti

Thome innixus textis argumétationi in con-

trarium facte. Sed Dominus Burgensis

pro deffensione Sancti Thome, et merito dicit,

quod licet adversarii Job concederent, quod actus

humani regerétur Divina Providentia, sic

tamé ponebant modum regendi, quo non com-

petebat Deo; et hoc in quantum dicebant, quod

Deus premiabat Iustos, et puniebat iniustos

solum in bonis, et malis temporalibus hu-

ius vite, qui modus regendi non competit Di-

vine Providentie; nam virtutum premia

etiam secundum Phum. in hac vita dari non

possunt; unde V°. ethic. dicitur, quod homines

accipiunt honores ab hominibus loco premii,

quasi non habentibus aliquid maius ad

dandum, et 9. ethic. dicit Aristoteles: eodé

modo videtur faciendum Philosophie precep-

toribus, non enim nummis ea res estima-

tur, nec pretium equivalens reperitur,

sed forte satis est quemadmodum erga Deos,

et erga parentes, quantum quis potest exhibere. Unde patet quod præmium virtutis excedit omne illud, quod temporaliter posset dari, et ideo tale præmium non est, nisi vera felicitas. Unde si Deus præmiaret Iustos solum in prosperitatibus huius vitæ, esset eius præmiatio incongrua. Præterea quum aliqua peccata inducant reatum pœnæ æternæ, scilicet mortalia, ut habetur in 1.a 2.æ q. 87. a. 5. in corp.e q.s si Deus talia peccata æternaliter non puniret, derogaretur Divinæ Iustitiæ. Ex quo sequitur, quod amici Iob, qui ponebant, quod Deus solũ per temporalia bona huius vitæ præmiabat Iustos, et solum per temporalia mala huiusmodi puniebat iniustos Providentiam Dei circa humanos actus implicite negabant, ponentes eam eo modo quo Deo minime competere poterat. Unde Augustinus 1.o civitate Dei cap.o 7. dicit: placuit quippe Divinæ Providentiæ præparare in posterum bona Iustis, quibus non fruetur

iniusti, et mala impiis, quibus non ex-
cruciabantur boni; Vide ibi et ca.° 8.° licet
igitur Providentiam Dei explicite in con-
fuso concederent, implicite tamẽ negabant,
sicut si aliquis concederet, Deum esse cre-
atorem Coeli, et terrę, et tamen cum hoc po-
neret divinam essentiam esse corpoream,
talis simpliciter negaret, quod Deus esset
Creator Coeli, et Terrę, nam virtus corporea
non potest esse infinita, et tamen creatio
requirit infinitatem potentię.

Sed Magister Mathias non conte-
tus dicta excusatione addit, quod non suffi-
cit dicere, quod negaverunt Providentiã im-
plicite, licet concesserunt generaliter, et
confuse; nam vt dicit, qui negat, Deum esse
iustum explicite, negat, Deũ esse impli-
cite, quia non est aliud Deum esse, quam
Deum esse iustum; et ideo si propter implici-
tam negationem intẽtio Iob fuisset probare,
Deum esse Provisorem actuum humanorũ,

debebat probare primum, Deum esse, quod sic implicite negarent. Sed hæc ratio non videtur valere, nam etiam si Sanctus Thomas vellet significare, quod intentio Iob fuerit probare, Providentiam Dei esse absolute, et simpliciter circa actus humanos, non propter hoc sequeretur, quod primo debuisset probare, Deum esse, quod etiam simpliciter negabant; Non enim est necesse ad probandum conclusionē non cōcessam in quacumque argumentatione probare principiū proximū, et immediatum, ex quo sequitur talis conclusio; Rursus non est neccessarium probare singula principia remota, et mediata quodam deductionis ordine a primo ad ultimum, quæ possent negari, negata conclusione; Nisi contentiose, ut accidit, negaretur principium proximum, quod non est in casu nostro; sequeretur enim, quod quælibet scientia ad probandum suas conclusiones teneretur probare omnia principia usque

ad primam omnium conclusionem; negata

enim vna conclusione negatiua impli-

cite omnia principia, ex quibus pendet; quæ

res pareret in scientiis docendis, discendisque

non paruam confusionem. Ex quibus constat

sententia Sancti Thomæ circa intentionem

Sti. Iob in libro suo, et

Responsio ad argumenta in contrarium.

Ad primum ergo dicendum, quod in libro Iob

potest attendi duplex intentio, scilicet vna

actoris, alia libri, vel vna particularis, et

directa, alia vniversalis, et ex consequenti; in-

tentio auctoris in sua contentione princi-

paliter consistebat in deffensione innocentiæ

suæ, quam aperto Marte criminabantur, et

impugnabant amici adversarii dicentes prop-

ter peccata sua cuncta adversa ei provenisse;

vnde hoc probabant per quamdam erroneam

opinionem generalem, scilicet quod semper

bonis bona, et malis mala divinitus hoc

mundo eveniunt; et ideo intentio Iob parti-

cularis, et directa fuit, tutando partes inno-
centiæ suæ confutare adversariorum errorē
exgare. Ex qua confutatione consurgit in-
tertio libri universalis, et ex consequenti, scili-
cet defensio Providentiæ Divinæ, de qua loqui-
tur S.tus Thomas, quæ bona, et mala, ut probe
Augustinus in 1.o Civit. Dei ca.o 8. dicit utris-
que, scilicet bonis, et malis voluit esse coram,
ut nec bona cupidius appetātur, quæ mali
quoque habere cernuntur, nec mala tur-
piter evitētur quibus et boni plerumque
afficiuntur. Est profecto Deus tantæ sapien-
tiæ, ut ait Augustinus in Enchiridion,
ut nūquam permitteret malū, nisi esset
tantæ Potentiæ, ut inde eliceret bonum; Unde
ex inflictis, vel permissis malis probat
homines, id est eos probatos, et claros, atque
exemplares apud præsentes, et posteros facit,
sicut Job, et Martires, humiliat sicut Paulū,
Manifestat aliquando potentiam suā homi-
nes ā malis liberando sicut fecit in cæco, linat,

ac purgat vitia bonorum, ut in lepra Mariæ
sororis Moÿsi apparet, sorore Moÿsi munda-
vit, apparet. Aliquando hic incipit perversos,
ut tandem puniri, unde verum Iob probat, in-
clinat ad Paulum, sese manifestat in cæco,
purgat Mariam, punit tandem. Sunt et
aliæ causæ ob quas Divina Providentia bo-
na, et mala utrisque voluit esse communia,
ut scilicet bonus animus sibi ipsi sit cog-
nitus, et probatus quanta virtute pietatis
gratis Deum diligit, quum nec bonis ex-
tollitur, nec malis frangitur; malus vero
animus nonunquam malis affligitur, quia
bonis corrumpitur. Rursus si neminem
puniret hic aperta Divinitas, nulla esse Di-
vina Providentia crederetur; si omnia puni-
ret, nihil ultimo Iudicio reservari putaretur.
Item in rebus secundis, si non eas Deus qui-
busdam petentibus daret, non crederetur talia
ad eum pertinere. Præterea si omnibus eas
petentibus daret, non nisi propter talia præmia

serviendum ei esse aliqui arbitrarentur.
Hec Augustinus 1°. civit. Dei ca°. 7°. et 8°. et 9.
Sed et Gregorius in 1°. Moralium dicit, quod
licet Iob omnes virtutes didicisset, ut eius
iusto testimonio constat, non tamē sciverat
Deo habere, et agere gratias flagellatus, fla-
gella certe erudiunt servos Christi, et adhe-
rere ei, ac devinci ei cogunt, et Animas vir-
tutum capaces, ac fertiles, gratiarū actiones
exercitare faciunt. ex quibus constat aperta
responsio

Ad 2um. argumentum, nam non so-
lum non excluditur Divina Providentia
ex hoc, quod aliquando bona bonis, aliquando
mala malis sepe etiam bona, et mala sūt
utrisque, scilicet bonis, et malis communia,
quinimo ex his varietatibus per ratio-
nes antedictas aperte Dei solertissima
Providentia concluditur.

Ad 3um. argumentum in textio
notabili satis late responsum est.

Quaestio.

Super versu: post hęc aperuit Iob os suum, et maledixit diei suo &c.: potest quęri, utrum liceat maledicere creaturā irrationabilem.

Et videtur quod non. Primo quia diabolus per obstinationem est maxime subiectus malitię; sed non licet alicui maledicere diabolum, sicut nec se ipsum; dicitur enim Eccl.° 21: quum maledicit impius diabolū, maledicit ipse Animā suā: ergo multo minus, licet maledicere aliam creaturam, maxime irrationalē, quę culpę est incapax.

2.° Num. 23. super illud: quo modo maledicam, cui non maledixit Dominus, dicit Glosa: non potest esse iusta maledicendi causa, ubi peccantis ignoratur affectus; sed homo non potest scire affectum alterius hominis, nec etiam utrum sit maledictus ā Deo: ergo nulli licet aliquem hominē maledicere, et multo minus irrationalē creaturā,

quæ nec est, neque esse potest mala iuxta illud Gñ. 1º: viditque Deus cuncta, quæ fecerat, et erant valde bona.

3º maledictio præcipue videtur esse licita in quantum respicit pœnam, sed creatura irrationalis non est susceptiva culpæ, nec pænæ: ergo non licet eam maledicere.

4º in creatura rationali nihil invenitur, nisi natura, quam fecit Deus, hanc autem maledicere non licet etiam in diabolo, iuxta illud in epistola Iudæ, quod cum Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moisi corpore non est ausus iudicium inferre blasfemiæ, Glosa dicit, idest, maledictionis: multo ergo minus licet maledicere creaturam irrationalem.

5º creatura irrationalis, aut est permanens, sicut corpora, aut est transiens, sicut tempora; sed sicut Gregorius dicit in 4 Moralium: ociosum est maledicere non existenti, viciosum vero si existeret: ergo

nullo modo licet maledicere creaturæ irrationali.

Sed contra est, quod Dominus maledixit Ficulneæ Matth. 21. Et Job maledixit diei suo Job. 3.

Pro responsione ad quæstionē 1.º notādū, quod maledicere idem est, quod malum dicere; dicere autem, ut S.tus Thomas dicit 2.2. q. 76. a. 1. tripliciter se habet ad id quod dicitur. Uno modo per modum enuntiationis, sicut aliquid exprimitur modo indicativo, et sic maledicere nihil aliud est, quā malum alterius referre, quod pertinet ad detractionē, ideo quandoque maledici detractores dicuntur. Alio modo dicere se habet ad id quod dicitur per modum causæ, et hoc quidem primo, et principaliter competit Deo, qui omnia suo verbo fecit secundū illud Psalmi: ipse dixit, et facta sunt; consequēter autē convenit hominibus, qui verbo suo alios movent per imperium ad aliquid faciendum, et ad hoc instituta sunt verba imperativi modi. Tertio modo ipsum dicere se habet

ad id quod dicitur, quasi expressio quædam affectus desiderantis id quod verbo exprimitur, et ad hoc sunt instituta verba optativi modi: prætermisso igitur primo modo maledictionis, qui est per simplicem enunciationē mali considerandum est de aliis duobus circa quod est sciendum, quod facere aliquid, et velle illud, consequuntur se in bonitate, et malitia, vnde in istis duobus modis, quibus malum dicitur per modum imperantis, vel per modum optantis eadem ratione est aliquid licitum, vel illicitum; si enim aliquis imperet, vel optet malum alterius in quantum est malum, quasi ipsum malum intendens, sic maledicere Vtroque modo erit illicitum, et hoc est maledicere per se loquendo; si autē aliquis imperet, vel optet malum alterius sub ratione boni, sic est licitum, nec erit maledictio per se loquendo, sed per accidens, quia principalis intentio maledicentis non fertur ad malum, sed ad bonum; vnde nota, quod benedictio, vel maledictio

proprie ad illam rem pertinet, cui potest ali-
quid bene, vel male contigere, scilicet ad ra-
tionalem creaturam, unde imperando sub ra-
tione Iusti Iudex maledicit licite illi, cui iu-
bet Iustam poenā inferri; et etiam ecclesia
anathematizando maledicit; sic etiam et
Prophetę in scripturis quandoque imprecātur
Mala peccatoribus licet etiam tales imprecati-
ones possent intelligi per modum prænunci-
ationis; q̄nndoque vero dicitur aliquod sub
ratione utilis, puta quum aliquis optat ali-
quem peccatorem pati aliquam ęgritudinē,
aut aliquod impedimentum, vel ut ipse me-
lior efficiatur, vel ut saltem ab aliorum im-
pedimento cesset. Creaturis autem irratio-
nabilibus dicitur contingere bonum, vel ma-
lum in ordine ad creaturam rationalem
propter quam sunt; Ordinantur autem
ad eam multipliciter, scilicet uno modo per
modum subventionis, in quantum scilicet
ex creaturis irrationalibus subvenitur humanę

neccessitati, et hoc modo dicit homini Dominus Gen. 3. maledicta terra in opere tuo, ut scilicet per eius sterilitatem homo puniretur. Quo etiam modo intelligitur, quod habetur Deuteron. 28. benedictum horreum tuum, et infra maledictum horreum tuum; Sic etiam David maledixit montes Gelboe secundum Gregorii expositionem. Alio modo creatura irrationalis ordinatur ad rationalem per modum significationis, et sic Dominus maledicit Ficulneam in significationem sterilitatis Iudeę. Tertio modo ordinatur creatura irrationalis ad rationalem per modum continentis, scilicet temporis, vel loci, et sic maledixit Iob diei nativitatis suę propter culpam originalem, quam nascendo contraxerit, et propter sequentes poenalitates; et propter hoc etiam potest intelligi David maledixisse montibus Gelboe, ut legitur 2. R. 1°. scilicet propter cedem Populi, quę in eis contigerat; Maledicere autem rebus irrationalibus in quantum sunt creaturę

1a. Expositio Sti. Thomę

2a. Expositio

Dei est peccatum blasphemiæ; Maledicere vero dici secundum se considerati est ociosum, et vanum, et per consequens illicitum. Hæc S.ta Thomas ubi supra.

2.° notandum quod idem sanctus Thomas in comentariis super Job ca.° 3.° addit aliam expositionem sensus, quem potuit Job habere, quando maledixit diei nativitatis suæ; unde primo sic dicit: Apostolus prohibet maledicere Ro. 12. dicens: benedicite, et nolite maledicere, scilicet tali maledictione, qua quis imprecatur malum alicui, vel quum falso diffamatur; Non autem eo modo, quo Judex reum condemnat, vel aliquis verum malũ alicuius rei ordinatæ denunciat, vel denunciando præsens, vel recitando præteritum, vel præmittendo futurũ: Sic ergo intelligendum est Job maledixisse diei suo, quia eum malũ esse denunciavit, non secundum suam naturam, qua à Deo creatus est, sed secundum illam scripturæ consuetudinem, qua tempus dicitur

2.ª Expositio.

1

bonum, vel malum secundum ea, quę in tempore aguntur, secundum illud Apostoli ad —— ephe. 5: redimentes tempus, quoniã dies mali sunt. Maledixit igitur Iob diei in quantum mala sibi in ipsa die accidisse commemorat.

Secunda expositio in commentariis est, quod aliquid est aliquando tristabile, et odiosum secundum se acceptum; quod tamen relatum ad finẽ est acceptabile, sicut potio amara, vt sic est horrida; relata tamen ad consecutionem salutis est valde accepta, vnde in de remedio amoris dicit Naso: vt corpus redimas ferrum patieris, et ignes; Sensitivę autem partis non est refferre aliquid ad finem, sed rationis solius; et ideo si quis de potione amara loqueretur secundum dispositionẽ sensitivę partis, diceret eam amarã; si autem secundum dispositionẽ rationis eã ad sanitatem refferret, diceret eam esse bonam; licet autem esse, et vivere secundũ se sit delectabile, si tamen multis mi-

3.ª expositio

sensus, et tristitiis sibi subiectum efficitur
irritabile, et odiosum, adeo quod nonnulli
malis constricti se ipsos perimunt quam-
vis male; Beatus igitur Job volens simpli-
citer enunciare dispositionem sensitivę par-
tis horrescentis miserias in quibus erat,
maledixit principio vitę suę, et eius continu-
ationi tametsi secundum rationem per vir-
tutem patientię illas miserias acceptaret
propter consecutionẽ pręmii vitę futurę;
Quemadmodum Salvator noster Mathęi 26.
dixit: tristis est Anima mea usque ad mor-
tem, et iterum: transeat ã me calix iste,
exprimens dispositionẽ sensitivę partis
horrescentis passionẽ imminentem ad de-
clarandum suę veritatem humanę naturę
passibilis, Qui tamẽ passionẽ illam per
rationem acceptabat. Esa. 53: oblatus est, quia
ipse voluit. Ex quibus constat secundum
Sanctum Thomã triplex expositio illius
versus: et maledixit diei suo.

Sed Magister Nicolaus de Lira hunc passũ pertractans in Postilla, et hanc ultimam expositionem Sancti Thomę commemorans, dicit, non ei videri sufficiens, quia amici Iob, quum essent sapientes, et docti nunquam contradixissent Iob tali modo loquenti, quum scirent passiones trisitabiles esse sensitivę parti. Unde ut dicit, secundũ hanc expositionẽ Ste Thom. tota amicorum disputatio contra Iob fuisset in equivoco. Quum nitantur ostendere Iob ex impatientia maledicũ, et blasfemum tanquã ex errorea ratione loquentem, quę res videtur absurde asseri de viris sapientibus; Unde ipse addens novam expositionem, dicit, quod Iob prorupit in illa verba non quasi ex se, et proprie mente concludens contra amicos suos ex concessis ab eis, et ducens ad inconveniens; Negabãt namque amici Iob secundum ipsũ remunerationẽ, et punitionẽ peccatorum in futura vita, et ex hac errorea eorum sẽtentia,

quā Iob noverat, concludebat contra eos, quod vita sua tot, tantisque miseriis afflicta erat sibi odibilis, et onerosa, ac proinde sua nativitas conceptio, atque educatio, si de afflictionibus, quę eam sequuntur, nullum expectaretur premium. Hęc ille.

Sed Dominus Burgensis propugnans pro S.to Thoma, et merito dicit, non sane esse dictum, quod stante expositione S.ti Thomę disceptatio Iob, et suorum amicorum contenderet in equivoco; quippe eorum disputatio circa hoc principaliter versabatur, quod Iob dicebat, se esse flagellatū sine culpa; amici vero eius asserebant, eum pro culpa sua punitum, ut patet liquido ex partium rationibus: unde liquet quod eorum disputatio non erat in equivoco, sed sibi directo contraria. Cetera vero quę in dicta disputatione interposita sunt, non erāt principaliter intenta, sed inter disputādum se offerētia. Unde in ca.o 32. ubi amici Iob non ultra replicaverunt responsa

dicitur: Omiserunt autẽ tres viri isti respondere Iob, eo quod Iustus sibi, idest, eis videretur, hoc est, quia eum de iniustitia convincere nequiverunt: igitur amici Iob, quia præcipue contendebant probare Iob pro propria culpa flagellis illis ingentibus affectum non curarunt verba maledictionis, quæ protulerat post flagellationem. vnde apparet, quod non disputabant in æquivoco. ——— ——— ———

——— Nec Iob tam longa ea disputatione tenuit in rationibus ad rem non pertinẽtibus; Revera enim vtriusque partis intentio versabatur super Iustitia Iob eo pro se propugnante illis autem oppugnantibus. Ad id autẽ, quod addit Nicholaus, quod Iob hoc in loco ex sententia errorea amicorum, quam noverat, concludit vitã suam odibilem, gravemque ducendo eos ad inconvenienss, respondet Burgensis satis esse exploratum, quod quando Iob in verba maledictionis proruperit, nec verbum quidẽ ab amicis audierat. Nec debuit vir Iustus imponere eis, quod aliquod

errorem crederent, condemnans eos, antequã

audiret. Praeterea quia si tali loquebatur modo,

ut eos ad inconveniens conduceret, debuisset inter-

ponere aliquam dictionem significantem non

ex propria opinione id se dicere, sed ex amico-

rum positione, quod tamẽ non fecit, quinimo

simpliciter loquitur, quasi ex propria sentẽtia,

conformiter opinioni Sancti Thomę. Haec Burgensis.

Hec plane apparet quomodo Magister

Nicholaus hanc suam opinionẽ excogitaverit,

ac firmaverit, Cum ex verbis Iob, aut ami-

corũ eius, aut ex modo loquendi nullũ inve-

nerit solidum pro ea fundamentum, quinimo

opinio sua excluditur eadem ratione qua sen-

tentiam S.ti Thomę ipse excludit; Nam si opinio

Magistri Nicholai constaret haud dubie utrius-

que partis disputatio procederet in equivoco; Nã

si Iob non ex se protulit verba maledictionis,

sed concludens contra amicos ex concessis

ab eis, et conducens eos ad inconveniens, illi

nunquam hoc intellexerunt, nec in toto contextu

suę disputationis ipse se ipsum exposuit, imo vero amici Iob acceperunt verba eius uti blasfemantis, et impatientis, et de hac culpa ipsum reprehenderunt; et ideo in cap.° 4. respondens Eliphas Themanites primus amicorū ait: nunc autem venit super te plaga, et defecisti, tetigit te, et conturbatus es, ubi timor tuus, fortitudo tua, et patientia tua, et perfectio viarum tuarum? et in cap.° 5. dicebat: virum stultum interficit iracundia; quod exponens Nicholaus, dictum esse contra Iob, ait; ille enim vere stultus est, qui ā virtute patientię cadit propter adversitatis pondus; Prętérea Baldach suites cap.° 17. respondens ipsi Iob, qui in cap.° precedenti miserias proprias proclamaverat, inquit: quid perdis Animā tuam in furore tuo? quod sic exponit Nicholaus, quasi dicat: talia dixisti ex impetu furoris tui, qui Animā ā sapientia, et virtute deiicit, et sic eam destruit, et perdit: igitur amici Iob etiam secundum expositionem Nicholai minime intellexerunt,

eū dixisse illa verba maledictionis ex suppositi-
one eorū, ut eos ad inconveniens traheret, sed
illa, ut blasphemantis, et impatientis accepere. Ex
quibus plane sequitur, quod disputatio eorum,
præsupposita opinione Nicholai, aperte procederet
in æquivoco, et per consequens incidit Nicholaus
in idē inconveniens ad quod putat S.tum Thomam
deducere. Nec illa expositio videtur probabilis, nā
amici Job pœnā, præmiumque futuræ vitæ
negantes non putarent inconveniens, quod vita
Job tot ærumnis, ac doloribus subiecta, ei odiosa,
ac gravis esset, imo vero sua sponte illud
admitterent, maxime viderent Job in vehemētis
miseriæ, ac ærumnæ statu, de quo via huma-
na, quam ipsi existimabant, non apparebat
in promptu liberatio; nam non esse, et mors
in quantum ærumnas adimunt, sub ratione
appetibilis cadunt, quia mors, ut sic tollit mi-
seriam, quæ est malorum maximū per quod
mors habet rationē boni, et appetibilis. Vnde
et Dominus Mathæi 26. dicebat: bonum erat

ei, si natus non fuisset homo ille. Et Ecc.[i] 41 dicitur: ô mors bonum est iudicium tuum homini indigenti, et qui minoratur viribus, deffecto ætate &ca.; et secundum hunc modum dicitur Apoc. 9: in diebus illis, quærent homines mortem, et non invenient eam, desiderabunt mori &ca.: non ergo habuissent pro inconvenienti amici Iob, quod vita eius tot, tantisque affecta calamitatibus esset sibi gravis, et odiosa, et quod etiam appeteret non fuisse. Frustra igitur argumentaretur Iob, prævalente opinione Magistri Nicholai, cum illud concluderet, quod adversarii non inficiarentur.

Nec probatio, quam addit Magister Nicholaus est valida; dicit enim; amicos Iob reputare inconveniens vitam ipsius Iob esse sibi pro illo statu gravem, et odiosam, ex eo quod eum ad pœnitentiam inducebant dicentes, quod si homo vere pœniteat, liberabitur à Domino à quibusvis miseriis; utrumque enim horum potest simul stare, scilicet quod agnoscerent vitam

Job subiectam tot miseriis esse sibi pro tunc odi-
osam; et quod illi ad pœnitentiam sub spe salutis
recuperandæ invitaverint eum; unde nulla ra-
tione apparet, quod Job vir plane sapientissimus
verba maledictionis proferret argumentando, ut
amicos ad inconveniens deduceret, quod nec ille,
nec quis sciolus, aut semidoctus pro inconve-
nienti haberet; Maxime quum super illud Ma-
thæi 26: bonum erat ei, si natus non fuisset, di-
cat Hieronimus: melius, id est, minus malum
est non subsistere, quam male subsistere,
quod intellige, non ratione naturæ, sed pœnæ ad-
iunctæ. Adde, quod ipse Job expresserit causam ob
quam in illam lamentationem proruperit non
esse aliam, nisi dolores vehementes, quod sustine-
bat, unde Job. 6. dicit: unde et verba mea dolore
sunt plena, quia sagittæ Domini in me sunt,
quarum indignatio ebibit spiritum meum, et
Cap. 7. commemoratis pœnis, quas patiebatur,
infert: quam ob rem elegit suspendium Anima
mea, et mortem ossa mea, desperavi, et complura

huiusmodi sunt in dictis suis. Ex quibus luce clarius colligitur causa ob quam maledixit vitę suę D.ᵃ quę fuit dolor, et ærumna, quibus affligebatur, et non plura amicorum opinio negantium retributioñe in vita futura.

Sed Magister Mathias secundum institutum suum contra Burgensẽ tria puncta nota. Primum, quod dixerit materiam principalem contentionis Job fuisse, quia sine causa erat flagellatus. Secundum, quod Job asseruit, se Justum, et per consequens sine causa flagellatum. Tertium, quod amici Job solum impugnabant Justitiã Job, quam ipse se habere, et habuisse asserebat; Subdit autẽ alia, quę in disputatione posita sunt fuisse accessoria. Contra quę Magister Mathias dicit primũ dictum esse simpliciter falsum, nec Job Justo esse imponendum, quia aliquid in rerum natura fieri sine causa vna omniũ Philosophorum voce reprobatur. Secũdum reprobat dicens, quod quum Job se asserit Justũ, se ipsum facit

iniustum, ut ipse cap.° 9. dicit: vere scio, quod ita sit, et quod non iustificetur homo compositus, Deo idest, comparatus. et 1.° Joa. cap. 1. dicitur: si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. Unde infert Magister Mathias, quod verba illa, quę ad innocentiam, vel Iustitiam Job tendere videntur, non sunt aliter accipienda, nisi sicut verba Christi Joã 9. de cęco nato: neque hic peccavit, nec parentes eius &c.ª Quoniam Job non dixit simpliciter, se non peccasse, hoc enim esset temerarium, sed dixit, se non peccasse, scilicet tali peccato, quod talia mererentur flagella. Dicit pręterea, textum dictum Burgensis stare non posse, quia amici Job non intendebant probare eum iniustum, sed habebant hoc tanquã certum ex flagellis iuxta eorum errorem, quo credebant, neminem flagellari, nisi pro culpa sua; ad quod concludendum tendit eorum disputatio.

Concludit ergo Magister Mathias,

quod materia disputationis in hoc libro fuit, neminem puniri in praesenti, nisi pro peccatis, cui errori Job se opposuit, et non pro Iustitia sua, sed pro iniuria Deo facta pugnavit. Cuius signum in fine libri increpans Deus amicos Job, non dicit, eos locutos contra Job, sed contra Deum, eiusque Iustitiam, unde ibidem dicitur: iratus est furor meus in te, et in duos amicos tuos, quia non estis locuti coram me rectum; Glosa, idest, verum dogma; Si enim locuti fuissent contra Iustitiam Job dicit ipse, ut sonat textum dictum Burgensis non possent reprehendi, quasi non rectum locuti, cum et Job reprehensibilis erat, et per Deum reprehensus, ut patet Job 38. cap.

Ad 1.am obiectionem Burgensis contra Magistrum Nicholaum respondet Magister Mathias, quod amici Job fuere viri insignes ideo famam praedicte potuit Job scire eorum errores, et forsitan tempore prosperitatis cum eis contexere.

Ad 2um. dicit, quod quando Job maledixit diei suae satis ostendit, quod ex suppositione errorum, quos novet, maledicebat creaturis Dei non ex proposito, quandoquidem Deo, ut Justus, et rectus corde laudatus erat.

Ad argumenta Magistri Mathiae contra Burgensem dicendum circa primum punctum, quod falso ei imponit, quod materia disputationis Job fuit ostendere, quod flagellaretur sine causa, sed fuit, quod flagellaretur sine culpa; verum etiam si dixisset sine causa, non fuisset perperam dictum, si sane fuisset intellectum, scilicet sine causa talia flagella merente; nam secundum regulam Hillarii in 4 de Trinitate, intelligentia verborum ex causis est assumenda dicendi; non enim res sermoni, sed sermo rei debet esse subiectus. Quo etiam modo loquendi idem Job cap. 9. est quum ait: et multiplicabit vulnera mea etiam sine causa, idest, sine culpa sufficienti; quia communiter causa poenae est culpa; Si-

militer accipitur illud Psalmi texti: quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa.

Nec valet, quod Magister Mathias sugillat Burgensem in secundo puncto, scilicet quia asseruit Job dixisse se Iustum, et hoc dixisse rexum est ca.° 16. quando dixit: non peccavi, et 27 quum dicit: neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea; et ca.° 33. ait Helius contra Job: dixisti ergo in auribus meis, mundus sum ego, et absque delicto immaculatus, et non est iniquitas in me: igitur Iustum se asseruit Job; Ceterum quum ipse Magister Mathias dicat talia verba non intelligenda esse simpliciter, quasi dixerit Job, quod non habuerit peccatum; sed quod non habuit peccatum talibus flagellis dignum, minimum debuit sic intelligere Burgensem quando Job dixit Iustum.

Quod vero in 3.° puncto dicit Magister Mathias, quod amici Job non intendebant

eum probare iniustum, nec circa hoc contrariu̅

disputabant, sed ex flagellis id pro certo habebāt,

falsum esse constat, non solum ex processu

disputationis, ubi singulę obiectiones, et res-

ponsiones circa iustificationē Iob utrinque

versantur, sed ex fine disputationis, qui po-

nitur in ca.° 32, quum dicitur: omiserūt

autem tres viri isti respondere Iob, eo quod

Iustus sibi videretur. Ex quibus verbis aper-

tissime constat, disputationem eorum ver-

sari circa Iustitiam Iob, qua concessa ā

ab adversariis cessavit disputatio. Unde Ma-

gister Nicholaus super illud: omisserunt

autem &c.ª cā 32. sic dicit: cessatio autē huius

disputationis fuit, eo quod tres amici Iob, au-

ditis verbis Iob quibus innocentiam suam

multipliciter declaraverat, reputaverunt

eum Iustum, et ideo merito tacuerunt, quia

cum eo disputare coeperāt, eo quod ante con-

trarium tenebant, scilicet ipsum ā Deo fu-

isse propter suam iniustitiam flagellatum;

Helius autem adhuc idem tenebat, et Iustitiam, quam Iob pro se declaraverat simulatam, et non veram credebat. Ex quibus constat Magistrum Mathiam non eque reprehendisse Burgensem in hoc 3º puncto, et suo Magistro Nicholao adversatum esse.

Quod autem addidit ad probandum, quod Iob se opposuerat amicis suis pro iniuria in Deum commissa, et non pro deffensa propriae Iustitiae, nullam habet rationem; nam quum Deus sit prima veritas, a qua omne verum dependet, quicquid contra aliquam veritatem dicitur, et est, et dici potest non rectum coram Deo, et ita quicquid contra veritatem a Iob propositam dicebatur merito dictum est, non esse rectum coram Deo, quia non se sic habebat rei veritas.

Et quum Magister Mathias ait, quod Iob erat vere reprehensibilis, et a Deo reprehensus in cap. 38. et per consequens non fuit vera iustificatio eius, respondetur per Magis-

trû Nicholaû sic exponentem: quod quamvis dicta Iob pro quibus adeo reprehēditur vera essent, tamen quia habuerunt speciem mali, et poterant generare scandalû, quia ex modo loquendi videbatur dicere aliqua in derogationem divinę Iustitię, et presumptuose ideo adeo reprehenditur. Idem in summa dicit cap.º ultimo, exponens illud: sicut servus meus Iob. Potest etiam responderi per illud, quod dicit Glosa super verbo: nec enim reprehendit me cor meû ca.º 27. ait enim: sed quo pacto a corde suo reprehendi se negat, qui superius dicit: peccavi; peccavi quidem, vel cogitando, sed nequaquā se a corde suo reprehendi confitetur, quia et si illicita cogitando fortitudini defuit, fortiter tamē cogitationi restitit.

Solutio autem, quam dat Magister Mathias ad 1.am obiectionem Burgensis, valde debilis est, quod ex adverbio dubitandi, scilicet fortasse quod premittit liquido constat. Sed etiam si Iob, vel fama prodente, vel alias potuit

errorem eorum de futura vita agnoscere ma-
xime aliquando ante cum eis conferendo; de-
buit tamen merito dubitare an sententiam ali-
quis eorum, vel omnes mutaverint; debuit
etiam vir in viis Domini prudentissimus prius
audire eos loquentes, et forte errorem suum
emendantes; vel ipsis tacentibus explorare caute
an in tali pristino errore perstiterent; Non enim
videtur rationi consentaneū, quod vir circum-
spectus, et patientię exemplar in tot, tantisque
maledictionis verba incognito de suo amicorū
errore ad eorum confusionẽ, qui eum visitatū et
consolatū venerant, prorumperet.

Nec videtur verisimile, quod sedens
in sterquilinio, et ulcere pessimo percussus
ā planta pedis, usque ad verticem, et qui testa
saniem radebat, tanta esset mentis tranqui-
litate, quod ipse eos ad contentionem provoca-
ret, et disputationem ordiretur super errore
eorum, quos ante tentationẽ suam noverat.
Nec etiam videtur verisimile, quod amicos, qui

diem condixerant, ut ad consolationem eius ve-
nirent, et viso eo scissis vestibus, ac fletu mag-
no miseriam eius deploraverunt, et pulverem
super sua capita sparso septem dies, noctesque
cum eo in terra sederunt, nec verbum quidem
ei locuti sunt eo quod viderent dolorem eius esse
vehementem eos uti hostis addixeretur, et crimi-
nare reprehenderet viros ob dolores eius tota
mente consternatos; Talis namque congrueus
impudentiae eius, atque ingratitudini, nec non
impatientiae, et procacitati iure tribui poterat,
quod de tanto Patriarcha asserere nephas est.
Ex quibus patet, quod responsio Magistri Ma-
tiae contra Burgensem, nec vera est, ne-
que verisimilis.

Nec valet secunda responsio eius non
enim quia Iob maledixit diei suae fuit signum,
quod eo amicorum erroribus, quos olim noverat,
loqueretur, quum alia via potuerint procedere
tales maledictiones sine praeiudicio innocentiae,
ac rectitudini eius, scilicet significando querelas

partis sensitivæ secundum unam expositionẽ Sancti Thomæ, ut dictum est; et quod talia verba Iob non fuerint certum signum, quod ex amicorum errore loqueretur ex illo convincitur, quia amici sui verba illa audientes nihil tale cognoverunt; sed acceperunt ea, ut blasphema, et ex impatientia prolata, ut ex processu disputationis satis constat: igitur opus fuit Iob, supposita expositione Nicholai, aliquod aliud signum verbis suis interponere, quod manifeste ostenderet ipsum ex suppositione errorum illorum fuisse locutum, quod quia non fecit clare liquet, quod verba Iob id non prætendebant, quod Magister Nicholaus concepit. Nec potuit esse alius intellectus literalis illorum verborũ Iob, salva eius rectitudine, et Iustitia, nisi quem S.to Thom: dedit; Quam rem ipse Magister Nicholaus super illud Hierem. cã. 20: maledicta dies &c.a non sunt, inquit, impatientis, et desperantis verba, sed in hoc exprimit horrorem sensua-

libatis respectu mali imminentis, quod tamē patienter tollerabat, sicut S.tus Iob exemplar patientię dixit: pereat dies, in qua natus sum. &c. et sic est sensus: maledicta dies V.ª idest, sz. sequerer sensualitatis horrorē, tempori nativitatis meę maledicerem.

Hactenus versati sumus circa quatuor expositiones literales, scilicet tres Sancti Thomę, et unam Magistri Nicholai commentatoris; superest autem, ut cum opinione Divi Gregorii processum claudamus, pro quo

3º notandum, quod Beatus Gregorius in Moralibus li. 4. aliter quam dictum est exponit verba, quibus Iob maledixit diei suo, et quę sequuntur, ait enim: quod verba Iob non possunt literaliter intelligi, primo quia eius verba videntur omnino esse verba hominis, non solum impatientis, sed etiam desperantis; est autem necesse dicere, quod Iob non cecidit a virtute patientię; 2um quia post ultimā flagellationē, uxore sua provocante eum, ad

ad impatientiā corripuit eam, et de patientia admonuit; tum quia in ipso impetu passionum patientissime respondit dicens: Dominus dedit, et infra: sicut Domino placuit, factum est, scilicet ut bonus servus solas divitias reputaret sui Domini voluntatem; tum etiā quia in fine libri Dominus Eliphaz Themanitē loquens dixit: iratus est furor meus in te, et in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Iob. Secundo quia si verba Sti Iob acciperentur ad literam, continēt, ut ait, impossibilia, et irrationabilia; nimirum, quia dicendo pereat dies, in qua natus sum, et irrationabile, et impossibile dicit, quia dies illa iam praeterierat, nec redire poterat, unde et maledicere ei videtur irrisione dignum; et eodē modo dicendum de illo quod addit dicens: dies ille vertatur in tenebras, unde non videtur, quod Iob sanctus, patiensque hoc ad litteram intelligeret; propter quę, et alia similia

concludit Beatus Gregorius, quod S.tus Iob locutus est enigmatice, et parabolice, unde et mistice exponit totum textum capitulũ; quę expositio quia per quam longa est Lectoris solertię, ac labori relinquitur.

Superest autem, ut ad argumenta principalia in contrarium facta respondeamus. Ad 1.um dicendum, quod in diabolo potest considerari natura, et culpa; natura quidẽ eius bona est, et à Deo, nec licet eã maledicere; culpa autẽ eius est maledicẽda iuxta illud Iob. 3: maledicant ei, qui maledicunt diei. Quando autẽ peccator maledicit diabolo propter culpam se ipsum simili maledictione dignũ condemnat, et secundum hoc dicitur maledicere Animã suã; potest igitur maledici diabolo propter culpam, et idem erit de quacũque simili rationali creaturæ; irrationalis autẽ creatura potest maledici ratione in primo notabili explicata.

Ad 2.um dicendum, quod affectus peccãtis, et si ipse non videatur potest tamẽ percipi ex

ex aliquo manifesto peccato pro quo poena est infligenda, similiter etiam quamvis scixi non possit, quem Deus maledicat secundum finalem reprobationem potest tamen sciri quis sit maledictus à Deo secundum reatum præsentis culpæ; Undequum creaturæ irrationales sint naturali ordine propter rationales, licet sua natura sint bonæ, in ordine tamẽ ad hominem possunt esse malæ, et vt tales maledici, vt late in 1º. notabili declaratum est.

Ad 3um. dicendum, quod licet creatura irrationalis non sit susceptiva culpæ, aut poenæ in se, potest tamẽ cadere in poenam, vel punitionẽ, vel significationẽ creaturæ rationali, et sic potest maledici, vt in 1º. notabili dictũ est.

Ad 4um. per responsionem ad 1um. patet solutio.

Ad 5um. dicendum, quod creaturæ irrationali permanenti, vel transeunti potest maledici absque nota otii, vel vitii secũdũ tres expositiones litterales Sti. Thomæ, quæ ponũtur in 1º. et 2º. notabili; vel secũdum misticã expositionẽ Bti. Gregorii, quæ in 3º. notabili tacta est.

Qvæstio.

Circa librū Psalmorū solet 1º quæri, vtrū David fuit eximius, aut excellētior Prophetarū.

Et videtur quod fuit. Primo quia in principio Glossæ super Psalterium dicitur: alii Prophetæ per quardam rerum imagines, atque verborum tegumēta prophetaverunt: David autem solius spiritus Sti. instinctu sine omni exteriori adminiculo suam edidit prophetiam.

2º quia 2 Reg. 23 dicitur: mihi locutus est fortis Israel, et additur: sicut lux auroræ oriente sole mane absque nubibus rutilat, quod dicitur de David; visiones enim imaginariæ, et quæcumque signa visibilia sunt, quasi quædā nubes claritatem Solis excedentem virtutem visus nostri nobis contemperantes, ille enim est acutioris, ac fortioris visus, qui solis claritatem potest nudius intueri. Vnde ex David, qui absque talibus signis radium divinæ lucis capiebat, habuit excellentiorem prophetiæ radium. Vnde licet Moises eundē gradum ha-

bueris, ut dicitur Num. 12. Proloquia, et non per enigmata Deum videt, idest, absque figuris, et sensibilibus signis, tamē non habuit totiens, nec ita communiter tales illuminationes, sicut David.

3.° quia communiter tenetur, quod David plenius, et clarius expressit misteria Christi; sed lex, atque Prophetę ordinabantur ad Christum tanquā ad finem secundum illud Galat. 3: lex pedagogus noster fuit in christo. et Actuum 10 dicitur de Christo: huic omnes Prophetę testimonium perhiberit. Et Magister Moises in libro directionis perplexorum dicit: quod omnes Prophetę sunt locuti ad dies Messię. Unde quum finis sit nobilior his, quę sunt ad finem, Prophetia David videtur sortiri quamdam excellentiam ex hoc quod Christi misteria sic expressit, et ita alios Prophetas excellit.

4.° quia Beatus Gregorius omelia 1. sup. Ezechielē dicit, quod David clariorem cognitionem habuit, quā Moises: ergo ā fortiori habuit clariorē, quā ceteri, et ita fuit eximius Prophetarum.

In contrarium est, quia quod per excellētiam dicitur vni soli convenit, vnde 1°. Ethic. dicitur: transcēdens quidem in idē recidit sermo; sed Moises fuit excellentior Propheta, quam David, vt patet Deuteronom. vltimo quum dicitur: non surrexit vltra Propheta in Israel, sicut Moises &c.

2° idem videtur de Ioanne Baptista de quo ore Domini Mathei 11. dicitur: inter natos mulierū non surrexit maior Ioanne Baptista, qui etiam dominico ore nominatus est Propheta, et plusquam Propheta: ergo fuit excellentior, quam David.

3° tanto dicitur excellētior Propheta quanto maiora miracula fiunt per eū ad cō-firmationē suę Prophetię; sed per Iosue factū est, vt staret sol, et Luna, vt habetur Cāā 38. Et per Moisem, qui divisit mare rubrū, similiter per Heliam de quo dicitur Ecc.ⁱ 48: quis potuit tibi similiter gloriari, qui sustulisti mortuum ab inferis? non ergo David fuit

omnium Prophetarum.

Pro solutione dubii 1.° notandum, quod ad propheticã proprie dictam requiritur cognitio intellectiva secundum quod habetur Danielis 10: intelligentia opus est in visione; unde si alicui communicetur aliquid ad prophetiam pertinens absque tali intelligentia non dicitur Propheta, nisi forsitam valde large, et improprie; quod contingit tripliciter. Uno modo sicut in visione, sicut Pharao vidit spicas Gen. 41. et Balthasar manũ scribentem in pariete. Danielis 5. ille dormiens, iste vigilans; neuter tamen eorum fuit Propheta, quia visionẽ non intellexit; Sed Joseph, et Daniel, qui visiones intellexerunt, fuere Prophetę. Secundo modo contingit hoc in locutione; sicut Joan. 11. dixit Caiphas aliquid propheticum, scilicet expedit vobis, ut unus moriatur homo pro Populo, et non tota gens pereat, intendens solum dare consilium de morte Christi, quod esset expediens, quamvis esset iniusta, quia innocens Christus erat,

ne occasione accepta venirent Romani, et tollerent locum, et gentem; sed à Spiritu S^to. factum est, quod hoc consilium sic protulit, quod significaret mortem Christi futurā pro salu-te spirituali totius mundi, ipso Caipha hoc ignorante, et ob hoc proprie loquendo non fuit Propheta, sicut nec Asina Balaam fuit rati-onale animal, quamvis per linguā ejus fuerit prolatum verbum rationale, movente Angelo linguam ejus absque tamen cognitione asinę. Tertio modo contingit hoc in operatione, scilicet quando Spiritus S^tus impellit aliquē ad aliquid agen-dum, quod habet prosperum eventum, quam-vis homo sic motus hoc ignoret, sicut Judi-cum 11 dicitur de Jepte, quod irruit in eū Spi-ritus Domini, scilicet ad pugnandum contra filios Ammon; tamē non fuit sibi revelata vic-toria futura, et propter hoc non dicitur Propheta; Sed talis motus vocatur spiritus Sancti instinc-tus, qui secundum Doctores dicitur casus pro-phetię, id est, aliquid defficiens à ratione prophetię.

Igitur quia ad rationem veræ prophetiæ requiritur intelligentia, accipiuntur gradus prophetiæ secundum gradum varietatis intelligentiæ, quia ille gradus erit excellentior vbi ceteris paribus intelligentia erit clarior, dum tamē prophetiæ limites non transcedat, sicut contingit in Beatis.

Primus igitur gradus est quando cum visione alicui communicatur datur visionis intelligentia, sicut Hieremias vidit ollam succensam, et faciem eius ā facie Aquilonis, vt habetur Hierem. 1°. per quod intellexit significari exercitum Regis Babilonis venturū ad comburēdam Hierusalem.

Secundus gradus est, quando non fit talis visio, seu aparitio, sed auditur vox instruens de aliquo supernaturali, sicut 1° Reg. 3. samuel audivit vocem Domini sibi loquentis; nec tamen vidit aliquam effigiem sibi aparētem, quod patet ex hoc, quod credidit esse vocē Hely ipsū vocantis. Et iste gradus prophetiæ est excellentior primo, quia voces sunt magis signa veritatis,

quam prædictæ figuræ.

Tertius gradus est, quando non solum auditus vocis interveniens, sed etiam cum hoc apparet persona aliquid loquens, quapropter hic gradus est excellentior prædictis; Qui gradus variatur tripliciter, quia persona interveniens, vel apparens in aliqua effigie aliquando est homo, sicut 2. Machabeorum 15. ubi dicitur, quod Onias iam defunctus apparuit Iudæ Machabæo dicens ei de Hieremia Propheta similiter apparente: hic est, qui multum orat pro Populo, et universa sancta civitate Hierusalem &c.ª Aliquando est Angelus de quorum opportet exempla ponere, quia sunt crebra in sacra Scriptura; Nonnumquam vero est effigies Deum repræsentans, sicut Isaiæ. 6º vidi Dominum sedentem super solium excelsum &c.ª et sequitur: et audivi vocem Domini dicentis mihi: quem mittam &c.ª et iste tertius gradus prophetiæ est excellentior secundo, et secundus primo, sicut Deus est excellentior Angelo, et Angelus homine. Dicti autem gradus prophetiæ

aliquando fiunt in somno, et tunc dicuntur revelationes per somnia; Aliquando in vigilia, et tunc proprie dicuntur visiones; Ad modum autem, qui fit in somno reducitur prophetia, quæ fit in raptu, vel extasi, quia pro tunc vacat usu sensuum.

Quartus autem gradus prophetiæ proprie dictæ est quando sine apparitione alicuius figuræ, vel signi sensibilis capitur veritas intelligibilis de occultis per divinã revelationem, quomodo sunt factæ revelationes ipsi David, ut in 2.° argumento dictum est, nam ut dicit S.tus Thomas 2.2æ q. 174. a. 2. in Responsione per hoc ostenditur mens prophetæ sublimior, sicut in doctrina humana auditor ostenditur esse melioris intellectus, qui veritatem intelligibilẽ à magistro nude prolatam capere potest, quã ille, qui indiget sensibilibus exẽplis ad hoc manuduci.

2.° notandum, quod David potest comparari ad Prophetas novi testamenti, cuius-

modi fuerunt Apostoli, et sic David non fuit ex-
cellentior Prophetarũ, quia Apostoli fuerunt
de secretis divinis magis illuminati, et in ma-
iori plenitudine receperunt gratiã Spiritus
Sancti, vt probatur 2. Cor. 3; Si autem compare-
tur ad Prophetas veteris testamenti, sic adhuc
non fuit excellentior Prophetarũ, quod probat
Stus Thomas libro, et quæstione dictis articulo
quarto dicens; quod licet quantum ad aliquid ali-
quis Prophetarum fuit maior Moise, sim-
pliciter tamen Moises fuit omnibus alius ma-
ior; Nam in prophetiã consideratur, et cog-
nitio tam secundum visionẽ intellectualem,
quam secundum visionẽ imaginariam, et
denunciatio, et confirmatio per miracula.
Moises ergo fuit aliis excellentior, primo
quidem quantum ad visionẽ intellectualem,
eo quod vidit ipsam Dei essentiam, sicut Paulus
in raptu, vt tenet Augustinus 12. sup. Gen.
ad lit. et in libro de videndo Deum ad Paulinã,
vnde dicitur Num. 12. quod palam, non per enigmata

Deum vidit. Secundo quantum ad imaginariã visionem, quam, quasi ad nutum habebat, non solum audiens verba, sed etiam videns loquentem etiam in specie Dei, non solum dormiẽdo, sed etiam vigilando, vnde Ex.^i 33. dicitur, quod loquebatur ei Dominus facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum. Tertio quantum ad denunciationẽ, quia loquebatur toti Populo fidelium ex persona Dei, quasi de novo legem proponens. Alii vero Prophetę loquebantur ad Populum in persona Dei, quasi inducentes ad observantiam legis Moisi secundum illud Malachię 3: memento legis Moisi servi mei. Quarto quantum ad operationem miraculorum, quę fecit toti Populo infidelium, vnde dicitur Deuteronomii vltimo: non surrexit vltra Propheta in Israel, sicut Moises, quem nosset Dominus facie ad faciem in omnibus signis, atque portentis, quę misit per eum, vt faceret in terra Ęgypti Pharaoni, et õmibus servis eius, vniversęque terrę illius.

3º notandum, quod Magister Nicholaus in Postilla relinquens primo questionē indecisā, licet postea tenet probabiliter, quod David fuit excellentior; tamen circa rationes Sancti Thomę intendens dicit non eas valere ad propositum. Primo quia claritas cognitionis actum prophetādi excludens non potest constituere excellentiorē gradum prophetię, nam sic idem constitueret, et excluderet; sed visio divinę essentię exclusit actum prophetandi, sicut et actum Fidei, quia utraque est enigmaticus: ergo. Secundo quia si illa ratio Sancti Thomę valeret, sequeretur, quod Moises fuerit excellentior omnibus Apostolis, quibus non est concessum videre Divinā essentiam in vita presenti, preter Paulum; quod Btus. Thomas negat. Contra secundam rationem dicit, quod non valet; quia denunciatio prophetię est aliquid sequens propheticam cognitionē; unde non videtur variare gradum prophetię ex hoc, quod pluribus, vel paucioribus denūciatur. Et addit, quod eadem ratione 3ª ratio

S^{ti}. Thomæ non valet, quia confirmatio per signum sequitur prophetiam, unde et Joannes Baptista nullum signum fecit, ut dicitur Joa. 10. et tamen concedit Thomas, quod fuit maior Propheta, quam Moises.

1. notandum pro solutione argumentorum Magistri Nicholai, et confirmatione opinionis S^{ti}. Thomæ, quod non fuit intentio S^{ti}. Thomæ ex clara visione Divinæ essentiæ, quam habuit Moises, probare prophetiam Moisi fuisse excellentiorem, aut perfectiorem prophetia David, sumendo prophetiam secundum propriam, et formalem rationem eius; nam quod prophetia secundum formalē rationem dicat enigmaticam cognitionē secundum aliquem modū, et quod clara visio Divinæ essentiæ, ut sic rationem propriam prophetiæ excedat, expresse docuit 2.2. q. 173. a. 1. et q. 174. a. 5. et verit. q. 12. a. 7. et 12. et in pluribus aliis locis; sed intellectus eius fuit, quod quia Moises vidit Divinā essentiam, excellentior Propheta fuit, quam

David, quantum ad ratione generis prophetię, quod est cognitio, idest, quod fuerit excellentior cognitio Moysi cognitione David, quamvis propter divinę essentię clariorem visionem cognitio illa Moysi minus proprie dicatur prophetia. Et quod hęc distinctio de ratione prophetię generica, et specifica fuerit de mente S.ti Thomę expresse habetur in quęstionibus de verit. q. 12. a. 12. in corpore q.ᵉ ubi sic dicit: dicendum, quod quum natura speciei constet ex natura generis, et differentię, ex utraque potest pensari dignitas speciei secundum quas duas considerationes inveniuntur aliqua in dignitate excedere se invicem; quantum pertinet ad rationem speciei semper illud participat perfectius speciei rationē in quo differētia formaliter speciem constituens nobilius invenitur; sed simpliciter loquendo quandoque est nobilius id in quo natura generis est perfectior; quandoque id, in quo perfectius est natura differētię; quum enim natura differētię addit aliquā perfectionem

supra generis naturam preeminētia, quę est ex parte differentię facit aliquid esse simpliciter nobilius, sicut in specie hominis, quę est animal rationale, ille est simpliciter nobilior, qui est potior in rationalitate, quam qui est potior in his, quę ad rationem animalis spectant, ut pote sensus, et motus et cetera huiusmodi. Quando vero differentia aliquam imperfectionem importat, tunc id, in quo est perfectius, natura generis est simpliciter nobilius, ut patet in Fide, quę est cognitio enigmatica eorum, scilicet quę non videntur; Qui enim habundat in natura generis, et defficit in speciei differētia, ut pote fidelis, qui iam percipit aliquē intellectum credibilium, et quodam modo iam ea videt, habet quidem simpliciter nobiliorem Fidē eo, qui minus cognoscit; et tamen quantum ad rationē Fidei pertinet magis proprie habet Fidem ille, qui omnino non videt illa, quę credit; et sic etiam est in prophetia; prophetia enim videtur esse quędam cognitio obumbrata, et obscuritati admixta secundum id, quod habetur

2. Pet. 1º habetis firmiorem propheticum sermonem. Hæc S.tus Thomas, et concludit; quod si comparemus prophetias, quantum ad differentiam, quæ ratione prophetiæ complet, illa invenitur habere magis propriè perfectionem prophetiæ, cui imaginaria visio admiscetur, sic enim veritatis propheticæ cognitio obumbratur; Si autem comparemus prophetias secundum id, quod pertinet ad naturam generis, scilicet cognitionē, vel visionē, concludit Sanctus Thomas, quod illa prophetia est perfectior, quæ habet Iudicium, et acceptionē supernaturalem secundum visionē intellectualē sine imaginaria visione. Cui conclusioni consonat, quod dicit 2.2. q. 174. a. 2; dicit enim: dignitas eorum, quæ sunt ad finē præcipue consideratur ex fine; finis autem prophetiæ est manifestatio alicuius veritatis supra hominem existentis, unde quanto huiusmodi manifestatio est potior, tanto prophetia est dignior. Constat autem, quod manifestatio divinæ veritatis, quæ fit per nudam contemplationem ipsius veritatis

potior est, quam illa, quæ fit sub similitudine corporalium rerũ, magis enim appropinquat ad visionem propriè secundum quam in essentia Dei conspicitur veritas; et inde est, quod prophetia per quam aliqua supernaturalis veritas conspicitur secundum intellectualẽ visionẽ dignior est, quam illa, in qua veritas supernaturalis manifestatur per similitudinẽ corporaliũ rerum secundum imaginariam visionem. Hæc Sanctus Thomas.

Ex quibus manifestè apparet, quod aliquis dici potest excellentior Propheta altero, qui tamẽ minus propriè, et non secundum formalem rationẽ recipit denominativam prædicationem prophetiæ; in quo sensu accipienda sunt verba S^ti. Thomæ in loco præallegato de comparatione Moisis ad alios prophetas, quando dixit, quod Moyses ea ratione fuit excellentior ceteris Prophetis veteris testamenti, quia vidit ipsam Dei essentiam; Non enim intellexit, quod ab illa clara visione denominaretur Moyses Pro-

pheta magis proprie, et formaliter quam David
et cæteri; sed quod sit excellentior Propheta,
scilicet quantum ad naturam generis, id est, digni-
tas, et perfectior cognoscens, et videns, eo quod
in prophetia, et Fide, et similibus, quæ ex sua
specifica differentia dicunt imperfectionem;
tota dignitas, et præeminentia accipitur, sim-
pliciter loquendo ā natura generis, ut dictum
est; non enim ex eodem est, quod aliquis de-
nominetur proprie, et formaliter Propheta,
et excellentior Propheta; unde S.tus Thomas
2.2.æ q. 174. a. 2. ad 3.um sic dicit: nihil prohi-
bet aliquid esse simpliciter melius, quod
tamē minus proprie recipit alicujus prædi-
cationē, sicut cognitio Patriæ, est nobilior, quā
cognitio viæ, quæ tamē magis proprie dicitur
Fides, eo quod nomen Fidei importat imper-
fectionem cognitionis, similiter autē prophetia
importat quandam remotionem, et obscuritatē
ab intelligibili veritate, et ideo magis proprie dicū-
tur Prophetæ, qui vident per imaginariā visionē,

quamvis illa prophetia sit nobilior, quę est per intellectualē visionē, dum tamē utrobique sit eadem veritas revelata. Hęc Sanctus Thomas. Si vero fiat instantia contra hoc, quod eadem ratione Beati in patria existentes poterunt denominari excellentiores Prophetę, id est, perfectius videntes, et cognoscentes, respondet S.^tus^ Thomas argumento quinto prędictę quęstionis: Ad 5um dicendum, quod visio illa Moysi fuit raptim per modum passionis, non autem permanens per modum beatitudinis, unde adhuc videns erat procul propter hoc non totaliter talis visio amittit rationem prophetię. Hęc ille.

Ex qua solutione duo accipiuntur. Unū est quod secundum intentionem S.^ti^ Thomę in illa visione clara divinę essentię propter quam Moyses dicitur excellentior Propheta cęteris modicum fuit de formali, et propria ratione prophetię; quod patet quum dicat, quod talis visio non totaliter amisit rationē prophetię, quasi significans, quod multum de formali

ratione prophetię acciderit, quod multum fa-
cit ad mentem S.ti Thomę intelligendam. Secun-
dum quod ex prędicta solutione sequitur est
quod actus claræ visionis Divinæ essentię non
omnino prohibet quin sic videns possit dici
Propheta, si sit viator; et huius ratio est, quo-
niam et si videns in illo actu videndi non sit
procul ab ęterna veritate in se ipsa, est tamē
procul secundum statum suum, quum non-
dum ad vltimam perfectionē, et coniunctionē
pervenerit; Vnde Apostolus 2. Cor. 5: quamdiu
in corpore sumus peregrinamur à Domino.
Est etiam sic videns procul à communi ho-
minum sensu, cum quibus conversatur, quę
distantia consequitur prophetam tam in-
trinsice, et de per se, quod sola illa sufficit
ad hoc, quod supernaturaliter videns denomi-
netur Propheta. Vnde S.tus Thomas 3. p. q. 5. a. 8.
arguit secundo sic: sicut Fides est eorum,
quę non videmus, et spes eorum, quę non ha-
bemus, ita prophetia est eorum, quę non sunt

præsentia, sed distans, nam prophetia dicitur quasi procul fans; Sed in Christo non ponitur Fides, nec spes: ergo prophetia in eo poni non debet.

Ad quod respondes, quod Fides est eorum, quæ non videntur ab ipso credente, et similiter spes est eorum, quæ non habentur ab ipso sperante; sed prophetia est eorum, quæ sunt procul à communi hominum sensu cum quibus Propheta conversatur, et communicat in statu vitæ; et ideo Fides, et spes repugnant perfectioni Beatitudinis Christi, non autem prophetia ratione illa.

Ex quibus facile respondetur ad argumenta Magistri Nicholai contra Sanctum Thomam. Ad 1um dicitur, quod maior est vera de illa claritate cognitionis, quæ simpliciter excludit actum prophetandi; sed minor est falsa in proposito nostro, nam visio Divinæ essentiæ qualem habuit Moyses non excludit actum prophetandi simpliciter, ut dictum est; tum quia fuit raptim, et per modum passionis; tum etiam, quia fuit viatoris procul

existentia ab ęterna veritate secundum sta-
tum suum; imò claritas talis visionis con-
stituit excellentiorem gradum prophetię quan-
tum ad rationem generis ipsius prophetię, de
quo modo excellentię intellexit S^tus Thomas, ut dictum est.

Ad 2um negatur consequentia; nam
et si alii Apostoli Christi pręter Paulum non
habuerint in hac vita claram divinę essentię
visionem, omnes tamen habuerunt per doc-
trinam Christi, et revelationem Spiritus
Sancti pleniorem notitiam de mysteriis Fidei,
et rebus divinis, quam Moyses, et ceteri Pro-
phetę veteris testamenti. Post adventum
enim Christi maior fuit plenitudo gratiarum
quam ante, quia gratia et veritas per Iesum
Christum facta est. Ioa. 1., unde Mathei 13.
Dominus dicit Apostolis: vobis datum est nosse
mysterium Regni coelorum, et infra: multi
Prophetę, et Iusti cupierunt videre, quę vi-
detis, et non viderunt, et audire, quę auditis, et
non audierunt; quod exponens Hilarius ait:

Apostolici temporis Beatitudinē docet, quorum ocu-
lis, atque auribus contigit salutare Dei vi-
dere, et audire Prophetis, atque Iustis cupien-
tibus audire, et videre in plenitudine tempo-
rum destinatum; et inde est, quod Apostolus
dicebat Ephes. 3: aliis generationibus non est
agnitum filiis hominum sicuti nunc re-
velatum est sanctis Apostolis eius, et Prophe-
tis in spiritu; et ad Rom. 8. de se, et aliis Apos-
tolis dicit: sed et nos primitias spiritus ha-
bentes, idest, perfectionem spiritualium gra-
tiarum; Ideo dicit Gregorius, quod secundum
successionem temporis crevit Divinę cognitio-
nis augmentum.

Nec clara visio essentię Divinę, quam
raptim habuit Moyses, arguit efficaciter, quod
in eo fuerit cognitio prophetica excellentior, quā
in Apostolis, aut quod plura de Divinis misteriis
in ea cognoverit, quoniam videntes Divinam
essentiam etiam Beati, non omnia vident in
ea: quanto igitur pauciora videbunt, quiquodā

privilegio ad talem visionem elevantur dum

in hac vita mortali vivunt. Et est ratio spe-

cialis de Moyse, quia ut Doctores communi-

ter dicunt, sequentes Augustinum: Moyses ad-

huc vivens ad divinę essentię visionem ad-

missus fuit eo, quia erat Doctor Iudęorum,

unde tantum de rebus cognoscendis in ea

visione ostensum videtur ei quantum oporte-

bat pro tempore illo Populo Iudęorum tradi;

Nam Fidei doctoribus datur manifestatio spi-

ritus ad utilitatem 1. Cor. 12. unde satis vide-

tur constare, quod Paulus in raptu videns

Divinam essentiam, plura viderit in ea

de misteriis Fidei, et clariorem de eis ha-

buerit cognitionem de eis, quam Moyses

quando habuit similem divinę essentię vi-

sionem; quia Paulus tempore plenitudinis

gratię habuit illam; Non enim tempus post

adventum Christi appellatur tempus gratię

revelatę, nisi quia in eo copiosior facta est

revelatio misteriorum gratię. unde nulli Patrū

veteris testamenti, nec etiam Apostoli tot mysteria Fidei, et tam explicite revelata sunt, ut egregie deducit S^tus Thomas 2.2. q. 1. a. 7. et q. 174 a.^o ultimo, ubi dicit, quod Apostoli plenius instructi de simplicitate Divinę essentię, quam alii Patres veteris testamenti; sed postmodum tempore gratię ab ipso filio Dei revelatum est mysterium Trinitatis. Idem dicit Eusebius exponens illud Luc. 8.º exiit, qui seminat &c.; Ait enim Apostoles etiam et Prophetę post eum: non inseruerūt hominibus Regna cœlorū, sed retrahendo incipientes ab errore nequitię, et Idolorum cultu, quasi colebant Animas hominum, et novalia redigebant; solus autem omniū sator verbum Dei exivit evāgelizaturus nova semina, scilicet mysteria Regni coelorum. Hęc ille.

Ad argumenta vero contra 2^am. et 3^am. rationem S^ti. Thomę dicitur, quod non aliud probant, nisi quod gradus essentiales prophetię non variantur secundum diversum

modum enunciationis, aut confirmationis per miraculum; sed non obstant, quin ex earum diversitate accipiantur diversi gradus dignitatis, et perfectionis prophetię, tanquam ex quibusdam sibi accidentibus; nam nec in rebus naturalibus tota pulchritudo perfectionis, quę debetur rei, est sibi ā forma substantiali, quę dat speciem, sed multum superadditur ex supervenientibus accidentibus sicut in homine ex figura, et colore, et aliis, quorum si aliquod derit, contingit malum, et deffectus; nec etiā in actionibus tota plenitudo perfectionis, et bonitatis consistit in earum specie, quę sumitur ex obiecto; sed aliquid additur ex his, quę adveniunt tanquā accidentia, quę dicuntur circunstantię; unde si desit aliquid, quod requiratur ad debitas circunstantias, sequitur actio mala, et defficiens.

Quod autem Magister Mathias in favorem Magistri Nicolai addit, scilicet quod gradus rei est ipsi rei modus intrinsecus, qui

per nihil extrinsecum potest variari, nullam habet difficultatem, sed est eiusdem inutilis repetitio; unde dicitur, quod veritatem habet de gradu rei essentiali, et specifico, quem gradum S.tus Thomas dixit variari secundum maiorem, et perfectionem illustrationē lumi-nis prophetici; Sed gradus accidentales non sunt ipsi essentię intrinsici, quapropter et ā causa extrinseca essentię rei consequiset variari possunt. Et si dicatur, quod gradus rei, et si sit modus extrinsecus essentię, saltem est ipsi rei intrinsecus, idest, inhęrens; Non obstat, quia etiam si denunciatio, et confirmatio per miracula sint extrinseca prophetię, ordo tamen prophetię, et relatio ad ea, sicut ad finem, est quid inhęrens prophetię, et intrinsecū, quāvis non de eius essentia, et ex illo ordine diverso variatur gradus, qui est modus intrinsecus prophetię. Et est simile, quod in alio propo-sito dicit S.tus Thomas 1. 2. q. 18. a. 4. ar-gu-

merito 2: bonitas actus est aliquid in ipso exis-
tens; finis autẽ est causa extrinseca; non igi-
tur secundum finẽ dicitur actio bona, vel mala;
et respondet: dicendum quod quamvis finis
sit causa extrinseca, tamẽ debita proportio,
et relatio ad finem inhæret actioni.

Quod autem addit Magister Mathias,
quod denunciatio prophetiæ vni, vel pluribus
non solum est accidens extrinsecũ, sed accidẽs
per accidens, non est verum, nam vt dici-
tur 2. Phisic. causa per accidens est ad quam
effectus, qui sequitur, nullum habet ordinem;
sed prophetia ad denunciationẽ ordinatur tã-
quam ad finem secundum illud 1a. Cor. 12: vni-
cuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatẽ;
et ca.o 14: qui prophetat hominibus, loquitur
ad edificationem, et exortationẽ, et consolationẽ;
Vnde et Isidorus 7. ethim. ca.o 8. dicit: quod Pro-
phetæ dicuntur, quasi præfatores, eo quod porro,
id est, à remotis fantur, et de futuris vera præ-
dicunt: Cum ergo prophetia ordinetur ad

denunciationem, et utilitatem, sequitur, quod dignior sit illa, quę ad utilitatem plurium pluribus denunciatur; quoniã secundum Dionisium, et Philosophum primo ethicorum bonum plurium est melius, et dignius, quam unius.

Similiter et ad id quod Magister Mathias addit de confirmatione, quę fit per miracula, dicendum, quod quamvis facere miracula sit accidens extrinsecum non consequẽs neccessario spiritum propheticum, quia tamẽ ordinatur ad confirmationem prophetię secundũ illud Marci ultimo: Domino cooperante, et sermonem confirmante sequẽtibus signis; multum confert ad eius dignitatem, ac per hoc perfectio, et excellentia prophetię merito variatur secundum diversum modum, et genus miraculorum. Dictum est enim, quod ex accidentibus, quę etiam extrinseca rei sunt, aliquid dignitatis ipsis rebus accedit; unde ad excellentiam Moisi inducuntur Deuteronomii ultimo miracula, quę per eum sunt facta;

dicitur enim: non surrexit Propheta ultra in Israel, quem noverit Dominus facie ad faciem in omnibus signis, atque portentis. et inde est, quod Eccⁱ. 48. dicitur, quod corpus Helisei mortuum prophetavit, id est, miracula fecit, et caº. 49. dicitur de Joseph, quod ossa ipsius visitata sint, et post mortem prophetabant, id est miracula faciebant; accipitur enim prophetare pro miracula facere, quia operatio miraculorum confirmat prophetiam.

Quod autem Magister Nicolaus addit de Joanne Baptista, quod scilicet nullum signum fecit; et tamen ponitur à Sancto Thoma excellentior Moyse, et ceteris veteris testamenti, unde probat, quod eius prophetia non habuerit illam perfectionem, quę accrescit prophetię ex confirmatione miraculorum; excelluit tamē Prophetas veteris testamenti in aliis duobus, scilicet in cognitione, quam habuit expressiorem, et perfectionē, et denunciationem digniorem; ipse

enim Christum Filium Dei, et mundi salvatorem cognovit explicite nonsolū in spiritu, sed præsentialiter, unde dixit: ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi Ioa. I.° et infra: et ego vidi, et testimonium perhibui, quia hic est filius Dei. Item missus est præcursor, et denunciator adventus Christi toti Populo Iudeorum, quibus præparavit viam, nec a longe, ut ceteri Prophetæ, denunciavit, sed quem denunciabat digito ostendit iuxta illud Zachariæ Lu. I. et tu puer Propheta altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias eius; ubi dicit Chrisostomus: alii enim Prophetæ eminus Christi misterium prædicaverunt, hic vero comminus, ut eum ceteris indicaret. Et quamuis adhæc duo ponitur a Sancto Thoma Ioannes Baptista excellentior antiquis Prophetis, non quantum ad miraculorū confirmationem, non enim est neccessarium, ut qui dicitur excellentior Propheta præcelat ceteros in omnibus,

quę ad Prophetam secundumque pertinet.

Quod autem non fecerit miracula non quidem ab re fuit. Primo quia eius vita fuit à Deo clara, ut confirmatione miraculorũ non egeret. Secundo, quia videbantur eius dicta evidenter impleri in Xpto. cui tanquam principaliori miracula reservabat. Et ad hoc potest applicari illud verbum de Ioanne, quod Dominus dixit, quod erat plus quam Prophetes; nam cęteri indigebant confirmatione miraculorum, ipse non, licet verbum illud aliam habeat intelligentiam.

Ad argumenta in contrarium ex dictis patet responsio. et primo ad 1um. quod illa Glosa, licet videatur dicere, quod alii Prophetę sunt vaticinati per varias rerum imagines &a. non tamẽ includit inter eos Moysẽ, ambo enim scilicet Moyses, et David attigerunt revelationẽ intelligibilem, et supernaturalem veritatis absque imaginaria visione; Tametsi visio Moisi fuerit

excellentior, quantum ad cognitionem Divinitatis, sed David plenius cognovit, et expressit misterium Incarnationis Christi.

Ad 2um. dicendum, quod si David comparetur ad illos Prophetas, qui per sensibiles figuras prophetaverunt, excedit eos in gradu prophetiæ, quia prophetia sua, quæ sine talibus figuris habetur excellentioris gradus; sed in hoc non habet locum super Moysē, qui eundē modum intelligendi supernaturalem veritatē sine talibus similitudinibus habuit. Nec obstat, quod Magister Nicolaus etiam in hoc gradu prætulit ipsum David Moysi dicens: quod Moyses non habuit totiens, nec ita continuiter, sicut David, tales illuminationes; nam hoc non constat aliqua auctoritate, sed nec verisimili ratione apparet, nam si psalmi ā David editi, et prophetiæ in pentatheuco conscriptæ per Moysem pensitentur, multo superat Moyses, et etiam si in quolibet Psalmo requirebatur

nova illustratio, eadem ratione requireretur in qualibet prophetia Moysi. Nec videtur verisimile quod qui cum Deo tantam habuit familiaritatem, quanta narratur ex.^o 33. haberet pauciores illustrationes, quam David, de quo non legitur, sicut de Moyse, quod loquebatur ei facie ad faciem, sicut amicus amico suo, imo legitur, Deum misisse Nathan ad David, ut ei aliqua revelaret 2. Reg. 7. et 12. et 1. Reg. 22. et 2. Reg. 2. legitur missus Propheta Gad ad David, ut eum de futuris instrueret; Moyses vero non legitur instructus, nisi à Deo, vel Angelo.

Ad 3um. dicendum, quod licet talis excellentia sit vera, non tamē concludit excellentiā prophetiæ simpliciter, sed secundum quid; excellentia enim prophetiæ Moysi ex omnibus, quæ ad efficacem prophetiam communiter requiruntur, consurgit, unde simpliciter debet dici excellentior; excellentia autem prophetiæ David ex maiori ex-

prævisione misteriorum Christi tantum
consideratur, quæquidem consideratio est se-
cundum quid; nec forte secundum hanc con-
sideratiõe posset dici excellentior ceteris
Prophetis; nam de Isaia dicit Hieronimus
in prologo super eum, quod ita vniversa Chri-
sti, ecclesieque misteria ad liquidum prosecu-
tus est, vt non eum putes de futuro vati-
cinari, sed de preteritis historiam texere;
videtur igitur quum maior excellẽtia sit
vniversa Christi, et ecclesię misteria in
liquidũ redigere, quam illud, quod Doctores
de David tradunt, de quo non vniversali-
ter, sed indiffinite loquuntur, quod Isaias
esset preferendus David; Nec tamẽ ob hoc
dicitur Isaias eximius Prophetarum;
Nec est preferendũ, quod Moyses omnia
Christi misteria implicite est vaticinatus,
scilicet figuraliter, quum iuxta sententiã
Gregorii totum novum testamentum contine-
tur in veteri, sicut Rota in medio Rotę.

Ad 1um. dicendum, quod auctoritas Gregorii intelligenda est, quod David clarius expressit misteria Christi modo, et ratione prædictis; præterea quod Glosa dicit David fuisse eximium Prophetarum, intelligendum est Agiographorum, quia ipse inter Agiographos ab Hieronimo computatur; unde 2. Reg. 23. ubi tota excellentia illustrationis ipsius David habetur, dicitur: spiritus Domini locutus est in me &c. ibi intitulatur egregius Psalmista Israel, et est nota dignum, quod non dixit egregius Propheta.

Ad argumenta autem, quæ in contrarium obiiciebantur, non erit ab re respondere. Ad 1um. quod non est inconveniens, quod aliquid respectu alterius ob aliquam prærrogativam unius, et aliam alterius se habeat, ut excedens, et excessum; inde enim est, quod de singulis confessoribus cantat Ecclesia: non est inventus similis illi, quod sumptum est ex Ecclesiastico 44 cap. unde de Helia Propheta dicit Ecclesiasticus ca. 48: qui poterit tibi similiter gloriari; et ideo licet in

aliquo David præcedat Moysem, tamẽ simplici-
ter vt dictum est, exceditur ab eo; Nec obstat ex-
positio Magistri Nicolai, quum dicit verba illa
Deuteron. vltimo: non surrexit vltra Prophe-
ta in Israel, sicut Moyses, esse intelligenda
vsque ad tempus Iosue tantum, quia si sic, di-
xisset potius vsque in hodiernum diem; sed
quum dicit: non surrexit vltra, denotat exclusio-
nem respectu futuri temporis; Nec ideo com-
prehenduntur ministri novi testamenti, quia
status antiquorum in scripturis sub quodam
saeculo, quasi perpetuo sępe nominatur, vt Num.
18. cap.º dicitur: legitimum sempiternum erit
vobis, quod profecto non transivit ad tempus no-
vę legis.

Ad 2um. respondet Stus. Thomas 22. q. 174.
a. 4. 3um. quod Ioannes pertinet ad novum tes-
tamentum, cuius ministri pręferuntur etiã
ipsi Moysi, quasi magis revelatę speculantes, vt
habetur 2. Cor. 3.

Ad 3um. respondet Stus. Thomas in libro,

quæstione, et articulo dicitur ad 2um. quod illa signa illorum Prophetarum fuerunt maiora, quam signa Moysi secundum substantiam facti; sed miracula Moysi fuere maiora secundum modum faciendi, quia sunt facta toti Populo fidelium ex persona Dei, quasi de novo legem proponent; alii autem Prophetæ loquebantur ad Populum ex persona Dei, quasi inducentes ad observantiam legis Moysi secundum illud: mementote legis Moysi servi mei. Mal. 3; nec tamē in hoc solo præcelluit Moyses, sed in multitudine miraculorum, et in clara visione divinæ essentiæ, et rerum supernaturalium sine figuris, et similitudinibus sensibilibus visione, et multis aliis.

QUÆSTIO.

Secundo solet quæri circa autorem omnium Psalmorum utrum fuerit unus, scilicet David, an plures proni in Psalmorum titulis inscribuntur.

Et videtur quod fuerit unus, scilicet David. Primo quia David in duobus excessit alios Pro-

phetas; primo quia non per figuras, et sensibilia signa prophetavit, sicut ceteri; Secundo quia plura Christi misteria, et clarius prodidit; seditque eius excellentiæ inveniuntur in Psalmo 2. et in multis aliis, qui aut sunt sine titulo, aut titulis aliorum sunt inscripti: ergo quum singularis modus prophetandi arguat singularitatem Prophetæ, omnes Psalmi sunt tribuendi David.

2.º quia si Psalmus non haberet certum titulum ob hoc non esset ipsi David tribuendus pari ratione omnes, qui sine titulo sunt ei, ut actori non tribuerentur; sed hoc est manifeste falsum, nam Psalmus 95. qui incipit: cantate Domino canticum novum cantate &c.ª et Psalmus 104. qui incipit: confitemini Domino, et invocate nomen eius, sunt sine titulo in Psalterio secundum hebraicam veritatem; constat autem, quod eorum actor fuit David 1. Paral. 16. quia ambo Psalmi iuncti ibi attribuuntur David: ergo David fuit actor omnium Psalmorum.

3°. nam si Psalmus, qui alteri præter David intitulatur, non debet attribui ipsi David tanquam actori, pari ratione omnes Psalmi alii à David intitulati non ascriberentur David, ut actori; sed hoc non constat, quia Psalmus 71. qui incipit: Deus Iudicium tuum, intitulatur Salomoni, et non David, et tamen videtur actor dicti Psalmi David, quod patet, quia in fine dicti Psalmi dicitur: completæ sunt orationes David filii Isai, unde patet, quod David fecit dictum Psalmum, et non Salomon; nam ridiculo dignum foret dicere in fine evangelii secundum Lucam: completum est Evangelium secundum Ioannem.

In contrarium est opinio Hieronimi, qui in quodam prologo super Psalterium ponit 10 actores Psalmorũ, scilicet Moysem, David, Salomonem, tres filios Chore, Asaph, et Ham, Eman, Idithum; dicit etiam, quod præter istos fuerunt multi sancti Prophetæ actores quorumdam Psalmorum, quorum nomina ignorantur; et ideo aliqui Psalmi sunt sine titulo, et alii ha-

benter titulum non exprimunt nomina actorũ;
unde quũ Beatus Hieronimus fuerit studiosior
circa textum Sacrę Scripturę, quam ceteri Doc-
tores magis videtur ei assentiendum.

2.° quia Magister Salomon Hebreus
super principium Psalterii ponit 10 actores
Psalmorum, scilicet Melchisedech, Abraam, Moy-
sem, David, Salomonẽ, et Asaph, tres filios chore,
et Idithũ, et sic differt in aliquo a Hieronimo,
quia addit Abraã, et Melchisedech, et ommittit
Eman, et ethã.

3.° quia Magister Nicolaus in comẽ-
tariis super primũ Psalmum, et in multis
aliis locis maxime super alios Psalmos, et non-
nulli catholicorum in hac controversia inter
Augustinũ, et Hieronimum sequuntur Hieronimũ.

Licet autem non faciat ad solutionem
dubii id, quod statim dicturus sum, facit tamen
ad instructionem, et doctrinam eorum, qui
libros Psalmorum tractant, et de eorum differen-
tiis disputant: igitur.

Primo notandum, quod Beatus Hieronimus ter transtulit Psalterium primum scilicet iuxta 70 interpretes, quod dicitur Psalterium Romanum, eo quod Romę fuit factum, et ideo ecclesia Sti Petri Romę eo utitur, de quo in prologo super Psalterium dicit Hieronimus: Psalterium Romę dudum positus emēdaram, et iuxta 70 interpretes, licet cursim magna tamē ex parte correxeram; et hęc proprie non videtur translatio, sed translationis ab altero, etiam corruptę emendatio, ut ex verbis Hieronimi in dicto prologo satis aperte colligitur; Transtulit autem Psalterium post dictam emēdationem non multum ab illa emēdata prędicta distans, et tamē aliquanto magis Hebraico propinquans, quod vulgo dicitur Psalterium Gallicanum, quia Damasus Papa rogatu Hieronimi fecit illud cantari in ecclesiis Gallicanis; et de hoc dicitur in regula minorum: Clerici faciunt divinum officium secundum ordinem Romanę ecclesię, excepto Psalterio, quoniam

fratres utuntur Psalterio Gallicano, quod est valde conforme Psalterio Græco, et est commune apud omnes fere Ecclesias Latinas; Transtulit aliàs vice ad preces Sophronii, qui crebro disputabat cum Judæis, qui solum recipiunt illud, quod est in Hebræo, quæ translatio fuit immediate accepta ab Hebræo, et ni fallor fuit potius translata verbum è verbo, quam sensus ex sensu, et vocatur Psalterium Hieronimi iuxta Hebraicam veritatem.

2.° notandum, quod circa auctorem Psalmorũ est satis famosa Augustini, et Hieronimi, ac sequacium utriusque controversia; nam Augustinus in prologo super Psalmos tenet 150 Psalmos ã David factos, sed solos novem ab eo editos, id est, proprio ore decantatos, vel recitatos, et quod alios ab aliis recitari fecit; nam ut ibi dicit Augustinus ipse David ex omni Populo quatuor Principes Spiritu Sancto mundatos elegit, quorum nomina sunt Asaph, Eman, Ethan, et Ithium, ut in

quemcumque divinus spiritus instrueret hymnum Deo caneret. Item 17 civit. Dei ca.o 14. sic dicit: omnis fere prophetia David in Psalmis est quos 150, liber continet, quem Psalmorum vocamus, in quibus nonnulli volunt, eos solos factos esse a David, qui eius nomine inscripti sunt. Sunt itē qui putant, non ab eo factos, nisi qui prænotantur ipsius David; qui vero habent in titulis ipsi David, ab aliis factos, personę ipsius fuisse coaptatos; quę opinio voce Evangelica Salvatoris ipsius refutatur, ubi ait, quod ipse David in spiritu Christum dixerit esse suum Dominū, quoniam Psalmus centesimus nonus sic incipit: dixit Dominus Domino meo; et certe idem Psalmus non habet in titulo ipsius David, sed ipsi David, sicut plurimi alii. Mihi autem credibilius videtur existimare, qui omnes illos 150 Psalmos eius operi tribuunt, eumque aliquos prænotasse, etiam nominibus aliorum aliquid quod ad rem pertineat figurantibus; ceteros autem nullius hominis nomen in titulis

habere voluisse, sicut ei varietatis huius dispositionem quamvis latebrosam, non tamē inanem Dominus inspiravit. Nec movere debet ad hoc non credendum, quod nonnullorum nomina Prophetarum, qui longe post David Regis tempora fuerunt quibusdam Psalmis in eo libro leguntur inscripta, et quę ibi dicuntur, velut ab eis dici videntur. Neque enim non potuit propheticus spiritus prophetanti Regi David hęc, etiam futurorum Prophetarum nomina revelare, ut hos aliquid, quod eorum personę conveniret prophetice cantaret; sicut Rex Iosias exorturus, et regnaturus post annos amplius quam 300, cuidam Prophetę, qui etiā facta eius futura prędixit cum suo nomine revelatus est. Hęc Augustinus. Ex quibus facile conijcitur, quid sit dicendum de Psalmo 111. qui Aggeo, et Zacharię intitulatur, scilicet quod David spiritu prophetię prędvidit tempora rędificationis, et opera Prophetarum, et nomina, qui illud tempus, et opus illustrarunt

erant; licet posset dici secundum Magistrum

Nicolaum, quod titulus de Aggeo, et Zacharia non

est in hebraeo, nec in translatione Hieroni-

mi, sed fuit addita ab aliquo expositore pro suo

arbitrio. De Psalmo 89. qui ascribitur Moy-

si dicit Glosa ibidem, quod intitulatur ã Moyse,

non quia ab actore, sed quia fuit legislator

veteris testamenti, et Propheta novi; et in

hoc Psalmo aliqua tanguntur pertinentia

ad vetus testamentum, et aliqua ad novum,

ideo intitulatur ã Moyse, quamvis David

hunc Psalmum fecerit. Haec circa opinionẽ

Augustini. Circa aliam vero partem

3.º notandum, quod tenentes fuisse plu-

res actores Psalmorum iuxta opinionẽ Hiero-

nimi, et aliorum, qui cum eo conveniunt, di-

cunt, quod Psalmi diversorum actorũ non ponu-

tur in Psalterio separatim, scilicet singuli

unius actoris per se, sed permixtim, quia in-

ter Psalmos David ponuntur plures Psalmi

aliorum, et inter Psalmos aliorũ ponuntur aliqui

Psalmi David, vnde post Psalmũ 71. in cuius fine ponitur: completę sunt orationes David filii Isai, ponuntur plures Psalmi ab ipso David intitulati tanquam ab actore; et assignant rationẽ, quę est Hieronimi in vno prologo super Psalteriũ, dicentes, quod Psalmi, qui ã diuersis actoribus fuerunt compositi per longum tempus, fuerunt collecti in vnum volumen, et sicut inueniebantur, sic scribebãtur, quamobrem nonnulli Psalmi prius facti, posterius sunt scripti, quia tardius fuerunt inuenti. Et Psalmus primus, scilicet Beatus vir, qui non abiit in consilio, fuit, vt communiter tenetur, vltimo factus, et est omnibus prępositus, qui Psalmus in Hebraeo est sine titulo, vt dicit Hieronimus in prologo super Psalterium, vnde si in aliquibus libris inueniatur inscriptus Psalmus David, non videtur verum, sed ab aliquo pro suo arbitrio positum; nam communiter tenetur, quod hic Psalmus fuit compositus ab illo, qui Psalmos

in unum volumen collegit, qui creditur fuisse Esdras, et colectioni suę hunc Psalmum, quasi quendam prologum pręposuit; qui tamen haud dubie est aliis Psalmis incorporatus, ut patet per illud, quod habetur Actuum 13. ubi dicitur, sicut scriptum est Psalmo secundo: filius meus es tu, ego hodie genui te, quod habetur Psalmo: quare fremuerunt gentes, qui non posset vere dici secundus, nisi Beatus vir esset primus. Potest autem merito inter Psalmos computari, quia Esdras spiritum Propheticum habuit, et ideo liber eius inter scripturas canonicas connumeratur.

1.° notandum, quod quia pręsens quęstio est de facto, et ex auctoritate Sacrę Scripturę nulla potest inveniri certa diffinitio eius, perardua, atque difficilis est ad

Delbora.
Ana.

determinandum, maxime quum rationi ad quam in similibus solemus recurrere minime in hoc loco possimus inniti. et re vera in hac quęstione, sicut et in nonnullis

alius opinio Augustini magis videtur me-
dullam sacrę scripturę attingere, fuit sane
vir excellenti ingenio, acutissimo sensu,
et copiosa doctrina. Aliorum vero opinio
videtur magis cortici litterę conquirere;
Quamobrem Magister Mathias Loto-
ringius Magistri Nicolai defensor, pro-
pugnatorque conatus est modestamente
litem partium ad concordiam cogere; ad quam
componendam pręmittit quatuor dicta vera
quidem, sed ad finem propositum ni fallor
minus accomodata, quę ut brevitati indulge-
rem hic inserere non curavi; venit igi-
tur in hanc summam, quod Augustinus
ideo dicit David omnium Psalmorum ac-
torem, quia ut principalis actor dabat filiis
Chore, vel Asaph materiam, quam divina
illustratione acceperat, et ipsi alia cantabant,
aut metricis legibus componebant; et ad huius
sententię confirmationem adducit illud, quod Da-
vid dicit in Psalmo 70: quoniam non cognovi

literaturam; et addit: quod quum David abineunte ętate Pastoratu primo, subinde militia, postea arduis negotiis fuerit impeditus, non didicit literaturam componendi versus Psalmorum, qui tamen secundum Hieronymum in Hębreo sunt secundum varias species metrificandi, et multis coloribus ornateque compositi.

Nec obstat, ut ait, si dicatur, quod habuit per infusionem talem artem; tum quia tale dictum caret auctoritate, nam licet, ut ait, legamus sacram scripturam quibusdam infusam, quia pertinet ad salutem, non tamē legimus artes infusas, quę ut plurimum serviunt ad vanitatem; et sic concludit, quod David propter administrationē materię ex revelationibus divinis sibi factis post spiritum Sanctum est actor omnium Psalmorum iuxta sententiam Augustini, sed Asaph, et filii Chore, et alii fuerē actores aliquorū, quia de mandato David, qui ministrabat mate-

riam, scilicet illos metrice, et artificiose componendo, et decantando, et sic aliqui Psalmi fuerunt talium, vt actorum titulis inscripti iuxta opinionem Hieronimi, et aliorum. et si queratur quum David secundum eum non fuerit literatus, et Psalmi sint compositi, et ornati ab aliis post administrationẽ materię revelatę ab eo, quur aliqui Psalmi attribuuntur particulis maxime secundum Hebraicam veritatem illis compositoribus immediate, et alii ipsi David; Respondet quod aliquando David ad compositionem Psalmorum sumpsit paucos, vt filios Asaph; Aliquando vero multos quando paucos ascripsit, et ascribi fecit titulos compositoribus quando multos assumpsit, non quia tituli multorum nominum multitudine fuissent ad legendum tediosi, et immoderati, et ideo illos Psalmos, quos multi composuerunt, et cantaverunt, ascripserunt ipsi David tanquam principali.

Et quia remanebat dubium de Psalmo 89.

qui inscribitur Moysi viro Dei; et de Psalmo

XI. qui inscribitur Ageo, et Zacharie; Respon-

det 2.° quod Moysi, vel aliis Prophetis aliqui

Psalmi ~~ascripti~~ ascripti sunt, non quod illi

illos fecerint, sed quia materia illorum Psalmo-

rum est similis materie, que in libris illorum

Propheraru continetur. Hec ille. sed caue, qui

volunt in adinventionibus suis nos vero sin-

gula eius dicta quomodo consistent discutiamus.

Iacit in primis fundamentum concordie, quam

construere intendit, quod David ignoravit

artem versificandi, quia ex decursu Sacre Scrip-

ture apparet literis per omnem etatem non

indulsisse; et ita etiam sensit Magister Nicolaus

in multis locis, et confirmatur hoc, quia pro-

prio ore ipse David dixit: quoniam non cogno-

vi literaturam; Non possum satis mirari

quomodo tam arduo edificio tam fragile

fundamentum substravit; non enim videtur

verum, nec verisimile, quod puer eximie

indolis ad prima capescenda rudimenta

literarum Præceptori à patre honesto, et nobili ac divite non traderetur ante quam ad Bertora-tum mitteretur, quandoquidem in eo erat Popu-lo in quo haud dubie omnis bona disciplina vi-gebat, et ea erat ætate, vt in vrsum, et leonem auderet irruere, et eos superare, quod etiam mi-raculose de aliquo puero valde tenero non refferet Scriptura; præterea ars metrificandi pars Gram-matice est apud Latinos, et Græcos, et pueri ea imbui solent, nec est capax difficilis, nec longo tempore, aut ingenti studio egens. Adde quod tenui praxi et arte, et postea quam negotiis fuit implicitus eam potuit adiscere, quemad-modum nostra tempestate multi multimoda faciunt carmina, tam in vulgari, quam in La-tina lingua, qui breve studium arti perdiscendæ tribuerunt; sed hæc de acquisita arte dicta sunt.

Quid autem obstat si dicamus David habuisse scientiam metrificandi infusam; di-cit ille obstat, quia licet legamus sacram scrip-turam infusam, quæ pertinet ad salutem, non

tamen arte, quæ ut plurimum serviunt ad vanitatem. Istud ridiculum est. Obsecro, unde habuit Salomon, ut loqueretur tria millia parabolas, et faceret carmina quinque millia, vel sicut in hebræo habetur quinque et mille? Unde habuit, ut disputare posset à cedro usque ad hyssopum? unde habuit, ut dissereret de Jumentis, et volucribus, et reptilibus, et piscibus? nonne ex infusione; præmittit enim Sacra historia 3. Reg. 4: dedit quoque Deus sapientiam Salomoni, et prudentiam multam nimis &c.a et paulo ante scilicet ca.o 3. dixit ei Dominus: ecce feci tibi secundum sermones tuos, et dedi tibi cor sapiens, et intelligens in tantum, ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post surrecturus sit. Quæro, erant propriè sacra scripturæ, et neccessaria ad salutem ars condendi carmina, et arborum Jumentorum volucrum reptilium, ac piscium peramplæ cognitio? ut autem de gloriosa Matre Domini, quæ tam admirabile fuit, et opus excelsi

taceamus, quæso, unde Anna mater Samue-
lis habuit artem metrificandi, quæ tamē in-
signe, et admirabile composuit canticum? unde
Delbora, et multi Prophetarum eximia, et pe-
ne divina carmina cecinerunt? Numquid
breviata est manus Domini? ut omnia, quæ
homo ab homine discere potest, et multo ma-
iora non possit hominibus infundere? et addi-
dit, quod artes ut plurimum serviunt ad vani-
tatem, fateor si artes vas vanum, atque im-
purum intrent non posse mihi excusare va-
na, et impura; si tamen excipiantur in vasis
puris mirum exultant decorem, et ecclesiæ Chri-
sti, quam maxima adiumenta suppeditant;
parco probationibus in re apud Doctos, et vir-
tute præditos exploratissima.

Nec iuvat opinionem Magistri Ma-
thiæ confessio illa David Psalmo 70 quum
dixit: quoniam non cognovi literaturam; Pri-
mo quia alia litera habet, quoniam non
cognovi negotiationes, vel negociationem,

et hanc primo ponit, et exponit, et approbare
videtur Augustinus super Psalmos; Secundo
quia Magister Nicolaus, quem Magister
Mathias semper tutari conatur, non exponit,
ut ipse scilicet ut ex hoc versu probet omnimo-
dam ignorantiam metrorum conficiendorum
ipsius David, sed sic exponit: quoniam non cog-
novi literaturam, quia enim nemo potest ex-
cellenter laudes Deo solvere, nisi habeat doctri-
nam de divinis, quam noticiam non habuit
David per studii exercitationem, sed per divi-
nam infusionem, ideo subdit: introibo in potē-
tias Domini, id est, ad cognoscendum eius vir-
tutes per ipsius inspirationes; unde in sequē-
ti versu addit: Deus docuisti me ā iuven-
tute mea, quasi dicat, et si humanitus non
fuerim doctus sufficienter ad collaudandum
te, tuo tamē lumine fui inspiratus, et doctus
ā iuventute meā ad omnia neccessaria ad
pronunciandum laudem mirabilium tuorū;
unde patet, quod si de maximis fuit doctus

divinitus, de minimis, scilicet confectione metrorum per leges artis metrificandi non remansit indoctus ab illo, cuius perfecta sunt opera; unde Augustinus 17. civit. Dei c.º 14. dicit: erat autem David vir in canticis eruditus, qui armoniam musicam non vulgari voluptate, sed fideli voluntate diligeret.

Responsiones autem ad duo dubia, scilicet quur aliquando titulis aliorum immediate, nonnunquam vero titulis David aliqui Psalmi inscribantur; et quare Psalmus 89. intitulatur Moysi homini Dei et 111. Aggeo, et Zacharię prorsus apparēt conficte plane, ac sane intelligenti.

Quia vero utraque pars magnos habet patronos, et ut dictum est salvo meliori iudicio Augustinus acutius interiora penetrat, et Hieronimus superficiē titulorum magis contemplatur ad utriusque partis probamenta utcumque respondendum videtur, ut studiosis perscitandi occasionem demus.

Ad 1um. pro parte Augustini dicendum, quod non soli spiritus sanctus ubi vult spirat, sed quomodo, et quando vult, unde potuit aspirare filiis Core, ut 10 Psalmos ederent, et Asaph 12, et Moyses 12, et Eman unum, et Ethan aliũ, quorum tituli extant, et eodem modo, et de eadem materia quo, et de qua David tractavit; nec ideirco perdit David suam singularitatẽ, quum multo plures Psalmi supersint ei quã singulis, aut omnibus iunctim Prophetis nominatis; Qui vero Psalmi inveniuntur sine titulo secundum opinionẽ istorũ, actori proximi Psalmi praecedentis ascribuntur. Secundus autem Psalmus, qui est sine titulo tribuitur David propter auctoritatem Sacrę Scripturę Actuum 4. ubi tanquam Psalmus David allegatur.

Ad 2um. potest dici, quod non est validũ argumentum ã duobus, vel paucis particularibus ad suam universalem affirmative, unde bene potest stare quod Psalmus 95. et 104. qui

secundum Hebraicam veritatem carent titu-
lis; et 1º. Paralipomenon 16. ponitur David ac-
tor eorum fuerint proculdubio David, et alii
sine titulo fuerint aliorum, facit enim dic-
ta probatio aliqualem coniecturam, sed non ne-
cessariam probationem.

Ad 3um. potest dici, quod secundum Hie-
ronimum Salomon fecit illud Psalmum, et
sic intitulatur ab eo, ut actore, et quum argui-
tur quia in fine Psalmi 71. qui habet titulũ
Salomonis dicitur: completę sunt orationes
David filii Isai, respondent, qui Hieronimum
sequuntur, quod Psalmi unius actoris non
fuerunt congregati in unum sine mixtura
Psalmorum aliorum actorum, quia ita com-
pilabantur, sicut inveniebantur, et ideo dici-
tur post 71. Psalmum: completę sunt oratio-
nes ab aliquo compilatore, qui illud volumẽ
usque ad illum Psalmum compilavit, et nomi-
nat David quia erat principalior actor Psal-
morum eorumque compilatorũ tam in multitu-

dine, quam in carcere, et de paucis Psalmis aliorū interpositis non habuit rationem; postea vero fuerunt inserti plures Psalmi eiusdem David, et aliqui aliorum, et Psalterio additi, ut dictū est supra.

Ad tria argumenta in contrarium, quę omnia innituntur auctoritati humanę, et rationi ex titulis diversis, qui aliquibus Psalmis inscribuntur, potest dici, quod auctoritas dictorum Doctorum non est pręferenda auctoritati Augustini, maxime ubi ratio horū est longe debilior rationibus, quę in tribus argumentis ponuntur in principio quęstionis pro parte Augustini, unde ipse pulchre dicit in sermone de Assumptione Virginis: ubi scriptura nihil commemorat ratione quęrendum est, quid conveniat veritati, fiatque ratio ipsa veritas sine qua nec valet auctoritas: igitur ratio horum est fundata super titulis de quibus ipsimet dicunt veritate coacti; et pręcipue Magister Nicolaus in multis locis,

quod non est de eis multum curandum. Nec alia ratio Magistri Nicolai videtur convincere, dicit enim, quod Hieronimo, et Hebraeis, qui studiosiores circa sacram Scripturam fuerunt, videtur in eiusmodi dubiis magis credendum; quae sententia non cogit, ut in omnibus eam admittamus; contingere enim potest, ut unus minus studiosus in aliqua arte habeat in aliquo particulari sanius, ac rectius iudicium, quam multi diligentiores, quanto magis quia multi Doctorum Hebraeorum, tam antiquorum, quam modernorum, multi etiam Catholicorum tenuerunt opinionem, quam pluris facit Augustinus; nec flocipendenda est doctrina Augustini, cui etiam in sacra Scriptura, nec magna diligentia, nec excellens intellectus, nec mirabilis iudicii rectitudo defuerunt. De Psalmo autem 71. scilicet Deus Iudicium tuum Regi da, dicunt Hebraei moderni, et aliqui Doctores nostri, quod David fecit illum orans pro filio suo Salomone, ut Regnum sub manu eius

properaretur in Iustitia, et veritate, et quod intitulatur à Salomone tanquam ab illo pro quo fiebat oratio, et sic non habet difficultatem quod post Psalmum dicitur, scilicet completę sunt orationes David filii Isai.

Sed remanet dubium quomodo hoc sit verum, quod orationes David cum hoc Psalmo sunt completę, quum post eum plures Psalmi in libro Psalmorum à David tanquam actore sint intitulati. Ad quod respondent aliqui Doctores nostri, quod hoc ideo dicitur quia in hoc Psalmo agitur de Christi Regno ad quod omnes Psalmi facti à David sunt ordinati tanquam ad finem; finis autem importat complementum; potest autem et aliter dici, et forte magis literaliter, quod Psalmus iste secundum veritatem fuit vltimus inter Psalmos factos à David, tamen non fuit scriptus in vltimo loco, quia Psalmi scribebantur in libro Psalmorum secundũ quod inveniebantur, vnde evenit quod Psalmus 143 qui primo fuit factus, vel psaltem de primis

ponitur circa finem libri, quia fuit de ultimo inventûs, et eodem modo potuit esse, quod iste qui fuit ultimo factus, poneretur circa mediũ libri, quia tunc fuit inventus, et ponitur cum illo suo additamento, scilicet complete sunt orationes &ca.

QVÆSTIO.

Super versu: adhuc multiplicabuntur in senecta uberi, et bene patientes erunt Psalmo 91. Quod communiter sic exponitur, quia non solum in iuventute multiplicabuntur in bonis operibus boni, sed in senectute, et bene patientes erunt, id est, bona recipientes à Deo, quia pati, pro recipere sępe accipitur, secundum enim Phum. beneficiatus dicitur bene passus à benefactore, et hoc sonat clarius littera Hieronimi, quę talis est: Adhuc in senectute fructificabũt

pingues, et frondentes erunt, idest,

ex pinguedine gratiæ bona opera pro-

ducentes, et pro eis bona temporalia

recipientes, vnde paulo ante dixe-

rat: Iustus vt palma florebit &c.ª Potest quæri.

Vtrum bona temporalia cadant sub merito,

hoc est, vtrum possint bona temporalia, vt

diuitiæ, honores, sanitas, &c.ª obtineri per me-

ritum bonorum operum.

Et videtur quod possint. Primo quia

illud quod promittitur aliquibus, vt præmiū

Iustitiæ cadit sub merito; sed temporalia bona

promissa sunt in lege veteri, sicut merces

Iustitiæ, vt patet Deuteron. 28: ergo videtur,

quod bona temporalia cadant sub merito.

2.º illud videtur cadere sub merito, quod

Deus alicui retribuit pro aliquo seruicio, quod

fecit; sed Deus aliquando recompensat homini-

bus pro seruicio sibi facto aliqua bona tempo-

ralia, dicitur enim Exo.¹ 1.º et quia timuerunt

obstetrices Deum edificauit illis domos, vbi Gloria

Gregorii dicit, quod benignitatis earum merces potuit in aeterna vita retribui; sed culpa mendacii terrenam recompensationem accepit; et Ezechielis 29. dicitur: Rex Babylonis servire fecit exercitum suum servitute magna adversus Tyrum, et merces non est reddita ei; et postea subdit: erit merces exercitui illius, et dedi ei terram Egypti pro eo quod laboraverit mihi: ergo bona temporalia cadunt sub merito.

3º sicut bonum se habet ad meritum, ita malum se habet ad demeritum; sed propter demeritum peccati aliqui puniuntur a Deo temporalibus poenis, sicut patet de Sodomitis Gen. 19: ergo bona temporalia cadunt sub merito.

Sed contra est, quod illa quod cadunt sub merito non similiter se habent ad omnes; sed bona, et mala temporalia similiter se habent ad bonos, et malos secundum illud Eccles. 9: universa aeque eveniunt iusto, et impio, bono, et malo, mundo, et immundo immolanti

victimas, et sacrificia contempnēti: ergo bona temporalia non cadunt sub merito.

Pro responsione 1°. notandum, quod meritum, et merces ad idem referuntur; nam id dicitur merces, quod recompensatur alicui pro retributione operis, vel laboris, quasi quoddam pretium ipsius, unde sicut reddere Iustū pretium pro re accepta ab aliquo est actus Iustitiæ, ita etiam recompensare mercedem operis, vel laboris est actus Iustitiæ; Iustitia autem æqualitas quędam est, ut patet 5°. Ethic̄.; et ideo simpliciter est Iustitia inter eos, quorum est simpliciter æqualitas; eorum vero quorum non est simpliciter æqualitas, non est simpliciter Iustitia; sed potest esse quidam Iustitiæ modus; Sicut potest dici quoddam Ius paternum, sive dominativum, ut in eodem 5. Ethic̄. Phus. dicit; Et propter hoc in his in quibus est simpliciter Iustum, est simpliciter ratio meriti, et mercedis; In quibus autem est secundum quid Iustū,

et non simpliciter, non est simpliciter ratio meriti, sed secundum quid in quantum ibi salvatur Justitiæ ratio, sic enim et filius meretur aliquid à patre, et servus à Domino. Manifestum est autem quod inter Deum, et hominem est maxima inequalitas, In infinitum enim distant, et totum quod est hominis bonum est à Deo, unde non potest homini ad Deum esse Justitia secundum absolutã æqualitatẽ, sed secundum proportionẽ quamdam, In quantum scilicet uterque operatur secundum modum suum; Modus autem, et mẽsura humanæ virtutis homini est à Deo, et ideo meritum hominis apud Deum esse non potest, nisi secundum præsuppositionẽ divinæ ordinationis, ita scilicet ut id homo consequatur à Deo per suam operationẽ, quasi mercedem ad quod Deus ei virtutem operandi deputavit, sicut etiam res naturales hoc consequuntur per proprios motus, et operationes ad quod à Deo sunt ordinatæ; diferenter tamẽ quia creatura rationalis

se ipsam movet ad agendum per liberum arbitriũ, vnde sua actio habet rationem meriti, quod non est in aliis creaturis.

2.° notandum, quod illud quod cadit sub merito est premium, vel merces, quod habet rationem alicuius boni; bonum autem hominis est duplex, vnum simpliciter, aliud secundum quid; bonum hominis simpliciter est vltimus finis eius secundum illud Psalmi: mihi autẽ adherere Deo bonum est, et per consequens omnia illa, que ordinantur, vt ducentia ad hunc finem, et talia simpliciter cadunt sub merito; bonum autem secundum quid, et non simpliciter hominis est, quod est bonum ei vtnunc, vel quod ei est secundum quid bonum, et huiusmodi non cadunt sub merito simpliciter, sed secundum quid: secundum hoc ergo dicendum est quod si temporalia bona considerentur, prout sunt vtilia ad opera virtutum, quibus perducimur in vitam ęternam secundum hoc directe et simpliciter cadunt sub merito, sicut et augmẽtũ

gratię, et omnia illa quibus homo adiuvatur ad perveniendum in beatitudinem post primam gratiam; tantum enim dat Deus viris iustis de bonis temporalibus, et etiam de malis quantũ eis expedit ad perveniendum ad vitam ęternam, et in tantum sunt bona simpliciter huiusmodi bona temporalia, unde in Psalmo dicitur: timentes autem Dominum non minuentur omni bono, et in alio Psalmo: non vidi iustum derelictum; si vero huiusmodi temporalia bona considerentur secundum se, sic non sunt simpliciter bona hominis, sed secundum quid, et ideo ut sic non simpliciter cadunt sub merito, sed secundum quid inquantum scilicet homines moventur à Deo ad aliquia temporaliter agenda in quibus suum propositum consequuntur, Deo favente, ut sicut vita ęterna est simpliciter pręmiũ operum iustitię per relationem ad motionẽ divinam, ita temporalia bona in se considerata habent rationem mercedis habito respectu

ad motionem divinam, quia voluntatem hominum moveratur ad hæc prosequenda, licet interdum in his non habeant homines rectã intentionem.

Ad argumenta in contrarium respondetur. Ad primum quod sicut Augustinus dicit contra Faustum libro 4. in illis temporalibus promissis figuræ fuerunt futurorum spiritualium, quæ implentur in nobis; carnalis enim Populus promissis vitæ præsētis inhærebat, et illorum non tantum lingua, sed etiam vita prophetica erat.

Ad 2um. dicendum, quod illæ retributiones dicuntur esse Divinitus factæ secundum comparationem ad divinam motionē; non autem secundum respectum ad malitiam voluntatis, præcipue quantum ad Regem Babylonis, qui non impugnavit Tyrum, quasi volens Deo servire, sed potius ut sibi dominium usurparet; Nicolaus vero dicit Ezechielis 29, quod si Nabuchodonosor fecit hoc intuitu Iustitiæ,

ut pote propter malitiam habitantium in Tyro, bene meruit ex hoc retributionem temporalem, quamvis esset Idolatra, et Infidelis; si autẽ hoc non fecit intuitu Iustitiæ, sed libidine dominandi, sicut Propheta videtur sentire, sic non meruit inde mercedem aliquã etiam temporalẽ; et secundum hoc scriptura loquitur de Deo in loco prædicto more humano; nam apud homines ille cuius adversarius debellatur ab aliquo est gratus debellanti, quamvis non fecerit hoc intuitu eius; et ut exẽplũ 2. Reg. 8. quando Thou Rex Emath misit Iocalia prætiosa David eo quod percusserat Adarezer Regẽ Syriæ eius inimicum, licet hoc non fecerat aliquo modo propter eum. Similiter etiam obstetrices, licet habuerint bonam volũtatem quantum ad liberationẽ puerorum, non tamen fuit earũ recta voluntas quantum ad hoc, quod mendacium confinxerunt.

Ad 3um. dicendum, quod temporalia mala infliguntur in poenã impiis in quantum per ea non adiuvantur ad consecutionem vitæ æternæ; Iustis

autem, qui per huiusmodi mala iuvantur non sunt

poenę, sed magis medicinę.

Ad argumentum etiam in contrarium respondendum est, quod omnia ę quę eveniunt bonis, et malis quantum ad ipsam substantiam bonorum, vel malorum temporalium, sed non quantum ad finē, quia boni per huiusmodi manuducuntur ad Beatitudinem, non autem mali. Unde Augustinus 1.° Civit. Dei cap.° 8. dicit: manet enim dissimilitudo passorum etiam in similitudine passionum, et licet sub eodem tormento non est idem virtus, et vitium; nam sicut sub uno igne aurum rutilat, palea fumat, et sub eadem tribula stipule comminuuntur, frumenta purgantur, nec ideo cum oleo amurca confunditur, quia eodem prȩli pondere exprimitur, ita una, eademque vis irruens bonos probat, purificat, eliquat, malos damnat, vastat, et exterminat, unde in eadē afflictione mali detestātur Deū, atque blasfemāt, boni autē precātur, et laudāt, tātū interest non qualia, sed qualis quisque patiatur, nam pari motu exagitatum, et exalat horribiliter cenum,

et suaviter fragrat unguentum; præter hoc dictum Augustini, et illud Magistri Nicolai de Lyra, cetera sunt Sancti Thomę 1.2. q. ultª. a. 1º. et ultº.

QVÆSTIO.

Super versu: retribue servo tuo Psalmo 118.
qui sic à Nicolao exponitur: retribue servo tuo, idest, homini ad bonum conanti secundū facultatem naturę: retribue de congruo gratiam tuam: Potest quæri utrum homo possit seipsum ad gratiā pręparare per seipsum absque speciali auxilio gratię.

Et videtur quod potest. Primo quia nihil imponitur homini, quod sit ei impossibile; sed Zacharię 1º. dicitur: convertimini ad me, et ego convertar ad vos; Nihil autē aliud est se ad gratiam pręparare, quam ad Deum converti: ergo videtur quod homo possit se per se ipsum ad gratiam pręparare absque auxilio gratię.

2º. quia homo se ad gratiam pręparat, faciendo quod in se est, quia si homo facit quod in se est, Deus ei non denegat gratiam; dicitur enim Matthęi 7º.

quod Deus dat spiritum bonum petentibus se;

sed illud in nobis esse dicitur, quod est in nostra potestate: ergo videtur quod in nostra potestate sit

constitutum, ut nos ad gratiam praeparemus.

3°. si homo indiget gratia ad hoc quod praeparet se ad gratiam, pari ratione indigebit gratia

ad hoc quod praeparet se ad illam gratiam, et sic procederetur in infinitum, quod est inconveniens: ergo videtur standum in I°. ut scilicet homo sine gratia possit se ad gratiam praeparare.

4°. Proverb. 16. dicitur: quod hominis est

praeparare animum; sed illud dicitur esse hominis, quod per seipsum potest: ergo videtur, quod

homo per seipsum se possit ad gratiam praeparare.

5°. quia quod homo non se praeparet ad

gratiam, aut provenit ex proprio impedimento,

aut ex divino, non ex divino, quia ut dicit Fulgentius: Deus non est ultor illius rei, cuius est

actor; sed Deus est ultor cordis obdurati secundum

illud ecc. 3: cor durum male habebit in novissimo:

ergo quod homo non se praeparet, non provenit

ex Deo, et sic supererit, quod ipse sibi ponat impedimentum, et per consequens quod sit in potestate eius se impedire, aut præparare.

In contrarium est quia super illud Exo. 4: indurabo cor eius &c. dicit Glosa, quod ita induratum est cor eius, quod nihil poterat facere acceptabile Deo; sed nihil ad gratiam habendam præparat, nisi opus acceptabile Deo: ergo non erat in eo facere aliquid per quod se præparet, et eadem ratio est de aliis.

2.° nullus potest se ad gratiam præparare nisi recte agendo; sed secundum Augustinum in libro retractationum: a mortalibus recte non vivitur, nisi prius liberum arbitrium a peccati pravitate liberetur, quod fit per gratiam: ergo ante gratiam habitam nemo se potest ad gratiam præparare.

3.° nam Ioa. 6. dicitur: nemo potest venire ad me, nisi Pater meus, qui misit me, traxerit eum; si autem homo se ipsum præparare posset, non oporteret, quod ab illo traheretur: ergo

homo non potest se ad gratiã præparare absque auxilio gratiæ.

Pro responsione ad dubium 1.º notandum, quod præparatio, quæ exigitur in materia ad hoc, quod formam suscipiat duo includit, scilicet quod sit in debita proportione ad formam, et quod sit in debita proportione ad agens, quod debet formam inducere, quia nihil se educit de potentia in actum; Debita autem proportio ad suscipiendum actionem agentis attenditur secundum debitã approximationem ad agens; In spiritualibus autem non est intelligenda localis approximatio, sed spiritualis, quæ est duplex; prima per similitudinem naturæ secundum quod res corruptibiles dicuntur magis ã primo distare, quam incorruptibiles, ut patet in 2.º de generatione, et propter hoc debilius esse recipiunt; et similiter spiritualia propinquiora sunt Deo, quam corporalia; quapropter Angeli secundum Dionisium 4. ca.º coeles. hierar.ª habundantius de divina bonitate recipiunt; Secunda approximatio est secundum affectum, quia secũdũ

Augustinum Deo, non loco, sed affectu appropinquamur; Sed debita proportio materiæ ad formam est dupliciter, scilicet per ordinem naturalem materiæ ad formam, et per remotionem impedimenti: Ad hoc ergo quod voluntas se ad gratiam iustificantem præparet, oportet, quod se in debita proportione ad Deum, qui dat, et ad gratiam, quæ datur, ponat; sed proportio ad Deum per naturæ similitudinem non est in potestate voluntatis, similiter nec proportio capacitatis gratiæ, quia hæc ei præexistunt à creatione; unde relinquitur, quod sit in ipsa voluntate appropinquare Deo per affectum, et desiderium, et ordinari ad gratiam per remotionem impedimenti, quod quidem impedimentum est peccatum, et ideo per displicentiam peccati, et affectum ad Deum se præparat aliquis ad gratiam; et quando hæc duo efficaciter facit, dicitur facere, quod in se est, et gratiam recipit; De primo horum dicitur Iacobi 4: appropinquate Deo, et appropinquabit vobis; De secundo Apoc. 3: si quis aperuerit mihi. Hæc S.tus Thom. 4. sent. dist. 17. q. 1.a a. 2.o

2° nota quod S.tus Thomas in 3. contra Gentiles ca.° 156. sic dicit: licet aliquis per motū liberi arbitrii divinam gratiam nec promereri, nec advocare possit, potest tamen seipsum impedire, ne eam recipiat; dicitur enim de quibusdam Job. 21. dixerūt Deo: recede ā nobis, scientiam viarum tuarum nolumus; et Job 24: ipsi fuerunt rebelles lumini, et de his, qui gratię reparant, dicit Esaias 50 ca.° Dominus aperuit mihi aurem, et ego non contradico, retrorsum non abii, et cum hoc sit in potestate liberi arbitrii, scilicet impedire divinę gratię receptionē, vel non impedire, non immerito in culpam imputatur, quod prestat impedimentum receptioni gratię; Deus enim quantum in se est paratus est omnibus gratiam dare, vult enim omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire 2. Thim. 2. sed illi se gratia privant, qui in se ipsū gratię impedimentum prestant, sicut Sole mundum illuminante in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, sie hoc

aliquod malum sequatur, licet videre non possit, nisi lumine solis preveniatur.

Tertio descendendo magis ad propositum notandum, quod duplex est preparatio voluntatis humane ad bonum; una quidem qua preparatur ad bene operandum, et ad fruendum Deo, et talis preparatio voluntatis non potest fieri sine habituali dono gratie, quod sit principium operis meritorii; alio modo potest intelligi preparatio voluntatis humane ad consequendum ipsum gratie habitualis donum; ad hoc autem quod preparet se homo ad susceptionem huius doni non oportet presupponere aliquod aliud donum habituale in Anima, quia sic procederetur in infinitum; sed oportet presuponi aliquod auxilium Dei gratuitum interius Animam moventis, sive inspirantis bonum propositum. His enim duobus modis indigemus auxilio Divino; Quod autem ad hoc indigeamus auxilio Dei moventis manifestum est, quia cum omne agens agat propter finem, necesse est,

quod omnis causa convertat suos effectus ad suum finem, et ideo quum secundum Ordinem agentium, sive moventium sit ordo finium, necesse est, quod ad ultimum finem conver-tatur homo per motionem primi moventis, ad finem autem proximum per motionem alicu-ius inferiorum moventium; sicut animus mi-litis convertitur ad quaerendum victoriam ex motione Ducis exercitus; ad sequendum autē vexillum alicuius aciei ex motione Tribuni. Sic igitur quum Deus sit primū movens sim-pliciter ex eius motione est, quod omnia in ipsū convertantur secundum communem intentionem boni per quam unumquodque intendit assimilari Deo secundum suum modum, unde Dionisius in libro de divinis nominibus dicit, quod Deus convertit omnia ad se ipsum, sed homines Iustos convertit ad se ipsum, sicut ad specialem finem, quem intendunt, et cui adhaerere cupiunt, sicut bono proprio secundum illud Psalmi: mihi autem

adhærere Deo bonum est, et ideo, quod homo convertatur ad Deum, hoc non potest esse, nisi Deo ipsum convertente; hoc autem est præparare se ad gratiam, quasi ad Deum converti, sicut ille, qui habet oculum aversum à lumine solis per hoc se præparat ad recipiendum lumen Solis, quod convertit oculos suos versus Solem, unde patet, quod homo non potest se præparare ad lumen gratiæ suscipiendum, nisi per auxilium gratuitum Dei moventis, de quo auxilio dicitur in Psalmô: misericordia eius præveniet me, et de gratia gratum faciente dicitur in alio loco: misericordia eius subsequetur me. Hoc 3ium notabile est Sti Thomæ 1. 2. q. 109. a. 6. Ex quo videtur expositionem Nicolai in fronte quæstionis positam non constare, nec illud notabile eius usquequaque tenere, quum dicit: sciendum quod duplex est meritum, scilicet congrui, et condigni; secundū supponit gratiam habitualem in merente, primū ipsam præcedit, quia est quando homo virtute naturali studet bonum operari, et sic facit,

quod in se est, et per consequens meretur de congruo, quod Deus det sibi gratiam per quam ulterius meretur de condigno. Sed S.tus Thomas tenet, quod homo ex sola virtute naturali non potest aliquod opus facere per quod mereatur de condigno, nec de congruo, quod Deus det sibi gratiam, quia ipsa præparatio ad gratiam præsuponit aliquod auxilium gratuitum, ut dictum est; et hæc opinio S.ti Thomæ videtur conformior Sacræ scripturæ, et rationi.

Et per hæc patet responsio ad argumenta utriusque partis. Ad 1.um dicendum, quod conversio hominis ad Deum fit quidem per liberum arbitrium, et secundum hoc præcipitur homini quod se ad Deum convertat; sed liberum arbitrium non potest converti ad Deum nisi Deo ipsum ad se convertente secundum illud Jeremiæ 31: converte me, et convertar, quia tu Domine Deus meus; et Trenorū ultimo: converte nos Domine ad te, et convertemur.

Ad 2um dicendum quod nihil homo potest facere, nisi à Deo moveatur secundum illud Jō 15: sine me nihil potestis facere, et ideo quum dicitur homo facere quod in se est, dicitur hoc esse in potestate hominis secundum quod est motus à Deo.

Ad 3um dicendum, quod illa obiectio procedit de gratia habituali ad quam requiritur aliqua præparatio, quia omnis forma requirit susceptibile dispositum; sed hoc quod homo moveatur à Deo non præexigit aliquam aliā motionem, quum Deus sit primum movens, unde non oportet procedere in infinitum.

Ad 4um dicendum, quod hominis est præparare animum, quia hoc facit per liberum arbitrium; sed tamē hoc non facit sine auxilio Dei moventis, et ad se attrahentis, ut dictum est.

Ad 5um dicendum, quod homo non se præparet ad gratiam, non provenit ex Deo, qui illuminat omnem hominem, sed ex libertate

proprii arbitrii quo fretus etiam per Deum dono gratuito motus non cedit, sed resistit.

Ad argumenta pro alia parte potest responderi. Ad 1um. quod si opus Deo acceptabile dicatur opus meritorium, tunc planum est, quod nec Pharao, nec aliquis in peccato mortali existens potest facere opus Deo acceptũ; si autem omne opus, quod est bonum ex genere, et bona intentione factum dicatur opus acceptabile Deo, tunc Pharao dicitur non potuisse, non quia omnino non potuerit, sed propter fixionem obstinatę voluntatis ad malum in quam inciderat divina gratia desertus.

Ad 2um. dicendum, quod sine gratia gratum faciente non potest recte ã mortalibus vita duci secundum quod ly recte importat rectitudinem ad finem ultimum pertingentem; potest tamen sine ea recte aliquid agi rectitudine, quã habet ex materia, et circumstantiis, et fine debito, sed non sine gratia, quę dicitur gratuita Dei voluntas.

Ad 3um. dicendum, quod Deus duplici auxilio trahit ad se hominem, scilicet mediante auxilio gratuito ipsum movente ad se, cum quo mediante libero arbitrio meretur in Deum, et sic se præparat ad gratiam, cum qua meretur vitam æternam, et sic cum utroque auxilio trahitur efficaciter, et perfecte à Deo; nec tamen ex hoc excluditur quin homo mediante libero arbitrio per primum auxilium aditum se iuvet, et præparet, licet à Deo adiuvante trahatur.

Verum enim vero quoniam Magister Mathias Lotoringicus nititur impugnare dictam sententiam Sancti Thomæ, qua tenet, quod homo ex sola virtute naturali non potest aliquod opus facere per quod mereatur de congruo, aut de condigno, quod Deus det sibi gratiam, sed est necessarium aliquod gratuitum auxilium Dei inspirantis, et moventis, arguendo sic: non minus respondet Deus homini habenti per virtutem naturalem bonū

vsum liberi arbitrii, quam Angelo; sed Angelo
in prima morula existenti in Beatitudine
naturali, quę nihil est, nisi bonus vsus rati-
onis, respondit Deus per collationem gratię
in secunda morula: igitur et homini; nec opor-
tet huiusmodi vsum præcedere aliquod bonum gratuitũ,
vel dispositionem gratuitam, sed solum gratis
datam, quę continetur sub naturali facultate;
operæpretium est ei respondere. Respondendum
est igitur præsupositum, scilicet quod Angelus
in prima morula fuit Beatus Beatitudine na-
turali non habens gratiam, loquendo de morulis
temporis, vel successionis realis, nam vt est
opinio communior, et dictis sanctorum
magis consona, Angeli fuerunt creati in gra-
tia; dicit enim Augustinus 12. civit. Dei;
quod Deus creavit Angelos simul in eis con-
dens naturam, et largiens gratiam. Nec
Magister sententiarum, vbi eum Magis-
ter Mathias allegat, expresse dicit, quod An-
geli in puris naturalibus creati fuerunt,

sed hoc solum quod Angeli per ea quę in prima sui conditione acceperunt, proficere non potuerunt. Ad quod tamē respondet Sanctus Thomas in 2. scripto dist. 1. aº: 3. 2um:, quod Angeli à Magistro dicuntur non potuisse proficere, non quia mereri non potuerunt, sed quia per suam virtutem non potuerunt in Gloriam transferri, nisi ampliori lumine infuso; et quum dicit, quod bonum usum liberi arbitrii in homine non est necesse pręcedere aliquod donum gratuitum, vel gratuitam dispositionē pręcedere, sed quod naturalis facultas sufficit, falsum est, et contra verbum Domini Joa. 6: nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum; ubi dicit Augustinus: magna gratię commendatio, nemo venit nisi tractus; et Joa. 15: sine me nihil potestis facere, ubi Glosa interlinearis dicit: neque parum; parum autem dicitur opus moraliter bonum, quod est modicum, quid respectu operis meritorii; magna gratię

commendatio cordæ inveteravit, humilium ora ob-

travit superborum; nonne huic resistunt ve-

ritati ad bona opera facienda Deum sibi nec-

cessarium non putantes, non asserentes, sed

præcipitatores liberi arbitrii. Hæc ille. et in libro de

correctione, et gratia: sine gratia nullum prorsus si-

ve cogitando, sive volendo, et amando, sive agendo faciunt homi-

nes bonum, et accipitur gratia in his dictis Augustini pro

speciali, et gratuito Dei auxilio naturalibus superaddito; cui

concordat illud Trenorum ult.º converte nos Domine ad te, et conver-

temur; et illud Apostoli Ro. 9: non est volentis, nec currentis, sed

Dei miserentis; et Phil. 2: Deus est, qui operatur in vobis velle, et

perficere pro bona voluntate, ubi dicit Glosa hoc nobis ex-

pedit, et credere, et dicere, quia pium est, et verum est, ut sit

humilis confessio, et totum detur Deo; per proprium enim

arbitrium, nisi gratia Dei iuvetur, nec ipsa bona voluntas

esse in homine potest; et 2. Cor. 3: dicitur: non

quod simus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex no-

bis, sed sufficientia nostra ex Deo est. De illis vero mo-

ribus Angelorum vide Scotum in 2.

dist. 4.ª et 5.ª

QUÆSTIO.

Super verbi: una est columba mea, perfecta mea, una est matri suę, electa genitrici suę. Canticorũ 6, et super materia totius libri canticorum: potest quęri, utrum sit una ecclesia Anticorũ, scilicet qui fuerunt sub lege naturę, et sub lege scripta, et Modernorum, scilicet qui fuerunt, sunt, et erunt sub lege gratię.

Et videtur quod non sit una ecclesia. Primo quia unitas ecclesię constat ex unitate Fidei, quum ecclesia sit fidelium sub una Fide congregatio, ut in ca.° firmiter de summa Trinit. et Fide Catholica; sed non fuit una Fides antiquorum, et modernorum: ergo nec una Ecclesia. Minor probatur primo quia scientia universalis differt à particulari; sed antiqui cognoscebant ea, quę sunt Fidei, quasi in universali implicite credentes, moderni autẽ in particulari credentes explicite: ergo non est eadem Fides modernorũ, et antiquorũ,

et per consequens nec eadem ecclesia. Secundo probatur eadem minor, nam confessio est actus Fidei; sed non fuit vna, et eadem confessio antiquorum, quę est modernorum; Item quod nos confitemur factum, antiqui patres confitebantur futurum, vt patet Esaia 7: ecce Virgo concipiet; nos vero dicimus concepit: non ergo est vna confessio, et per consequens nec vna Fides, nec vna ecclesia.

2.° probatur, quod non sit vna ecclesia; nam sicut vnitas Fidei facit vnitatem ecclesię, ita et vnitas Sacramẽtorum iuxta illud ad ephs. 4: vnus Deus, vna Fides, vnum baptisma; sed apud antiquos tam legis naturę, quam scriptę non fuerunt eadem sacramẽta, quę apud modernos, scilicet qui sub lege gratię degimus: ergo nec eadem, ac vna ecclesia.

3.° vmbra, aut figura non faciunt vnum cum re, cuius est vmbra, aut cum re figurata; sed ecclesia antiquorum fuit vmbra, et figura ecclesię modernorum: ergo non

fuit vna ecclesię modernorum.

In contrarium est communis sententia Catholicorum, et specialiter Gregorii in omelia 7. vbi sic dicit: quis similitudinē patris familias rectius tenet, quam conditor noster, qui eos, quos condidit, sic possidet, quasi subditos in domo, qui habet vineam, scilicet vniversalem ecclesiam, quę a primo Abel iusto vsque ad vltimū electum, qui in fine Mundi nasciturus est, quot sanctos protulit, quasi tot palmites misit.

Pro responsione ad dubium ponenda est indubitata conclusio esse, scilicet vnam, eandemque ecclesiam antiquorum, et modernorum fundatā super vnitate Fidei eorū circa quod

Primo notandum, quod antiqui nominales, quorum auctoritas hodie repullulat ob negligentiam Prælatorum, et aviditatem rerum novarum suscitandarum, ac levitatem puerorum ętate, aut moribus semvitatem per discentium, et nunquam ad scientiam

pervenientium dixerunt, idem esse enunciabile Christum nasci, et esse nasciturum, et esse natum; et ratio, quę ab eis, quorum auctoritas est propria voluntas, est, quia eadē res significatur per hęc tria, scilicet Nativitas Christi; sed hęc eorum adinventio falsa est; tum quia diversitas partium orationis

Aquí acaba el Original R.or

